


BIBLIOTECA DEL DUQUE DE OSUNA

# HISTORICA
# HADRIANI BARLANDI
RHETORIS LOVANIENSIS.

*NVNC PRIMVM COLLECTA, simulq́ edita.*

Seriem pagina post vitam HADRIANI BARLANDI ostendet.



COLONIAE,
Sumptibus Bernardi Gualtheri.
ANNO M. DC. III.

NOBILI ADMODVM DOCTISSIMOQVE D. D. THEODORO A LOE, DOMINO IN LOE ET DORNEBORG, DOMINO ET MOECENATI SVO SVMME COLENDO, OBSERVANTIAE ERGO L. M. IPSIS KAL. IANNVAR. OFFEREBAT

*Bern. Gualtheri.*

# CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE IVSTO LIPSIO

*Bernhardus Gualtherus*

S. D.

DVOS non indisertos Viros parentũ memoria, quantum illa ferebāt tempora, cum primum existere ac florere cœperunt, Louanium tulit, vt te omnium minimè fugit doctissime LIPSI. (qui bene

nè dicendi artem, atque historiarum, quod tu nunc munus sustines, de superiore loco, explanarunt) PETRVM NANNIVM Alcmarianum, & HADRIANVM BARLANDVM, patria Zelandum. Quorum hic historiæ legendæ atque scribendæ tractatione potissimùm est delectatus; quo etiam nomine tibi potissimùm inscribere placuit: alter Eloquentiæ studio sacras etiam litte-

litteras, vt ſacerdotem decuit, adiunxit. Nam & Athanaſium pænè integrum hortante maximè Perenotto Card. Granuellano, Baſilij quoque, Chryſoſtomi, & Athenagoræ quædam Latina de Græcis fecit. Barlandus verò noſter, eo de Belgio amplius eſt meritus, quo maius in patria illuſtranda ſtudium contulit. Romanam quidem Remp. Venetorumq́ue hiſtoriam attigit, vt erat Sabellici imprimis ac Sue-

Suetonij ęmulator; Verũ Brabãtię Duces, venuſtis ac veris celebrauit encomijs, vt nemo ad hãc diẽ, proh dolor, aut copioſius aut diſertius. Contẽti itaq; hoc Catone ſimus neceſſe eſt, dũ quis ſæculi felicitate exſiſtat, qui ei⁹ luminibus obſtruat, partãq; gloriã obſcuret. Te, te inquã, dignũ hoc argumentũ LIPSI, qui Regij Hiſtorici titulo merito es ornatus. Dedit item & Batauorum Comites ac Traiectenſes Præſules, ea

tamen

tamē breuitate vt Catalogũ potius contexuiſſe videatur. Adiecimus eiuſdē operâ collecta Ioca, ac Dicteria veterũ, ſed caſta ſed pudica, ne quid obſcœnitas prætextatos adoleſcentũ mores offenderet. Quã quidē colligēdi induſtriã noſtrã, ſi, vt ſpero & opto, æqui, boni cōſules, erit cur maiora tuis potiſsimũ auſpicijs adornem. Vale Belgij ocelle, & de rep. litteraria benè mereri perge. Coloniæ Agrip. in Vbij cIↃ.IↃ.CIII. Ipſis Cal. Ian.

# DE VITA SCRIPTISQVE HADRIANI BARLANDI RHETORIS LOVANIENSIS,

*EX EIVS SCRIPTIS POTISSIMUM collecta.*

NATVS *Barlandus* circa annum, opinor, clↄ.cccc.xxcviij. ante diem quartum Iv. Calen. Octob. *Barlandiæ*, insigni Zelandiæ pago: vt de seipse Annotationibus ad selectas C. Plinij Epistolas testatur. Annos natus vndecim (vt idem Epist. ad Ioannem Borsalum, quam de sua vita reliquit, scribit) à Patre Gandauum ablegatus, quadriennium ibi dedit operam Petro Seroto viro doctissimo. Qui vbi Barlandum incredibili litterarum studio præter cæteros flagrare animaduertisset, cœpit ea diligen-

tia

tia instituere, vt nullum boni præceptoris officium prætermiserit. Hic natum Gandaui,& sacro tinctum lauacro vidit Carolum Philippi filium, qui ex duce Brabantiæ pòst Cæsar Augustus, Quinti cognomento, creatus est: vt ipse refert Annalium Brabantiæ cap. CLXIIII. qui annus erat reparatæ salutis quingētesimus supra millesimum. In huius viri ædibus ac schola, maximo cum fructu exactis quatuor annis, Parentis iussu Louanium concessit, in quo percelebri gymnasio mutata studiorum ratione, Philosophiæ alterum tantum impendit temporis: vbi & Philippum Austrium, vrbem ingredientem, dum in Hispaniam cogitat, libenter spectauit, vrbis Senatu, & ornatissimo Gymnasij Rectore, toto denique Clero, anno cIↃ. IↃ.V. obuiam procedente: vt in ijsdem Chronicis cap. CLXVI. legas. Aetatis iam vicesimum ingressus, acceptis laudandarum artium insignibus, ad ea demum studia, quæ intermiserat, reuertit. Porrò his iam lucubrando reuocatis, ex amicorum consilio ad docendum se contulit. In quo munere Academiæ perpetuus Rhetor, ita se gessit, vt li-

vt libenter auditus, è quotidianis eius enarrationibus ſe plerique profeciſſe faterentur. Vtque ad poſteros etiam manaret vtilitas, animum ad ſcribendum appulit, & Scholia, ſcholis, enarrandis ſcriptoribus vtilia, reliquit. Iuuenis vertit è Græco *Aeſopi Phrygis Apologos*, vna cum Guil. Hermanno Goudauo, & è Chiliaſte *Adagiorum Epitomen* concinnauit, & dialogos caſti ſermonis conſcripſit. Hos verò auctores explanauit:

*Prouerbia Bucolicorum Virgilÿ*, &

*Menandri carmina* ſcholÿs illuſtrauit.

In quatuor priores *Aeneidos libros* antiqui ſcriptoris annotationes è membranis euulgauit.

*Terentium* argumentis & commentario explicauit.

*Ciceronis* quoque primam Catilinariam & Philippicam nonam.

*Rhetorices* quoque *præceptiones* edidit, & de Amplificandi ex locis Topicis ratione.

Pòſt ætate prouectior & ſtylo formato, terſa Latinæ linguæ dictione Hiſtoriæ ſcribendæ cupidus, præſertim Patriæ: (quod quomodocunque, vt ait Plinius, ſcripta ea ſit, delectet) illu-

ſtrium

ſtrium virorum vitas conſcripſit: auſpicatus à *litteratis vrbis Romæ Imperatoribus*. Dein res geſtas *Comitum Hollandiæ* litteris mandauit: addito & *Vltraiectenſium Epiſcoporum Catalogo*. Pòſt & *Brabantiæ Ducum Chronica* diſertius ſæpiuſque aucta dedit: adiecta & *Chronologia* à Chriſto nato vſque ad annum ſui ſæculi CIↃ. IↃ. XXXII. In quorum Principum egregijs facinoribus commemorandis, fideiq; ſeruandæ tam anxiè ſtuduit, vt Patriæ linguæ hiſtoricis minimè contentus, multas & varias etiam Bibliothecas vbi de his exſtaret aliquid, adierit. Brabantinorum verò Annalibus inſeruit copioſius, Suetonij exemplo, deſcriptas vitas Caroli Burgundi, qui *Bellator & audax* dictus, ad Nantium Lotharingiæ vrbem cum ſuis confoſſus interijt: & alterius Caroli *Quinti* cognomento, qui longè illo armis felicior Saxonum Ducem ad Albim, & Gallorum Regem Franciſcum ad Ticinum cepit. Scripſit & de *Venetorum* Ducibus poſt Antonium Sabellicum: cuius lectione impenſius delectatus, æmulum ſe præbuit. *Iocorum* item *ſaliumque libros tres* à ſe collectos relaxandis ſtu-

dis ſtudio feſſis animis, *Notis* explicauit. Denique *Chriſtiani hominis inſtitutionem* Aphoriſmis tradidit. Floruit autem obijtque Louanij Grudiorum, Martini Dorpij, Doctoris Theologi, & æqualium eruditorum hominum amicitia clarus, vir de humanitatis ſtudijs, vt illa tempora ferebant, benè meritus.

# HISTORICA HADRIANI BARLANDI.

De litteratis vrbis Romæ Imperatoribus.

Chronologia à Christo nato ad sua tempora: cum appendice ad annum Iↄ. c.

De Ducibus Venetis.

De Ducibus Brabantiæ.

De Comitibus Hollandiæ: & Zanchi Epist. de Hollandiæ & Zelandiæ situ & moribus.

De Episcopis Vltraiectinis, & de vita Philippi Burgundi.

De vrbibus inferioris Germaniæ: Callidius item & Gerardus Nouiomagus.

Iocorum veterum ac recentium libri tres, cum Scholijs.

De Christiani hominis officio Aphorismi.

De vita scriptisq; reliquis Hadriani Barlandi. A. S.

# HADRIANI BARLANDI DE LITERATIS VRBIS ROMAE PRINCIPIBVS LIBER.

*Burgundicæ nobilitatis summatibus Hadrianus Barlandus multam S. D.*

M. Tullius, qui in dicendo primam laudem obtinet, librū de claris Oratoribus reliquit: Suetonius Tranquillus de illustribus Grammaticis & Rhetoribus opuscula cōposuit: Diuus Hieronym⁹ Ecclesiasticorum scriptorum texuit catalogum. Nostra memoria Petrus Crinitus author, vt ego quidē sentio, non pœnitendus, quinq; libros de latinis Poëtis conscripsit. Extat & M. An. Sabellici viri eloquentis dialogus de Latinæ linguæ reparatione. In quo omnes excellenti eruditione præstantes viros enumerauit, qui aliquam opem tulerunt ad arcendam Italiæ finibus inscitiam, quę profligata dicendi puritate succreuerat, distrahentibus eam regionem Gothis & Vādalis barbaris nationibus. Trāquillum ego & Hieronymum summos viros ac summis ingenijs præditos imitatus, cū nihil præclarius esse putarem, quàm versari ætatemq; transigere in hoc honestissimo officio bonarum disciplinarum, libellum de literatis vrbis Romæ Principibus quanta maxima potui breuitate cōscripsi. Quem plurimis adeò nominibus mihi visum est conuenire, viri clarissimi, vt vobis dedicarem, ac nominum vestrorū auspicijs in lucem atque in manus hominum emitterem. Primum ꝙ vestrum quosdam minimè abhorrere à bonis litteris intellexerim: Deinde vt huic meæ fœturæ plusculū venerationis accresceret: solemus enim magis colere magisq; venerari ea quæ diuorum templis dicata sunt. Postremò vt per vos CAROLO Austrio Principum om-

nium quos hodie ſol videt illuſtriſſimo commendaretur: cui adeò ſoli edidimus, vt eius ingenium ad humanitatem fermè propenſum, pręclaris exemplis ad ſtudium excitaremus literarum. Nam plures alioquin cauſſæ ſuadebant, vt opuſculum ſupprimerem in Horatianum nouēnium, quod hinc humilior ſuccurrebat ſtilus, quãquam futurum non dubitabam, vt eloquētiam perpauci exigerēt, primũ ab homine Zelando & sēper inter eos verſato, qui non perinde latinam linguam admirantur quam ſylogiſmos ac conſequentias. Sed amoto ioco, de quo verè dici poteſt verſiculus. Ornari res ipſa negat contenta doceri. Hinc veniebat in mentem, quantum eſſet negocij, rerum à maximis principibus geſtarum, magnificentiam orationis amplitudine aſſequi: rurſus qãntum flagitium, eam orationis ſordibus ac fœda barbariæ contaminare, humilitateq; quaſi deprimere, Neque verò cuiuſuis peniculo deorum effigies digne exprimuntur. Accedit quod cum hoc opuſculi ſcriberem librorum, maximè veterum ſubſidia mihi deſiderabantur: quamquam non id quidem conabar, vt aliquot libris omnia complecterer, ſed emiſſo veluti commentariolo, ſtudioſis commonſtrarem tantum viam, & (vt Cicero inquit) digitum ad fontes intenderem, vnde colligere poſſint ex authoribus reliquos Principes, qui alibi quoq; in litteris excelluerunt. Habetis viri nobiliſſimi, cur præteritis tot amicis ac præceptoribus meis, quibus ob multa multum deuinctus ſum, vobis lucubratiunculas meas nuncupare voluerim. Simul habetis cur decreueram hoc libelli ſupprimere, ad quod edendum ſolo excitandi ad litteras principis animam mei ſtudio adductus ſum. Nunc munus hoc noſtrum, id eſt, libellum de doctis Principibus læti precor ſuſcipite, doctorumq; ingenia virorum & alere pergite, & ocium ſuppeditare, & ornare ſtudia: Quando ſi feceritis, propediem videbitis in his quoque regionibus complures eruditos ac perinde eloquentes viros. Nam eloquentiam non eſſe negatam noſtris hominibus, plurimis conſtat argumentis, & vobis gratias habebunt poſteri, quod veſtris auſpi-
cijs

ciijs restituta etiam hic latina lingua fuerit, Valete. Louanij Anno dominici natalis. M. Quingen. XV. Mense Augusto.

*Principum nomina quorum in hoc libello facta mentio est.*

Iulius Cæsar dictator.
Augustus Cæsar.
Tyberius.
Germanicus.
C. Caligula.
Claudius.
Nero.
Sergius Galba.
Vespasianus.
Titus.
Domitianus.
Traianus.
Hadrianus Imperator.
M. Antonius Antoninus.
Lucius Antonius Verus.
Elius Verus.
Commodus Imperator.
Pertinax.
Didius Iulianus.
Pessennius niger.
Seuerus Apher.
Albinus.
Antoninus Geta.
Antoninus Caracalla.
Alexander Seuerus.
Gordianus.
Gordianus superioris filius.
Valerianus.
Posthumius.
Aurelianus.
Tacitus Imperator.
Saturninus.
Proculus.
Numerianus.
Constantinus.
Iulianus.
Iouinianus.
Valentinianus.
Gratianus.
Theodosius.

## IVLIVS CAESAR.

VRbis Romæ Principum literatura insignium catalogum scripturo, mihi visum est, hoc negocium auspicari à Cesare dictatore, qui eloquentia præstantissimos æquauit. M. Cicero hunc refert id multis literis summoque studio consequutum, vt omnium ferè Oratorum latinè loquutus sit elegantissimè: Dicitur vno & vigesimo ætatis anno Dolobellam luculenta oratione accusasse: eamque orationem posteros admiratos. Scripsit multa: Extant rerũ eius Commentarij, quibus nihil elegantius, in affectatiusque. Labore duplici clarissimus Princeps ætatem consumpsit, incertum reddendo, Oratorne an Imperator esset laudabilior.

## AVGVSTVS.

AVgustus Cæsar à pueritia incredibili quodã dicẽdi studio flagrauit. Quo factum est, vt annum agens duodecimum, Auiam pro Rostris oratione laudauerit: Aetate prouectus & natu grandior, vel in difficillimis bellis honestissimarum artium studium non prætermisit. P. Vergilium, qui iisdem temporibus Romæ vixit, in maxima nominis celebritate, vnice dilexit; cuius etiam carmina summa cum voluptate legisse dicitur. Huius fauore Principis multi poëtæ ex infima fortuna ad maximas dignitates ascenderunt.

## TYBERIVS.

TYberius Cæsar vtriusque linguæ iuxta doctus, & nostratia & græca edidisse traditur, sed illis subinde: ijs perrarò vti solebat: Proditum est eum cùm scriberet, verbis exquirendis stilum obscurasse.

## GERMANICVS.

GErmanicus Cæsar quantũ in optimis disciplinis profecerit, incredibile dictu est: Suetonius Tranquillus hunc Germanicum ingenio in vtroque eloquentiæ doctrinæque genere, præcellenti fuisse scribit: & inter cætera studiorum monumenta reliquisse comœdias græcas: Lactantius Firmianus hos eius citat versiculos.

Non-

*Nondum vesanos rabies nudauerat enses,*
*Nec consanguineis fuerat discordia nota.*

Quos hic libitum est subijcere, quo facilius iudicare possint homines de illius ingenio atque eruditione.

### CAIVS CALIGVLA.

CAius Caligula superioris Germanici optimi viri pessimus filius, dictionis ornatui plurimum attendit: Homericam tamen poësim non probabat, deque ea proindè abolenda cogitauit. Sed & Vergilij, & Titi Liuij clarissimorum virorum scripta parum abfuit, quin ex publicis bibliothecis tulerit: Tam fuit maligna superbaque natura.

### CLAVDIVS.

CLaudius Cæsar magna cura vtrumque studium est sequutus. Historiam latinè scripsit, & quidem adolescentior. Edidit & græcas historias. In principatu quoque plurima composuit.

### NERO.

NEro tenellus adhuc, necdum matura pueritia liberales artes didicit. Ad poëticam pronior carmen libenter meditabatur: idque citra laborem scribebat: Primo imperij anno bis declamauit: eratq; futurus haud dubiè facundior, nisi Senecam præceptorem nactus fuisset, qui discipulum nolebat veterum oratorum scriptis lectitandis operam dare, quo diutius eum in veneratione sui detineret: Troianarum rerum perstudiosus erat. Quod videns Actius poëta, vt aliquo labore suo Principis celsitudinem demereretur, Homeri Iliada conuertit in latinum. A philosophiæ studijs hic Nero reuocatus à matre est, dictitante, inutilem esse imperantibus philosophiam.

### SERGIVS GALBA.

SErgium Galbam Imperatorem, qui Neroni successit, apud Tranq inuenio inter liberales disciplinas operam dedisse & iuri. Hic Galbarum familiã Sergiorum nomine vocatam primus orator illustrem fecit: quem diuinum hominem in dicendo fuisse testatur Scęuola apud Ciceronem in libris quos de Oratore reliquit.

### VESPASIANVS.

FLauius Vespasianus populo Romano nequaquã pœnitẽdus Princeps, græcis versiculis vti sæpenumerò solebat. Et quia doctus, singulari beneuolentia dilexit fecitq; plurimi Saleium Bassum poëtam egregium, eidemq; propter summam doctrinam qua præditus erat, ampla munera elargitus est.

### TITVS.

TItus cognomine paterno, in scribendis poëmatis insignis est habitus, præstititque ex tempore dicendi facultate. Huic Plinius secundus dicauit naturalis historiæ opus longè eruditissimũ, quod ediscẽdum, non modò in manibus gestandum illis qui variarum habere volent rerum cognitionem.

### DOMITIANVS.

STuduit & Domitianus, Titi superioris frater: qui legere sæpenumerò solebat commentarios à Tyberio compositos. Ad hæc sermonis erat non inelegantis, fauitq; bonis ingenijs, & tantum studij officiorumque erga Statium poëtam demonstrauit, vt frequentius eum cœnæ adhibuerit.

### TRAIANVS.

TRaianum, qui ob morum probitatem Optimi cognomentum meruit, sunt qui existiment doctum non fuisse. Quod mihi quidem haud fit verisimile. Nam vsus est pręceptore Plutarcho, probissimis moribus & egregia doctrina viro: quem quis facilè crediderit in instituendo Traiano laterem lauisse? vt est in veteri prouerbio.

### HADRIANVS IMPERATOR.

VTriusque linguæ Elius Hadrianus impensè doctus, in poëtica quoq; excelluit: In orationibus excogitandis dictandisque plurimum opere posuit: fuitque tanta diligentia, vt eodem tempore scripserit, dictauerit, audiuerit: sed nec cœnatum quidẽ apud eũ est sine lectione. Tragœdias enim & Comœdias prope inter epulas semper exhibebat. Delectabatur vetusto

dicen-

dicendi genere, eamq; ob rem Catonem Ciceroni præferebat: & Vergilio Ennium: Martialem epigrammatarium poëtam Vergilium suum appellabat: Cum Phauorino philosopho (cuius mentionem non vno loco Gelius facit) de bonis litteris atque omni antiquitate disserere solebat. Quodam tempore cùm audisset quosdam Romæ liberalium artium doctores propter senectutem interpretandi amplius muneri satisfacere non posse: annorum laborumque habita ratione diuites eos fecit, ac in ocio transigere vitæ reliquum iussit. Cuius rei nulla cura est huius sæculi Principibus, qui modulatoribus Morionibusque libentiùs fortunas suas impartiunt, quã doctis viris, qui mea quidem sententia, non sunt minus in vita necessarium quam ignis & aqua. Noui magnatem, qui sacerdoti cuipiam ob amphoram vini epotam, Ecclesiasticum beneficium largitus sit: quod meo iudicio melius collocasset, si probis moribus & insigni literatura viro contulisset.

## M. ANTONIVS ANTONINVS.

M. Antonius Antoninus Imperator & philosophus, vtramque linguam didicit, illustrissimis vsus præceptoribus, quos omnis vt disciplinarum authores plurimum obseruauit, Declamatorias scholas frequentasse: operam dedisse & iuri ciuili traditur. Senior iam totus fuit in Philosophiæ studijs, prouectaque eius est vsq; ad vltimum spiritum sapientia.

## LVCIVS ANTONINVS VERVS.

LVcius Antoninus Verus, qui vnà cum Marco Antonio imperauit, carminum fuit admodum studiosus.

## ELIVS VERVS.

ELius Verus ab Hadriano imperatore adoptatus: & qui cum Marco rerũ potitus est: princeps fuit egregiè eruditus: Ouidij & Appij poëtarum ita studiosus, vt eorũ poëmata lectulo etiã decũbens, intra manus habuerit. Martiali epigrãmatum scriptori tantũ

ipse concessit, vt Vergilium suum dictaret. Luculentissima oratione patri Hadriano die quodam gratias egisse dicitur: Verùm hãc ipse ne scripserit, an ab alio exceptã recitauerit, etiamnum dubitant historiæ conditores.

*COMMODVS IMPERATOR.*

COmmodus Marci philosophi filius, in pueritia optimos nactus præceptores latinos & græcos, grammaticos & rhetores, ab honestioribus literis abhorruit: quanquam puer carmina, & orationes non infœliciter scriberet. Institutus est & à patre. Sed nec hic, nec tam multi & clarissimi magistri bene monendo efficere potuerũt, quò minus degeneraret in mores corruptissimos, de quibus copiosè scripsit Herodianus author grauissimus, & in Romanam orationem traductus olim ab Angelo Politiano Italo: cui equidem viro propter egregiam doctrinam, atq; in scribendo elegantiam non dixerim quantum concedam.

*PERTINAX.*

PErtinax Imperator eloquentia fuit mediocri: Puer admodum imbibitis temporibus verborum, puerilibusq; meditamentis, traditus est græco doctori, atq; inde Sulpitio Apollinari eruditissimo viro. Hic Pertinax solus domi cœnaturus, accersere ad se solebat Valerianum quẽdam, quocum vel fabulam, vel memoria dignam historiam legeret, existimãs animum quoque tali cibo ac potu reficiendum.

*DIDIVS IVLIANVS.*

DE Didij Iuliani Cęsaris doctrina nihil me apud scriptores, quos quidem adhuc viderim legere, memini, nisi quod iuris scientiæ peritus fuerit: quam quidem plures etiam num concupiscere quam assequi possunt.

*PESSENNIVS NIGER.*

PEssennius niger claris ortus natalibus, competenter fuit eruditus.

*SEVERVS APHER.*

SEuerus Apher à pueritia se adeò in bonis disciplinis excoluit, vt tãdem ab omnibus habitus sit eruditissimus.

ſimus. Annum agẽs octauum decimum, publicè declamauit: Punica eum eloquentia promptiorem fuiſſe quidam ſunt authores: Eundem etiam Athenas petijſſe ſtudiorum cauſa proditum eſt.

### *ALBINVS.*

VTriuſq; ſermonis gnarus fuit Albinus, quem plerique ex patribus Romæ pro literato laudandum cenſuerũt. Agriculturæ cũ eſſet peritiſſimus, ſcripſit opus Georgicorum, & quædam alia.

### *ANTONINVS GETA.*

ANtonino Getę literarum cognitio multiplexq; diſciplina cordi fuit. Hic Princeps cũ viris eruditis verſari aſſiduè & congredi gaudebat, quæſtiunculas grammaticis tales proponere ſolitus, vt illi dicerent ſingula quomodo vocem emitterent: Sereni Sammonici libros (qui per id tempus plurimi, & eruditionis pleni extabant) aſſiduè in manibus habebat.

### *ANTONINVS CARACALLA.*

ANtoninus Caracalla in pueritia literarũ fuit ſtudioſiſſimus: poſtquam verò primas adoleſcentiæ metas ingreſſus eſt, militaris res totum ſibi hominem vendicauit.

### *ALEXANDER SEVERVS.*

ALexander Seuerus Apellem plane quẽdam in ſtudijs egit literarijs: Vt enim Apelles diligentiſſimus pictor, nullum patiebatur elabi diem, quo nõ lineam ducendo exerceret artem (vt Plinianis vtamur verbis). Ita Alexander hic ne vnum quidem diem ſua ſponte preterire paſſus eſt, quo non aliquid aut legeret aut ſcriberet. Confecit orationes, ſed (vt probi authores tradunt) parum fœliciter. Habeo authores qui dicant, hunc poëtas ſui temporis obſeruare ſolitum, ne quid de ſe mordaciter ſcriberent: Sic enim eſt id genus hominum, commoti atq; irritati bilem omnem chartis illinunt atris. Rhetoribus, Grammaticis, Medicis annua ſalaria inſtituit. Cuius prouocati exemplo noſtri Principes, ſi alere præclara ingenia cœperint magnum propediem videbimus ſcriptorum omnis generis prouentum. Si

quidem virtutis (vt Max. Valerius ait) vberrimum alimentum est honos.

## GORDIANVS.

Gordianus Imperator adolescens, etiam tum varij generis Poëmata scripsit, ac seorsum Antaniada, quo quidem opere videtur imitari voluisse Maronem Poëtarum principem, qui Aeneida reliquit. Hic Gordianus iam provectior declamauit: estque cum ab alijs, tum ab Hadriano Imperatore diserto disertus appellatus. Multijuge doctrinæ tam incorruptos mores, ac tantam adiunxit vitæ modestiam, vt ne Momus quidem in eo cupidè quicquam aut immodestè, aut nimiè factum carpere potuisset: Platonem, Aristotelem, Ciceronem, Vergiliũ, semper quoquo iret, habuit comites.

## GORDIANVS *superioris filius.*

Gordianus superioris Gordiani filius, litteratura insignis adolescens, & magna fuit memoria: cui propter singulare ingenium Sammonicus serenus præceptor bibliothecam suam instructissimam copiosissimamque moriens legauit.

## VALERIANVS.

Traditum est à scriptoribus magni nominis & Valerianum Imperatorem eruditione clarum fuisse, de quo non recolo me plura legisse apud quemquam ex veteribus.

## POSTHVMIVS.

Posthumius iunior tam fuit in declamationibus disertus, vt eius quædam controuersiæ Quintiliani scriptis dicantur insertæ, qui declamatorum omnium veluti rex quidam, eruditorũ habetur iudicio.

## AVRELIANVS.

Vreliani Imperatoris extat in veterum scriptorum monumentis latinè scripta & scitu digna epistola, qua militarem licentiam correxit. Eam nos hoc loco adiecissemus, quo faciliùs cognosci illius doctrina potuisset, nisi relata esset ab Antonio Sabellico, in eo opere, quo historiam ab orbe condito complexus est.

## TACITVS IMPERATOR.

TAcitum Imperatorem Romanum ingenio præstitiſſe, magnaque diligentia in latinis litteris inſtitutum fuiſſe, vel illud apertè demõſtrat, quod Cornelij Taciti hiſtoriam de Romanis Imperatoribus non modò omnibus vrbis bibliothecis inferri iuſſerit, ſed etiam edicto cauerit, vt decies quotannis ad communem fructum tranſcriberetur, quo ex luculẽtiſſimo opere aliquam etiam vtilitatem ipſi caperent poſteri. In huius ad principatum aſſumptione, concordi voce ſenatus teſtatus eſt, neminem prudentius quam doctũ virum imperare. Quod ſi noſtris quoque regionibus perſuaſum eſſet ijs, qui præſunt educandis regum pueris, fortunatior eſſet Reſpublica.

## SATVRNINVS.

VOpiſcus author diligens, ſed librariorum inſcitia negligentiaq; deprauatus ſcriptum reliquit, Saturninum Imperatorem bonas literas egregiè coluiſſe, & oratoriam laborioſè didiciſſe.

## PROCVLVS.

PRoculi Imperatoris legimus epiſtolam perbreuem latinè ſcriptam, qua libidini ac nequitiæ deditus, gloriatur ſe intra dies quindecim, centum virgines mulieres reddidiſſe.

## NVMERIANVS.

NVmerianus Imperator eloquentia præcipuè excelluit: ſermoque facũdiſſimus ex eius ore quaſi è beatiſſimo quodam eloquentiæ fonte manaſſe traditur. Publicè declamare ſolebat: Verſus tamen elegantes, tamque abſolutos compoſuit, vt omnes ſui temporis Poëtas immenſo poſt ſe interuallo reliquerit. Huic etiam viro propter eloquentiam ſtatua poſita eſt à ſenatu: cuius Baſi inerat ſcriptura hæc, *Numeriano Cæſari potentiſsimo Oratorum ſui temporis.*

## CONSTANTINVS.

COnſtantinus princeps de Chriſtiana fide optimè meritus, non mediocri bonarum artium ſtudio trahebatur: Lactant. huic diuinarũ inſtitutionũ

opus

opus dedicauit elegantissimum, & quo vir ille ostendit, quantum dicendi facultate præstiterit. Vtinam reliqua eius opera extarent: non alius ex Christianis nostris contra gentium oratorem Ciceronem nominaretur.

### IVLIANVS IMPERATOR.

IVlianus Imperator in perdiscenda vtraque lingua multum studij collocauit, Græcè tamen doctior fuisse perhibetur. quem latius indignus interim quem honoris causa nomines, vt qui obstinato in Christianũ nomen odio, libros cõtra Christum humani generis assertorem, verbis effuderit petulantissimis.

### IOVINIANVS.

IOuinianum Imperatorē legi apud nescio quem authorem, excellenti ingenio, eruditioneq; fuisse minimè vulgari.

### VALENTINIANVS.

VAlentinianus Imperator cultissimè loquutus est, quem si recentibus adnumeres; erit sine controuersia primus, vt veterum postremus.

### GRATIANVS.

GRatianus Imperator ab Ausonio poëta clarissimo in latinis literis institutus, ingenio fuit ad carmen componendum apto: neq; expers rhetoricæ facultatis.

### THEODOSIVS.

THeodosius Imperator mediocri fuit eruditione præditus, fuit & diligens earũ rerum lector, quas maiores gessissent sui. Ausonium poëtam vnicè dilexit: à quo vicissim est amatus: quod satis indicant quæ subijciemus eiusdem poëtæ carmina.

*Scribere me Augustus iubet, & mea carmina poscit,*
*Penè rogans blando ius latet imperio.*
*Non habeo id genij Cæsar sed iussit, habetq;,*
*Cur me posse negem: posse quod ille putat.*

Huius Theodosij rogatu Gregorius Nazianzenus, & Basilius socij, & eiusdem (vt aiũt) æmuli musæ, rhetoricam profiteri cœperunt.

Hic de Imperatorum literatura finem scribēdi faciā.

Neque

Neque enim visum est pertinere ad institutum meum, de alijs dicere, qui post Theodosium imperauerunt. Nã declinato Imperio, literæ magna ex parte sunt destitutæ. Quo factum existimo, vt qui postea rerum in vrbe potiti sunt, multò indoctiores atq; inelegantes fuerint.

# HADRIANI BARLANDI HISTORIARVM LIBER, QVO RES MAXIME MEMORABILES CONtinentur, quæ à Christo nato vsque ad annum 32 supra M. D. contigerunt.

*Anno 1. Christus nascitur.*

ALma virgo, Annæ & Ioachim filia, in Bethleem Iudeæ Christum Dei filium enixa est. A cuius salutari ortu ad nostra vsque tempora nouum opus inchoabitur. *ANNO Christi 1.*

*Innocentes pro Christo occiduntur.* 2.

Herodes, vt Christum nuper natum perderet, infra bimatum vim puerorum ingentem necari iussit.

*Perit Herodes.* 6.

Fœdissimo genere morbi Herodes perijt, humore lurido circa pedes & inguina oberrante, & putredine corruptis virilibus, scatentibusque toto corpore vermibus.

*Moritur Augustus.* 15.

Decessit Augustus Cæsar, quum Iesus omnium dominus decimum quintum ageret ætatis annum.

*Tredecim oppida metu terræ corruerunt.* 20.

Terræmotus factus est ingens, quo tredecim clari nominis oppida vno tempore corruêre: in quibus fuerunt Ephesus, Magnesia, & Sardis; & in Italia viginti hominum milia Fidenis subita Amphiteatri ruina perierunt. Incidit hæc clades in Tyberij Cæsaris annum quintum.

Chri-

*Christus docuit, & miracula edidit.*

31.32.33. Christus suam gloriam cœpit hominibus prædicatione, & miraculis ostendere, docuit pietatem & iustitiam, omnium maximè Caritatem. Hæc præcepit tantum, sed exemplo quæ præciperentur, præstitit. Frequēti conuiuio aquam in vinum vertit, cantaris infusa lympha sit falernum nobile. Quinq; hominum milia, quinque panibus & duobus piscibus, non solum exsaturauit, sed duodecim etiam corbium fragmenta superfuerunt. Cœcis visum reddidit, mutos vocales fecit, surdos, claudos, paralyticos nunc tactu, nunc verbo curauit, & quod omnium maximū fuit, Lazarum sole iam quarto carentem, iam sepulchro absconditum vitæ restituit.

*Baptista decollatur.*

32. Ioannes Baptista Herodis iussu, in Macheruntia arce est interfectus, quarto Calend. Septemb.

*Iesum Cruci affigunt Iudæi, & Stephanum lapidant.*

33. Iesus Cruci affixus est à Iudæis. Huius nephariæ cædis continuò cœlum manifesta dedisse signa legimus. Solis tanta defectio facta est, quanta nunquam alias hominum memoria. Terra horrendè mota est, & velum templi conscissum à summo ad imum. Eodem anno Stephanum Iudæi lapidauerunt, tertio nonas August.

*Persij Poëtæ natiuitas.*

36. Persius Poëta satyricus Volaterris Hetruriæ oppido natus est. Vir hic acerrimus fuit in notandis atque insectandis Romanorum vitijs.

*Tyberij obitus.*

38. Obijt Cæsar Tyberius in Campaniæ ora in villa Lucullana anno vitæ octauo & septuagesimo, quum tres & viginti gubernasset.

*Pilatus sibi manum infert, & Paulus conuertitur.*

41. Pilatus Christi cædis author, magnis calamitatibus afflictus, sibi manum intulit. Sunt qui dicant eum pœnitentiam egisse, & meruisse à Deo veniam. Per idem tempus Apostolorum vnus Matthæus, omniū primus Hebraico idiomate Euangelium scribere est exorsus. Eodem

dem anno octauo Calendas Februarias, Paulus Tarsensis ad Christum est conuersus, qui in Stephani lapidatione Saulus nomine, zeli sui specimen aliquod dederat, vestes seruando lapidationem auspicantium.

*Petrus Romam venit.* 44.

Petrus Bariona Christi Apostolus, natione Galilæus, pluribus in Asia constitutis Ecclesijs Romam petijt. Vbi prædicans Euangelium, primordia nouæ fundat Ecclesiæ, cuius postea annos quinque & viginti, custos fuit & rector. 45.

*Marcus Euangelium scribit.*

Marcus ad Christum conuersus sacræ historiæ peritior factus, Euangelium scripsit, quam ei prouinciam Petrus iniunxit rogatu Christianorum. Legit pius doctor à discipulo scriptam historiam, & probauit.

*Assumpta est Maria in cœlum.* 48.

Maria Christi mater inclyta in cœlum assumpta est. Hic virginis obitus incidit in quintum Claudij Principis annum.

*Fames in terra.* 52.

Prophetico prædicta spiritu fames latè euagata est. Meminit huius Suetonius, quum dicit: Claudium Cæsarem arctiore annona, quę ob assiduas sterilitates inciderat, detentum quondam medio foro à turba, conuitijsque, ac simul fragminibus panis ita instratam, vt ægrè nec nisi postico euadere in palatium valuerit. Sunt & tres soles eodem tempore visi.

*Petrum & Paulum Nero occidi iubet.* 70.

Petrus & Paulus à Nerone occiduntur, sed non eodẽ supplicio. Petrus pedibus in altum elatis cruci affigitur, quod supplicij genus sibi optauit, & Paulus gladio subiectus est. Per crucem alter, alter ense triumphans, vitæ senatum laureati possident.

*Hierosolyma expugnatur.* 73.

Titus Vespasiani filius Hierosolymam cepit, captam diripuit, mox incendit octauo die Septembris, quinto fermè mense quam obsideri cœperat, anno autẽ xl. post Christi passionem luit scelerum suorum supplicia impia

pia gens,quæ postquam Christum crucifixerat, postea etiam discipulos eius persequuta est. Titus eam funditus euertit, vt adimpleretur verbum Domini prædicentis, Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem quin destruatur.

*Incendium Romæ.*

83. Anno insequenti Romæ totum triduum incēdium durauit, in quo Princeps Titus nihil sibi publicè perijsse testatus, cuncta Prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinauit, præposuitque complures ex Equestri ordine quo quæque maturius peragerentur.

*Domitianus Christianos persequitur.*

97. Domitianus post Neronem Christiani nominis viros atrociter est insectatus. Apostolum Ioannem in feruentis olei lacum deijci, atq; inde columem receptum, in Patmon insulam deportari iussit.

*Plinius ad Traianum scripsit, rogans quid de Christianis fieri vellet.*

111. Plinius secundus quum prouinciam administraret, Traiano scripsit, multa se in suo magistratu quotidie hominum milia occidere, in quibus nihil omninò sceleris inueniret. aut quod Romanas offenderet leges, nisi quod antelucanos hymnos Christo cuidam Deo canerent. Hoc argumento literis acceptis, Traianus rescripsit, non esse inquirendos, si qui se offerrent, hos puniri oportere.

*Terræ motus Antiochiæ.*

116. Traiani temporibus media hyeme in ciuitate Antiochia tantus accidit terræ motus, vt vis ingens mortalium, ædificiorum ruinis perierit. Alibi montes conuulsi subsederunt, alibi flumina repentè fluxerunt, defecerunt alibi. Multa præterea per Asiam oppida penè ad excidium concussa sunt.

*Quadragenarij ieiunij institutio.*

136. Quadragenarium ieiunium ante paschales dies, institutum est per Telesphorum Pont. Rom.

*Cypriani martyrium.*

200. Cyprianus est martyrio admotus. Docuit is ab initio

tio rhetoricen, mox Cæcilij presbyteri hortatu ad vnũ & verum Deum conuersus, omnes facultates suas in pauperum vsus erogauit, sacerdos primo, inde Carthaginensium factus Episcopus.

Anni.

*Floruit Lactantius.* 319.

Circa hæc tempora floruit Lactantius Arnobij Aphri discipulus. Is Nicomediæ quum Rhetoricen profiteretur, auditorum infrequentia offensus, animum ad scribendum appulit. Extant eius libri elegantissimè scripti, Institutionum diuinarum & alia quædam. Perijt opus epistolarum quas scripsit ad Demetrium. Sunt qui eum in dicendi laude proximum à Cicerone nominent. Docuit iam natu grandior in Gallia Crispum Constantini filium.

*Arriana hæresis.* 323.

Orta est Arrij hæresis impio commento separare conantis filium ab æterna patris substantia, contra illud, ego & pater vnum sumus.

*Concilium Nicænum.* 324.

Ne hæresis Arrianæ venenum latius serperet, Constantino auctore Concilium in Nicæa indictum est, ad quod trecenti & amplius venerunt Antistites, estque eo vocatus Arius Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter. Hic decretum est, vt filius Homousios patri scriberetur. Probatum est decretum à Constantino, & exilium his indictum qui non essent decreto acquieturi. Arius quia insanire non destitit, exilio mulctatur cum aliquot alijs, qui sua stultitia periclitari quam aliena sapientia seruari maluerunt.

*Sacræ Crucis inuentio.* 325.

Sanctissimæ crucis lignum est repertum, & cum eo quod Saluatoris fuit, duo alia subruta, vnde duo pependerant latrones.

*Iuuencus poëta.* 332.

Vixit Iuuencus presbyter genere Hispanus, qui versu heroico Euangelicam scripsit historiam.

*Athanasius ab Arianis pulsus.* 333.

Athanasius Alexãdrinæ Ecclesiæ Episcopus ab Aria-

Anni. na factione pulsus, ad Constantinum se contulit. Hic auctor symboli cœlesti mente concepti aduersus impiũ Arianorum dogma.

*Victorinus & Donatus florent.*

360. Romæ celebres fuerunt Victorinus Rhetor & Donatus grammaticorum peritissimus, quo puer Hieronymus præceptore est vsus. Audiuit & Victorinum in arte dicendi.

378. Pluit lanam circa Atrebatum, & pluribus locis per Europam terra intremuit.

*Romani à Gothis fusi in Thracia.*

381. Anno supra trecentesimum altero & octogesimo, Gothi Romanos exercitus fuderunt in Thracia. Hac pugna Valens Imperator sagitta saucius, viuus in hostium potestatem venit, & ad casulam quandam deportatus, incensa domo igni consumitur.

*Martinus Episcopus.*

384. Martinus Episcopus Turonensis in Gallia vixit insigni vir sanctitate. Ad hunc referimus memorabilem illam pallij partitionem, quo militem texit. Decessit Gregorius Nazianzenus qui Hieronymum docuit. Scripsit piè ac scitè multa.

*Augustinus fit Episcopus Hipponensis.*

397. Augustinus B. Ambrosij discipulus in terra Aphrica Hipponensis est Antistes factus. Tenuit inde annos quadraginta eam sedem, scripsitque interea tantum librorum, vt mentitus credatur, qui omnia eius scripta se legisse dicere est ausus.

*Imperator Theodosius moritur.*

398. Fato perijt Theosius Imperator, cuius temporibus floruit Claudianus poëta insignis, Alexandriæ natus, Aegypti vrbe nobilissima. Diu Romæ versatus multas peragrauit vrbes Italiæ. Floruit & Prudentius, à quo multa adeò piè scripta sunt, vt Christianum virum facilè agnoscas. Hic ad summam peruenit senectutem, & plurimis dignitatibus perfunctus, perijt.

*Romam capiunt Gothi.*

407. A Gothis Roma capta est. Edictum ab Alarico Gothorum

thorum Rege propositum, vt capitale esset, si quis Petri & Pauli templum violaret. Hoc tempore Romam olim gentium dominam triduo diripuit Gothus, exhausitq; spolijs ex omni terra quæsitis. De hac vrbis miserabili captione Hieronymus, *hæret*, inquit, *vox & verba singultus intercipit, capitur vrbs quæ totum cepit orbem, imò prius fame perit quàm gladio, & vix pauci qui caperentur reperti sunt. Ad infandos cibos erupit esuriẽtium rabies, & sua inuicem membra laniarant, dum mater non parcit filio, & recipit vtero quem nuper effuderat.*

*Obijt Hieronymus.* 422.

Hieronymus Christianæ pietatis assertor eximius, obijt centum circiter annos natus, pridie Cal. Octob. Anno qui præcessit, Patauini Hunnorum metu, ad mare compulsi, Venetiarum vrbem condidisse traduntur.

*Decedit Augustinus.* 433.

Insignis Ecclesiæ doctor Augustinus decessit anno ætatis septuagesimo sexto, Vandalis vrbem Hipponensem, in qua erat, obsidentibus.

*Athyla flagellum Dei dictus, Italiam vastat.* 450.

Athyla Mandulci, Hunnorum regis filius, Italiam ingressus, in maritima Carnorum ora sitam vrbem obsedit Aquileiam. Concordiam diripuit, atq; incendio consumpsit. Patauium inde & Vicetiam excidio dedidit, cum multis alijs Italiæ locis.

*Hunni Aquileiam euertunt Italiæ vrbem.* 453.

Ab Hunnis capta & excisa Aquileia est, cum triennium eam obsedissent. Mantua, Brixia, Cremona, pari clade affectæ sunt. Est & capta Rauenna. Sed minus sæuitũ in hos populos, quòd se dedidissent.

*Athylæ exitus.* 454.

Athyla profluuio sanguinis dormiens extinctus est, cum ex Italia in Pannoniam reuersus iuncta sibi matrimonio Idilcone, nuptiarum die largius se vino & multa crapula ingurgitasset.

456. Roma direpta est a Vandalis & Aphris. Duo populi vrbem ingressi, omnia sacra & prophana promiscuè fœdauerũt. In præda egerenda dies consumpti xiiij. Ho-

Anni. mines omnis ſexus & ætatis plurimi in Aphricam aſportati.

548. *Roma Gothis prodita.*

Totilæ Gothorum regi quatuor Iſaurici milites vrbem Romam prodiderunt. In obſidione (quæ proditionem præceſſerat) tanta fuiſſe legitur fames vrbana, vt equinæ & murinæ carnes, ciuibus militibuſque cibatui fuerint. Per idem tempus victor Totilas furenti ſimilis vrbem euertere adortus, primo eam munitionibus nudauit, mœnibus plus tertia parte ſolo æquatis, capitolium inde incendit: mox paſſim domus priuatæ & publicæ ſubiectis ignibus deflagrarunt. Deleta vrbe, omnem ciuium multitudinem eiecit. Hic omni humano cultu deſerta Roma quondam rerum domina, magnum omnibus documentum eſſe potuit, nihil humanæ fœlicitati credendum eſſe.

570. *Prodigia.*

Igneæ acies in cælo viſæ ſanguine manantes, fœdiſſima pluuiæ tempeſtas fuit. Rhodanus adeò creuit, vt longè lateque ſuas aquas fuderit. Creuit & Tyberis, quæ prodigia Longobardorum in Italiam ſequutus eſt ingreſſus.

676. *Prodigia.*

Cœlum maximo ſpectantium terrore decem dies eſt viſum ardere, & mox triennio inſequenti Cometes tribus menſibus apparuit, cecidit de cęlo pluuia perpetua, horrenda tonitrua audita ſunt, creberque fulminum caſus, maximè per Italiam.

700. Anno ſeptingēteſimo, menſe Ianuario. Per dies quindecim, viſi ſunt Cometæ duo, vnus mane, veſperi alter. Sequuta eſt atrox peſtilentia, quæ Conſtantinopoli trecenta milia hominum abſumpſit. Malum inde ortum traditur, quod Gallia & Hiſpania pulſi à Carolo Martello, Saraceni quum triennio vrbem obſediſſent, maxima interim rerum omnium inopia ciues laborauerint.

717. *Prodigia.*

Tyberis quantus nunquam alias hominum memoria portentoſo actu fluxit ſeptem dies totos, intra extraque

que vrbem iacuerunt omnia aquis obruta. Inuenio & lunam per eos dies obtenebratam à prima vſque tertiam noctis vigiliam, & colore ſuffuſam fuiſſe ſanguineo.

Anni.

*Hadrianus primus Pont. Rom.*

772. Romæ Pont. declaratur Hadrianus primus nominis huius, vir Romani ſanguinis, clariſque natalibus ortus, qui ad Pontificatum euectus, talem ſe geſſit, vt neque patriæ, neque domeſticæ defuerit nobilitati. Fuit huius adminiſtratio ob id etiam memoratiſſima, quòd tam diu penè præfuit quam Petrus. Quatuor enim & viginti impleuit annos, minus menſibus duobus.

*Euerſio Longobardorum in Italia.*

776. A Carolo Magno euerſi Longobardi in Italia regnare deſierunt. Circa hæc tempora domiti ab eodem Saxones, Chriſti fidem populariter ſuſceperunt.

*Sanctorum imagines templis reſtitutæ.*

790. Conuentus trecentorum quinquaginta Antiſtitum eſt Niceæ celebratus, in quo decretum legimus, vt Sanctorum imagines templis reſtituerentur. Atque ita abrogatum Conſtantinianæ ſynodo, qua ſancitum fuerat, vt Sanctorum ſimulachra è ſacro tollerentur.

*Pariſiacæ & Papienſis ſcholarum inſtitutio.*

791. Carolus Pariſienſe gymnaſium & Papienſe viris vndique doctiſſimis accerſitis, inſtituit.

*Carolus Magnus fit Imperator.*

801. Carolus cognomento Magnus, à Leone tertio Pontifice Romanorum Imperator conſecratur, in Vaticano templo Romæ, & ad aram maximam eiuſdem templi inungitur. Carolus tum regnauerat in Gallijs annos triginta tres, & Italia iam trecentos annos & triginta ſine imperij nomine fuerat.

*Obitus Caroli Magni Statura, ſtudia, mores eiuſdem.*

815. Carolus Magnus breui temporis ſpacio duobus amiſſis filijs, vt Ludouico (qui vnicus maſculinæ ſtirpis ſupererat) gradum faceret ad Imperium, celebri totius Galliæ conuentu conſortem declarauit imperij. Eodem

 anno

Anni. anno Carolus fatali morte consumptus est, anno vitæ septuagesimo primo, vt alij secundo. v. Cal. Feb. Regni xlvi. Romani Imperij xiij. Aquisgrani sepultus, in templo à se constructo. Monumento eius inscriptum. *Caroli magni Christianißimi Rom. Imp. corpus hoc conditum est sepulchro.* Mortem eius præcessit deliquium solis. Idem annus quo Princeps tantus ex humanis decessit, lunam ter vidit obscuratam. Aquisgrani in templo icta fulmine pila concidit. Eodem loco & porticus à palatio ad templum ducens corruit. Pons quem idem Carolus Mogūtiæ ædificauerat, igni totus conflagrauit.

Puto non ingratum fore studiosis rerum cognoscendarum, si hic subtexam paucis quæ de statura, studijs, & moribus tanti Imperatoris apud scriptores inuenerim. Corpore igitur fuit amplo & robusto, excelsa statura, oculis prægrandibus, ac vegetis, hilari facie, incessus illi firmus, & tota corporis habitudo virilis, clarior vox quam vt corpori tanto conueniret, prospera valetudo, præterquam quòd proximo ante obitum quadriennio sæpius febri sit conflictatus. Dicendi facultate multum valuit, nec latini sermonis peritia contentus, etiam peregrina studia sectatus est. Liberalium artium studia indulgentissimè fouit, impensissimè adamauit, eorumq; Professoribus honoris plurimum exhibuit. In Græcis percipiendis operam dedit Petro Pisano cuidam. In cæteris disciplinis Rhetorica, Dialectica, & Astronomia præceptore est vsus Alcuino Britanno, quem virum in primis coluit. Mirum fuit in Carolo venandi & equitandi studium, exercuit & corpus frequenti natatu. Filios doctissimis erudiendos tradidit præceptoribus, amplissima promittens atque dissoluens salaria. Neque enim ignorabat, quo quisque eruditior esset, eò faciliorem clarioremque doctrinam ministrare, neque parentum nomine dignos iudicabat, qui agros, qui vineta, qui iumenta quoque pluris facerent quàm filios. Cibi erat valdè temperans, quanquam ieiunia corpori suo noxia querebatur, vini adeò parcus, vt non amplius ter quater super cœnam aut prandium biberet. In cibo fe-

ſinam maximè appetebat, conuiuia rarius agitare, ac non niſi feſtis diebus. Traditur & illud nunquam eum ſine docto colloquio, aut hiſtorica lectione cibum cepiſſe Quum ſemel optaſſet ſibi, ac ſæculo duodecim viros Hieronymi & Auguſtini ſimiles, adſtans fortè præceptor Alcuinus. Tu vis, inquit, habere duodecim, quũ ipſe Chriſtus cœli ac terræ dominus horum ſimiles ea tempeſtate plures non habuerit. Pietatis ac religionis Chriſtianæ tam diligens cultor fuit, vt non tantum Miſſis & Sacrorum intereſſet horis, ſed & Hymnos & Pſalmos interdum caneret, ceu ex initiatis ac ſacrificis vnus Templa Diuis erexit, veram Religionem obſeruauit etiam in minimis. Iniurias illatas ciuili animo tuliſſe in hoſtes rarò acerbius ſæuijſſe traditur.

816.

*Ludouicus Caroli filius coronatur.*

Stephanus huius nominis quartus Pontifex, in Galliam ad Ludouicum Imperatorem profectus, eum diademate cinxit.

829.

*Saraceni in Italia.*

Saraceni Italiam inuaſerunt, & captis Centumcellis oppido in ora Hetruriæ, inde citato agmine Romam profecti ſunt. Vrbs non eſt capta, ſed Vaticano, quod nullis adhuc erat munitionibus ſeptum, facilè occupato, diui Petri templum, ferro & igni hoſtis profanauit.

825.

*Prodigia.*

Mala multa & facta prodigia traduntur. In Gallijs arbor pedum quadraginta altitudine, craſſitudine biſſeptem ſua ſponte in diuerſum locum tranſijt. Apud Saxones aliquot milibus paſſuum terra in ſpeciem aggeris intumuit. Terræ motus factus eſt magnus, quo villæ & agreſtia ædificia cœleſti igne conflagrarunt, lapides grandine mixti è cœlo ceciderunt.

840.

*Ludouici decretum.*

Ludouicus Imperator, paternæ pietatis æmulus, ſanxit, vt qui ſacris initiatus eſſet, nulli hominis ſeruitio ſubijceretur, nec vlli ſe quæſtui dederet. Omnem enim quæſtum huic ordini turpem eſſe putabat.

Anni.

842.

*Vnde orta nominis mutatio in Pontificibus Romanis.*

Sergio ſecundo huius nominis Romano Pontifici cum Os porci diceretur, ad obſcenam appellationis vocem tollendam, datum eſt, vt aliud ſibi nomen eligeret. Manſit deinde conſuetudo, vt qui Pontifices crearētur omiſſo priore nomine, acciperent ſibi vnum aliquod ex Pontificum, qui antea ſediſſent, nominibus.

869.

*Prodigium.*

In agro Brixienſi triduo ſanguinem pluit.

870.

*Prodigia.*

In Gallia vis ingens locuſtarum orta, ſenos pedes habentium, omnia populata eſt, donec ventorum violentia in Oceanum propulſæ, fluctibus obrutæ perierunt. Fœtore ſuo aërem infecere, cum enectas Oceani æſtus in littora iecisſet, hinc tætra ſequuta eſt peſtilentia. Roma quoque prodigioſo Tyberis auctu ſic inundata eſt, vt tota ferè lintribus enauigaretur.

1000.

*Fames in Italia, Viſus Cometa.*

Inaudita fame laboratum eſt in Italia. Viſa in cœlo ſtella crinita prodigioſa magnitudine & forma: terraq; horrendè mota eſt, quo motu concuſſæ ſunt vrbes plurimæ.

1012.

*Turcæ Hieroſolymam capiunt.*

A Turcis capta fuit Hieroſolyma. Hic abſtinuit hoſtis à Chriſti regis ſepulchro, & ſacrarum ædium violatione. Quo anno hæc eſt in Syria accepta clades, lunam cruento aſpectu apparuiſſe, & terram prodigioſè motam legimus. Fax ardēs inſtar turris cum magno fragore è cœlo viſa eſt cadere. Mare ſolito latius excurrit, vrbes aliquot cum multa hominum ſtrage inūdatæ ſunt. In Lotharingia, quæ Gallorum prouincia eſt, fons aquę in ſanguinem vertitur. Fames & peſtilentia deinde ſequutæ, quæ tantam hominum vim abſumpſiſſe traduntur, vt penè plures vita defuncti ſint quàm ſeruati.

1061.

*Monſtrum.*

Monſtrū hominis in Britannico pago natum eſt, geminū caput, quaterna brachia, omniaq; geminata, vmbilico

bilico tenus habuit. Infra tantum muliebrem sexum ac cætera singula, Ridebat, loquebatur, alternis vescebatur gemino ore. Quum ad pubertatem peruenisset, vna demum parte mortua, superuixit reliqua totos tres annos, quę tandem fœtoris tœdio & onere partis extinctæ, fato cessit.

Anni.

1088.

*Diui Bernardi professio.*

Bernardus patria Burgundus, claris ortus natalibus Monasticum induit habitum, & cum eo triginta alij, omnes insigni pietate viri.

1097.

*Prodigia.*

Prodigia aliquot hominum oculis obuersata sunt. Mare viginti passibus, (alij centum scribunt,) præter solitum littora inundauit. Visus est & cometes miræ magnitudinis. His obseruatis prodigijs, Antistes quidam Antichristum natum esse affirmare non dubitauit.

1099.

*Recuperata per Christianos Hierosolyma.*

Christiani Hierosolyma ceperunt, ductu Gotthofredi Lotaringiæ ducis, qui primus in hostium muros trãscendere est ausus. Barbarorum cædes tota vrbe facta, Quarto Nonas Iulias vrbs sancta recepta. Postridie lustrata etiam templa, supplicationes habitæ, sacri in numen hymni cantati, quod tales de Barbaris triumphos præberet. Vrbis captæ victoriam sequuta est alia hostiũ clades, centum milibus Turcarum simul, & Saracenorum in prælio circa Asdonam cæsis.

1108.

*Prodigia.*

Prodigia quædam facta sunt. Sus fœta in Gallia, porcellum enixa est humana facie. Gallinaceus quatuor pedibus natus. Intolerandi frigoris hyems, & mox fames sequuta est, cum multa animalium lue & pernicie. Innumeræ aues aperto cœlo dimicantes, exanimes ad terram fluxerunt. Per dies quadraginta in Italia sic terra tremuit, vt villa quædam tremoris vehementia, in alium locum sit translata.

1134.

Conditum est cœnobium Tongerlense apud Brabantos, in quo præter multam religionem, etiam est ingẽs ædificiorum apparatus, & horti amœnissimi circuniecti.

Anni.

Louaiij templum diui Michaelis ædificari cœptum est.

1161. *Magorum corpora aduecta Colonia.*

1162. Trium magorum corpora olim è Persarum regione Mediolanum translata, à Rodolpho Coloniensium Archiepiscopo Coloniam Agrippinam deportantur.

1171. *Terræ motus in Syria.*

Ingens fuit in Syria terræ motus. Antiochia Tripolis & Damascus magna ex parte ceciderũt. Catinæ quæ Siciliæ vrbis est, quinque & viginti hominum milia, tectorum ruinis oppressa sunt, Italia prodigiosa grandine concussa est, quæ sparsa iacuit in speciem oui anserini.

1176. *Louanij incendium.*

Pridie Laurentij, totum ferè Louanium flammis absumptum est vnà cum templo diui Petri.

1186. Hierosolyma octauo & octogesimo anno quàm à Gottophredo & alijs Ducibus Christianis fuerat recepta, in manus recidit impiorum. Post receptam vrbem, omne æs campanum est è turribus depositum, & templa profanata.

1198. *Caritas tritici.*

Louanij vendebatur modius tritici sexaginta tribus solidis.

1206. *S. Dominici obitus.*

Dominicus Calaguritanus totam propè Europam peruagatus, Bononiæ est vita defunctus, & post à Gregorio nono Diuorum catalogo adscriptus.

1207. *Franciscanorum origo.*

Instituta est Minoritarum religio, Totum terrarum orbem vna hæc familia impleuit.

1215. *Ordo Crucifigerorum.*

Lateranensi conuentu probatus est ordo Crucigerorum, qui inde nomen sunt adepti, quod perpetuò crucem gestent Dominicæ passionis monumentum.

1216. *Probatus à Pontifice Dominicalium ordo.*

Honorius Pontifex Dominici Calaguritani recens insti-

institutum probauit.

*Albertus magnus, & Thomas Aquinas.*

Vixerunt viri ingenio clari, Albertus qui ob doctrinæ amplitudinem Magni cognomen accepit, Et Thomas Aquinas, Prædicatorij nominis ambo. Thomas in Germaniam profectus operam dedit Alberto, per quem in studijs adeò profecit, vt in Parisiensi gymnasio primum sit locum adeptus. Magnus Albertus Ratisponensis factus Antistes, Louanij in æde Dominicalium, anno salutis. M. cc. l. xxvi. consecrauit altaria duo. Vnũ Ioanni Baptistæ, & Euangelistæ, Diuę Catharinę Costi Regis filiæ alterum. Consecrationis huius litteras Magni effigie obsignatas, ostendi iussit mihi prius vir & eiusdem cœnobij prior D. Ioannes Stollandus Bergensis, nunquam non amico gratificari paratus, si quid est in quo requiras officium. 1263.

*Inundatio regionum.* 1288.

Mense Ianuario insigniter inundatus est ager Hollãdiæ cum fœda domorum & animalium strage. Eodem anno mare Frisiam, Hollandiam, Selandiam, & Flandriæ partem prodigiosè inundauit. Ab hoc diluuio in Selandia sola fuit immunis Gualachria, cum pago qui vulgò dicitur VVolferts diick.

*Translatio sedis Apostolicæ in Galliam.* 1305.

Aula pontificia in Galliam translata est. Exciuit eam ex Italia Clemens quintus recens electus pontifex. Tunc egressa Italię finibus Apostolica sedes abfuit annos quatuor & septuaginta.

*Sublati templarij.* 1307.

Templariorum religio sublata est ob defectionem ad Saracenos vt quidam scribunt. Alij alia narrant.

*Rhodum Christiani recipiunt.* 1309.

Nostri Rhodum insulam ex hostibus fidei receperũt. Rhodianæ militiæ viris, qui eam à Turcarum imperio armis vindicauerant, Pontifex tuendam dedit.

*Maximis malis afflicta Brabantia cum finitimis locis.* 1315.

Brabantia, & finitimæ regiones afflictæ sunt maximis malis. Post Calendas Maias orta pluuia, quæ

Anni. menſes durauit plus minus decem. Ex qua intemperiæ, cum in agris neq; frumentum, neque alia homini & pecudibus neceſſaria matureſcere poſſent, ſumma omniũ rerum caritate, non vno loco cœptum eſt laborari, quæ caritas progreſſu temporis adeò inualuit, vt quidã prodiderint ab homine nato maiorem non fuiſſe. Tritici modius Louanij emptus eſt nouem florenis. Mendici in vijs, in portis, pro templorum foribus, inedia efflabant animas. Hanc annonam ſequuta eſt tanta peſtilentię vaſtitas, vt quotidie in ſingulis penè oppidis ſexageni, ſeptuageníve efferrentur, quorum alij ſexta die, alij tertia, multi ſecunda, nonnulli ſtatim in ipſo morbi aduentu extinguebantur. Multitudo omnis perterrita, in mõtes, ſyluas, & loca deuia fugiens, vacuis errabat in agris. Alij in templis Diuorum aris affixi diuinam implorabãt opem. Hic filios, ille parentem lugebat ademptum, alius fratrem, alius ſororem deſiderabat. Explicari oratione non poteſt, quanta fuerit eius temporis calamitas, qui gemitus, quæ lamentationes nocturnæ diurnæq;. Per eadem ferè tempora obſeruatus eſt in cœlo Cometes diro aſpectu, magna luce radios ſuos emittens. Vulgò putatur hoc prodigij ſummis principibus exitium, aut bellum, aut peſtilentiam aliquam populo portendere.

1338. *Angliæ rex Antuerpiam appellit.*

Eduardus nominis huius Anglorum rex tertius, cum claſſe quadringẽtarum nauium applicuit Antuerpiam pro Normania recuperanda, bellum illaturus Francorũ regi Philippo quinto.

1340. *Agger reſtitutus in Lilloe, qui locus inter Antuerpiam & Bergas viſitur.*

Ioannes eius nominis Brabantiæ Dux tertius reparauit & reſtituit maritimum aggerem in Lilloe, qui locus amplius quinquaginta tribus annis fuerat inundatꝰ.

1342. *Incendium Mechliniæ, Peſtilentia.*

Menſe Maio eſt Mechliniæ ortum incendium, quod adeo latè ſerpſit, vt vix domorum ſexta pars relicta ſit. Per idem tempus diuerſis locis adeò inclementer ſæuijt peſtilentia, vt viui penè deeſſent qui ſepelirẽt mortuos.

*Peſti-*

*Pestilentia. Iudæi combusti.*

1353.

In Italia bestiolæ immensa multitudine è cœlo deciderunt, quæ extinctæ & putrescentes vniuersum cœli tractum grauiter infecere. Dira hinc orta est pestilentia. Sunt & Iudæi combusti in Germania, qui consilia inter se agitauerant de puteis veneno inficiendis, vt Christianum nomen ex ea terra tollerent.

1377.

*Borsalia Selandiæ inundata.*

Sub festũ Dionysij mare prodigioso actu Borsaliam, totã quæ apud Selandos Suitbeuelandiæ pars est, inundauit. Borsaliæ adiacẽt pagi tres, Bacendorpia, Barlãdia, & Antiqua terra, quos tum solos diluuialis eruptio illa inaccessos reliquit.

*Annatarum vsus Romæ.*

1400.

Annatarum vsus Ecclesiasticis sacerdotijs à Pont. Bonifacio adscriptus est, vt qui beneficium indipisceretur, dimidium annui prouentus Pontificio solueret fisco. Probatum est id decretum ab omnibus gentibus, soli Angli in minoribus sacerdotijs repudiauerunt.

*Turcarum imperator capitur.*

1403.

Tamberlanes humili loco inter Scythas natus, Iberis, Albanis, Persis, Medis, inde Armenia & Mesopotamia vi subactis, Paiazetem potentissimum Turcarum regem secum acie congressum, prælio vicit, Ducenta Turcarum milia cæsa. Rex ipse in pugna captus est, quẽ aureis vinctum catenis, omnibus suis expeditionibus præ se egisse traditur.

*Conuentus Pisanus.*

1410.

Pisanus conuentus est habitus, ad quem proficiscens archiepiscopus Remensis, Genuæ occiditur. Eodem anno Prussiæ magnus Magister fudit quadraginta milia Saracenorum, quæ postea reparatis viribus in Christianos regressi fuderunt milia lx. Hic perijt & M. Prussiæ Magister. Anno eodem direptum est à Burgundionibus oppidum sancti Dionysij cum monasterio eiusdem nominis. Captus abbas & monachi.

*Popularis tumultus in Francia.*

1413.

In Francia populari exorto tumultu maximis sunt affecti

Anni. affecti incommodis qui apud regem publico in munere essent.

1414. *Bellum inter Francum Burgundum Constantiense concilium.*

Rex Franciæ bellum suscepit cum Duce Burgūdo. Obsessum est Atrebatum. Per Brabantiæ ducem, & Hannorum comitem facta pace, liberati sunt obsidione Atrebates. Eodem anno celebrari cœptum est Concilium Constantiense, ad tollendum schisma quod triginta annos durauerat.

1415. *Sigismundus imp. in Galliam, in Angliam venit.*

Imperator Sigismundus Parisios venit. Postea anno decimo septimo ex Gallia cum Hannonum comite in Angliam traiecit, ad pacem componendam inter eius insulæ regem & Francum. Anno eodem Sigismundus, Angliæ rex & Burgundiæ Dux Galetum applicuerunt, de eadem pace tractaturi. Hoc etiam anno Sigismundus Comitem Subaudiæ Ducem fecit.

1417. *Martini Quinti Pont. creatio.*

Ottho Columnius vir Romani sanguinis Pont. Max. declaratur, ad tertium Idus Nouembr. Martini quinti appellationem ferre voluit, quia eiusmodi creatio in diem, qui diuo Martino sacer est, incidit. Pro qua creatione supremi ordinis Antistitibus coram gratiæ sunt actæ à Sigismundo Imperatore, & eodem anno sublatum est schisma quod præcesserat.

1417. *Indigna cædes Ioannis Burgundiæ Ducis.*

Cæsus est Monstrolit Ioannes Burgundiæ dux, quam ob cædem Galli sunt postea armis inclementer vexati.

1421. *Dissidium inter Ioannem Brabantiæ ducem, & huius vxorem.*

Ortum est dissidium inter Ioannem Brabantiæ Ducem & Iacobam huius vxorem. Quod postea bellum ingens & multa sanguinis effusio sequuta est.

*Pagi 70. apud Hollandos inundati.*

1421. Nocte quæ præcessit festum Elizabet, vi tempestatis, & aquarum violentia ruptis aggeribus in Hollandia pagi septuaginta periere. Sunt in Phrisia & Selandia euersæ do-

Anni.

ſæ domus ac villæ. Perijt ingens quoque mortalium numerus: fruſtra alij editiora loca camporum, alij turres ac tecta petebant, Spumeus amnis exiens, oppoſitaſ eijcit gurgite moles, Fertur in arua furens cumulo, cāpoſq; per omnes. Cum ſtabulis armenta trahit.

*Iacoba Ioannis Brabantiæ Ducis vxor Anglo nubit.* 1422.

Glouceſtrio in Anglia Duci nupſit Iacoba à Bauaria, priore adhuc viro Ioanne in humanis agente. Anno proximè inſequenti latè euaſtata eſt inſula Cyprus.

*Vaſtatur Hannonia.* 1424.

Dux Glouceſtrius cum Iacoba ex Anglia Caletum venit, & Hannoniam cum exercitu ingreſſus, loca quædam vi occupauit.

*Cyprus à Saracenis occupauit.* 1425.

Saraceni in Cyprum reuerſi, magnis eam gentem cladibus affecerunt.

*Capitur Cypri Rex à Soldano, Louanienſis ſcholæ initium, Anglos fundit Burgundiæ Dux.* 1426.

Plures Chriſtiani Principes in Cyprū nauigauerunt, vt auxilio eius inſulæ Regi eſſent contra Soldanum Aegypti. Hoc bello captus Cypri rex à Soldano in carcerem ducitur. Pecunia ingenti adnumerata eundem poſtea redemptum inuenio. Anno eodē cœptum eſt doceri publicè in Gymnaſio Louanienſi, quod Brabantiæ Dux Ioannes eius nominis quartus iam recens condiderat. Fuit & hic annus ille quo Iacoba Ioannis quē modo dixi, Brabantiæ Ducis vxore Herlemū Hollandiæ obſidente, dux Burgundiæ Philippus memorabili prelio vicit Anglos, cæſis 3. hominum M. ex omni ætatis flore ſelectis. Cōmiſſa eſt hęc pugna apud Brouvvershauiā Selandiæ, die feſto Pontiani, menſe anni primo.

*Mors Ioannis Brabantiæ Ducis.* 1427.

Ioannes Brabantiæ Dux eius nominis quartus mortem obijt, ante diem reſurgenti Domino feſtum, ætatis anno vigeſimo quarto. Conditorium eius viſitur Vuræ ante aram maximā, in æde Ioāni Euangeliſtæ ſacra. Fuit hic dux in rebus aduerſis omninò forti & infracto animo,

Anni. mo,iusti atque æqui tenax, nemo Religionis studiosior,nemo Dei amantior,nemo affabilior,nemo clementior.Adeo munificus in pauperes, vt si vno ore omnes Ioannem pauperum patrem appellauerint.

1428. *Iacoba præfecit Hanoniæ, Hollandiæ,Selandiæ & Phrisiæ Philippum Burgundiæ Ducem.*

Iacoba defuncto Ioanne quarto marito suo constituit Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ & Phrisiæ primũ gubernatorem Philippum Burgundiæ Ducem cognatũ suum,qui tum alijs rebus implicitus, cum fidei suæ concreditis populis adesse non posset, Franciscum quendam,Equitem auratum Borsalię dominum,his pręfecit. Eodem anno tam horrendè mota & concussa est terra pluribus locis, quam vnquam alias hominum memoria.In Catalonia, quæ Hispaniæ regio est, hoc tremore viginti oppida sunt euersa. Hunc terræ motum sensit & Aquitania,senserunt & Galliæ.

1433. *Iacoba nupsit Borsaliæ Domino.*

Iacoba magnis & amplis à Francisco Borsaliæ domino acceptis muneribus, & pecunia dono data in summa inopia rerum omnium, quem amicum senserat in rebus aduersis, eum postea maritum clam accepit. Qua re audita, comprehendi Borsalum iussit Philippus, & custodiri in arce Repatamundana apud Flãdros ad Scaldim sita. Multis cum lacrymis sequuta ducem Iacoba virum suum repetit.Negatum aliquandiu pertinaciter, ijs tandem legibus reddidit Philippus, vt sibi cognato Iacoba cederet Hannoniæ, Hollandiæ, & Selandiæ comitatus cum Phrisiæ principatu, pro quibus acciperet ipsa cum viro suo comitatum,vulgo dictum Oesteruãt, oppidum Brilense, insulam Suitbeuelandiæ, & quædam alia.

1436. *Obitus Iacobæ.*

Pridie Dionisij excessit è viuis Iacoba quam dixi, cum in malis plurimis,& animi doloribus Hannoniæ atque Hollandiæ præfuisset annos nouendecim. Sepulta est apud Hagam Comitis iuxta monumentum Ducis Alberti aui sui.

*Græci vniuntur Ecclesiæ Rom.* 1439.

Romanæ Ecclesiæ vniti sunt Græci promulgatis vnionis decretis, & actis publicè Deo Optimo maximo gratijs.

*Inuentio impressoriæ artis.* 1440.

Frederico tertio regnante ars impressoria est inuenta apud Moguntiam Germaniæ ciuitatem.

*Dissensio in Hollandia.* 1444.

Orta est in Hollandiæ comitatu perniciosissima illa dissensio, quæ populum in duas factiones diuiserat. Alteri ab hamo, alteri à pisce asello nomen inditum erat. Ciuitati cum ciuitate non conueniebat, frater fratri minabatur exitium, filius patrem suis manibus extinctum cupiebat. Vtrinque cædes, Vtrinque innumera sunt ædita latrocinia. Sæuijt multos annos tota Hollandia hoc malum longè teterrimum, ac nescio an etiamnum reliquiæ supersint pestis huius. Eodem anno Amurathes Turcarum Tyrannus ad Vernam, (locus est in ora Pontici maris,) Christianorum exercitus strauit. Hoc prælio perijt Vladislaus Poloniæ Rex, dum Amurathis castra ferociter adortus munitiones hostium transcendere conatur.

*Nicolaus Quintus Pontifex, linguæ Latinæ instaurator.* 1447.

Creatus est Pontifex Max. Nicolaus quintus, quo etiam anno ipse Bononiensis factus erat antistes, roseoq; insignitus galero. Per hunc Pontificem Latina lingua magna ex parte suum recepit cultum. Doctus enim ipse doctos coluit, & præmijs inuitauit ad Græcos scriptores in latinum vertendos. Nullo vnquam seculo magis verum est compertum illud:

*Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones.* 1452.

*Capitur Constantinopolis à Turcis.* alij. 1453.

Constantinopolis oppugnatur à Turcis, & capitur, Orientis columen, & vnicum Græcæ sapientiæ domicilium. Ciuitas triduum vexata atq; ad arbitrium impotentissimi victoris direpta est. Nicolaus Quintus Romanæ præerat Ecclesiæ, & Fredericus Germanis imperabat.

Anni.

*Conflagratio Aedis diuo Petro sacræ.*

1458. Louanij conflagrauit templum diui Petri, à qua conflagratione nouum est quod nunc in eadem vrbe visitur adeò eleganti structura, vt architectorum iudicio nullum pluribus locis inuenias pari pollitie. Annus quo fuit hoc incendium his quatuor verbis continetur. Ecce ignem Louanij ecce.

*Itali cœperunt imprimere libros.*

1457. Libraria impressio apud Italos vulgari cœpta est.

*Mantuanus conuentus.*

1459. Pius secundus pontifex publicum Mantuæ conuentum indixit, estq; eo Concilio actum de bello in Turcas comparando. Sed tam pia expeditio propositum non tenuit, Italiæ populis ad domestica bella magis, quàm extrema inclinantibus.

*Mors Philippi Burgundiæ & Brabantiæ ducis.*

1567. Burgundiæ & Brabātiæ Dux Philippus, decessit Brugis ad decimum septimum Calend. Iul. Cum vixisset annos septuaginta tres, & administrasset triginta septē. Corpus eius cum aliquandiu insepultum mansisset in æde Donatiani ad aram maximam, inde tandem auectum, in Burgundiam Diuione in Carthusiensium monasterio sepelitur.

*Capitur Leodium.*

1468. Carolus superioris Philippi filius Leodium acri bello adortus vi cœpit, captum direptumque solo æquauit.

*Turca Euboiam occupauit.*

1470. Euboïa Insula (nunc appellant Nigrumpontum, vel à nigredine ponti, vel à ponte potius, quo latere Euripi continenti iuncta est) in Turcarum potestatem venit, quum eam quadringentarū nauium & ducentarū triremiū classe, equitumq; centum milibus inuasissent. Chalcidem vrbem & antiquam & nobilem, & quum propugnatoribus, tum rebus omnibus munitissimā, vbi mensem totū per summas difficultates obsessam, dies septem continuatos noctibus, pertinacissimè terra, marique oppugnasset impius ille tyrannus Mahometus, per maximas tandem bombardarum moles, latissimis, editissimisq;

Anni.

misq; muris solo æquatis A. D. N. Idus Iulias vi expugnat, & vniuersam Christianorum multitudinem ad vnum crudelissimè trucidat.

*Mors Isabelæ Ducis Philippi vxoris.*

1471.

Rebus humanis exempta est Isabela, Philippi Burgūdiæ Ducis vxor, cuius etiam corpus Diuionem est deportatum.

*Obsidio Nouesij.*

1474.

Carolus Philippi Nouesium, vt alij Nussiam, obsedit, Coloniensis agri oppidum. Eodem annò Christodorus Daniæ rex, soluendi voti causa Romam venit, ab vrbis Primoribus & supremi ordinis Antistibus honorificentissimè exceptus, Romæ quum esset, conatus est Danus Italiæ principes in Turcas sociare, sed res frustra tentata est.

*Iudæorum crudelitas.*

1475.

Ad octauum Cal. April Tridenti vrbe in Italiæ & Germaniæ finibus Iudæi puerum furto subtractum diro ritu gentis occultè interfecerunt Toto schemate Dominicæ passionis in puerili corpore representato. Nec res tam atrox diu latuit: plures numero sceleris cōuicti, meritò sunt affecti supplicio Eodem tempore infans fœmina in Veronensi agro nata est, binis genitalibus, duplici ventre, quaternis brachijs. Id monstrum parentes diu, multumque per Italiæ vrbes quæstus causa circumtulerunt.

*Cædes Caroli Ducis ante Nantium.*

1476.

Carolus Burgundiæ Dux ante Nantium tribus vulneribus confossus occubuit, pridiæ Epiphaniæ. Cædis annus hic quatuor verbis continetur. Nocte regum succubuit Carolus.

*Inauguratio Maximiliani.*

1477.

Maximilianus archidux Austriæ, Frederici Imperatoris filius accepta vxore Maria Caroli Burgundiæ Ducis filia vnica ex Isabela, inauguratus est principatui Brabantiæ apud Louanium.

1478.

Anno sequenti in templo diuæ Reparatę Florentię, à Bernardo Bandino Iulianus Laurentij Medicis frater

Anni. confossus est per coniurationem Pactianorum, de qua libellus elegans Angeli Politani extat in Basil. editione.

*Rhodium obsident Turcæ.*

1479. Turcæ armorum terribili apparatu Rhodum insulā oppugnare adorti, bis omninò mœnia subierunt, mille & trecentis bombardarū ictibus muri concussi, propugnatorum sunt virtute defensi. Durasse legitur hæc obsidio vndenonaginta dies. Si vera sunt quæ scribuntur, fuit tum Rhodus cœlesti magis quam humana ope defensa. Nam tradunt quidam crucem auream media oppugnatione in cœlo visam ab hostibus, cum simulachro deiparæ virginis hastam vibrantis, quo viso territi Barbari obsidionem soluerunt.

1480. *Hydruntem expugnant Turcæ.*

Hydruntem in Apuliæ & Calubriæ finibus vrbem Turcæ Ducæ Othomano expugnauerunt. Apparebat Othomanum totis imperij viribus Italiæ incubiturum. Imminebatq; ex eo Christiano nomini ingens discrimen, nisi matura illius morte, manifesta Dei prouidentia terror ille discussus esset. Huius morte insignis fuit

1481. annus millesimus quadringentesimus octogesimus primus.

1482. *Mariæ Archiducis Maximiliani coniugis obitus.*

Sixtus Pontifex in diuorum numerum retulit Bonauenturam Minoritanæ professionis virum. Eodem anno Maria Archiducis Maxiliani vxor, quum nimio venandi studio teneretur, quodam die egressa, dum feram fortè conspectam insequitur, vel equo in præceps abeūte, vel alio casu (certum enim non traditur) ad terram excidit. Grauiter læsa Brugas defertur. Ad eam curandam accersiti sunt vndiq; medicæ artis scientissimi viri. Sed malo artē superante, haud multis post diebus vita decessit, quum annos nondum quinq; archiduci nupta fuisset, gubernasset autem quinquennium. Defuncta fato tam illustris, tam proba, tam inculpatæ vitæ mulier, magnum sui desiderium reliquit omnibus eius ætatis hominibus.

Obitus

*Obitus Ludouici xi. Galliarum Regis.*

1483. Margareta Maximiliani Archiducis Austriæ filia desponsa est Carolo filio Galliarum regis Ludouici xi. Eodem anno diem obijt Rex Ludouicus, qui longioris vitę cupidus, Diuorum, hominumque opem suæ valetudini implorauerat. Sed definitæ à Deo mortis limitem nemo produxerit.

*Coronatio Caroli octaui Galliarum Regis.*

1484. Ludouico Francorum Regi succedit filius eius Carolus octauus. Remis coronatur & inungitur.

*Maximilianus Romanorum Rex declaratur.*

1486. Fredericus Imp. Maximilianum Archiducem Austriæ filium suum Francfordiæ in æde Bartholomæo sacra, consortem imperij declarauit.

*Pestilentia Louanij & Bruxellæ.*

1489. Post motus ciuiles qui in Brabantia fuerunt, pestilentiæ morbus locis aliquot atrociter sæuijt, vt rarò alias hominum memoria sit atrocius laboratum hoc malo. Ingentem fecit in duobus oppidis vastitatem Bruxella & Louanio. Illic xxxii aut plus eo, hic xx. milia hominum, (vt alij xii.) extincta sunt.

*Niualis hyems.*

1490. Fuit hyems citra omnem hominum memoriam rigida & niualis. Iacuisse traduntur insolubiles niues vsque ad æstatis initium. Marinæ volucres in paludibus deprehensæ, minoraq; animalia intolerandis frigoribus passim interiere.

*Granata capitur. Iudaicæ familiæ eiectæ Hispanijs, Conflagrat monasterium Mittelburgense.*

1492. A Ferdinando Lusitaniæ & citerioris Hispaniæ Rege expugnata est Granata, quæ octingentis ferme annis Maurorum moribus & legibus obtēperauerat, cū maxima Christiani nominis ignominia. Eodem anno eiecta sunt Hispania centū & viginti quatuor milia familiarū Iudaicarū. Rex edicto vetuit, ne aurum vel gemmas è regno exportarent, sed cōmutatione rerum, pannum, vinum, & id genus alia ad victum pertinētia, secundū debitā æstimationē acciperēt. In itinere ex his triginta mi-

Anni. lia pestifer morbus absumpsit. Circa eundē annum Mittelburgi in Selandia conflagrauit Præmonstratensis ordinis Monasterium. Quo incendio absumpta est etiam Bibliotheca libris omnifariam referta. Visitur hodie domus eadem multò magnificentius instaurata, diceres palatium, aut regiam esse quampiam. Illic nunc præest vir, vt clarissimis optimisque maioribus, ita optimis moribus ac eruditione & facundia præditus Maximilianus à Burgundia, quem iuuenem quidem, sed tot naturæ dotibus eximium Abbatem gratulor Selandiæ terræ mihi natali.

*Moritur Fredericus tertius Imperator.*

1493. Obijt Fredericus tertius Imperator Romanus, quum annos imperasset tres & quinquaginta. Eodem anno Maximilianus ex Croatia fugauit Turcarum exercitus.

*Inauguratur Philippus Brabantiæ principatui.*

1494. Philippus Maximiliani filius annum agēs ætatis sextum decimum, Louanij Brabantiæ principatui inauguratur. In cuius verba tanto consensu ac studio ab vniuersa multitudine iuratum, vt nunquā alias maiore. Eodē anno Medicei florentia eiecti sunt, Petrus Laurentij filius hostis iudicatus, eius bona publicata, ac partim direpta.

*Lapides è cœlo cadunt, Initium morbi Gallici.*

1496. Inter Cæsanā, & Bertonoriū, tertia diei hora ad Quintū Cal Febr. tres lapides adiusti coloris, horrēdo sonitu è cœlo ceciderūt. Præcessit horū casum ingens sonitus, & velut fragor ridētis materię. Fuerūt q vnū fuisse crederēt, cęterū suo casu in partes dissiluisse. Per idem tēpus, nouū morbi gen⁹ cœpit tota Italia vulgari, sub primū Gallorū in ipsam terram descensum, & ob eam rem Gallicus est nuncupatus. Pustulæ hominum corpora inficiebant. Trahebatur morbus in plures annos. pauci pro numero ægrotantiū extincti: nec tantū in Italia, sed in alijs quoq; orbis Christiani partibus hoc malo laboratum est. Manent vsque in diem hodiernum morbi reliquiæ.

Moritur

Anni.

*Moritur Carolus octauus Galliæ rex, mense Martio.*

1498.

Fato consumptus est Rex Gallorum Carolus octauus, is qui paulò ante Italiam cum exercitu ingressus, & Romam venerat nolente ac mœsto Pontifice, & Neapolim vltro sibi deditam intrauerat. Successit huic Ludouicus Dux Aurelianensis. Eodem anno Ioannes Stādonc patria Mechliniēsis, vir & literis Theologicis, & morum sanctitate insignis, Louanij collegium pauperum instituit, quod ad sui institutoris nomine Standonicum vocatur. Qui hic alūtur iuuenes, primum Philosophiæ, deinde sacris literis non segnem operā impēdunt. Complures in hoc contubernio euoluēdis orthodoxorum voluminibus adeò assiduam operam dederunt, vt doctissimi euaserint, alijque ob egregiam doctrinam vocati ad Ecclesiarum Præfecturas, alij ad alios honores, dignitatesq́, per Principes viros assumpti sint. Nihil dico de studio pietatis, vigilijs, ieiunijs, precationibus, alijsq; consimilibus progymnasmatis, quibus sacerdotium meditatur hæc iuuētus. Familiæ sanctæ institutor Lutetiæ Parisiorum decessit anno salutis humanæ 1504 sepultus in sacello collegij Montis acuti, vbi etiam ipse pauperum iuuenū sanctis studijs vacantiū instituerat cœtum, qui vt vetustior, ita etiam Louaniensi est multò numerosior.

*Nascitur Carolus.*

1500.

Gandaui in Flandria Philippo Archiduci Austrię, natus est filius, mense Februario pridie Mathiæ, qui circa decimum quartum Martij Baptismo admotus, Caroli nomen accepit. Eodem anno aquæ ingentes Louanij fuerunt, & Dilia loca plana vrbis inundauit, quædam etiam collapsa ruinis sunt.

*Guttæ sanguinis cœlo cadunt.*

1501.

Signum dominicæ crucis, coronæ spineæ, trium clauorum similitudo, Guttæ sanguinis cœlo deciderunt. Interdum etiā intra domos & cubicula, ea delapsa, mulieres sæpe dies aliquam multos in ricis suis circumtulerunt. Hæc & his similia in sublimi vel in terris apparentia, significant iram Dei imminere hominibus

Anni. Anno eodem, die festo diuisionis Apostolorum, Philippo archiduci nata est Bruxellæ filia Elizabet. quam alij è Gallico deducta voce Isabellam nominant. Anno eodem Theologi Moguntinæ scholæ prouocati exemplo doctorum Parisiensium & Coloniensium, decreuerunt sentiendum, credendum, & modis omnibus defendendum esse virginem deiparam nunquam originali subiacuisse peccato, sed singulari quodam priuilegio præseruatam ab altissimo domino.

1502. *Pestilentia.*

Tota Germania morbus pestifer inclementissimè sæuijt. Præmonstratum malum, vt quidam opinati sunt, per cruces, quæ non multò ante in vestes hominum è cœlo ceciderunt. Eodem anno postridiè Palmarum Bruxellæ in Brabantia quidam traditus est ignibus, qui negabat Mariam Iesu matrem à partu inuiolatum permansisse virginem.

1503. *Sicca æstas, Mors Alexandri sexti Pont. Conflagratio Herdervvici in Gelria.*

Asperrima hyems fuit, quam sequuta est calida atq; adeò sicca æstas, vt per totos quatuor menses pluuia terram nõ humectauerit. Periere hinc in agris sata læta bonumq; labores, hinc orta est magna rei frumentariȩ caritas, hinc data neci aliquot porcorũ milia. Per idẽ tempus vita decessit Alexãder sextus Ro. Pont. anno à creatione sua vndecimo. Narrant quidã veneno interijsse, quod filius eius ex Cardinalibus vni parauerat, sed pocillatoris errore factũ esse, vt Pontifex biberit. In eundem annum incidit miserabilis conflagratio Herdervvici oppidi Gelriæ pridie Cal. Aug spatio trium horarum, templa, cœnobia, & priuata publicaque ædificia multis arduisque tabulatis ædita omnia conflagrarunt. Adeò late hoc est euagatum incendium, vt toto oppido vix quinque aut sex priuatȩ domus reliquæ manserint. Hominum qui partim fumo eiecti sunt, partim ruinis tectorum perierunt, traditur fuisse numerus M. D. Eodem ferè tempore Gorici oppidulo Hollandiæ

subi-

subitò igni ducentæ, & pago quodam Vvestflandriæ domus quadringentæ arserunt.

Anni. 1304.

*Monstrum Dauentriæ natum.*

Post conflagrationem Herdervviciam Dauentriæ mulier quædam enixa est filias duas ventre vno, & corporis medio à pectore coniunctas, cæterum capitibus duobus, brachijs quatuor, ac pedibus totidem. Eodem anno in Brabātia, & locis finitimis, vesperi sub horam decimam pridie Bartholomæi accidit terræ motus, qui tamen nostratibus populis nullum cladem attulit. Nemo extra domos vitæ periculum adijt, nusquam corruerunt ædificia, nusquam radicitus euulsæ arbores, nemo oblæsus, nemo oppressus tectorum ruinis.

1506.

*Initium Francfordiensis scholæ. Cometa luxit. Philippus Castellæ Rex moritur. Arx quæ vulgò Proyen dicta obsidetur.*

Initium cœpit Francfordiense Gymnasium in Germania superiore. Condidit Ioachimus Brandenburgensis Marchio, & Princeps Elector. Confirmauit & certis dotauit priuilegijs Iulius 2. Eodē anno Cometes apparuit mense Augusto, visus per dies octodecim. Hunc Septembri proximo sequuta est mors Philippi Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ & Brabātiæ, Maximiliani regis Germanorum filij. Quem Principem omnium optimum fortuna terris ostendit, sed heu facinus ostendit tantum, ac protinus subduxit. Postquam huius viri mortem fama vulgauit, incredibilis repente Brabantiam cæterasque regiones socias luctus occupat. Neque vlli sanè Burgundicæ ditionis mortales fuerunt, qui non eiuscemodi nuncium lachrymis multis exceperint, qui non tanquam in propria doluerint orbitate. Erat enim omnium bono natus princeps omnibus prospicere, omnibus cōsulere huic vnum erat studium. Patrię commodum, suum ducebat esse lucrum, libertate ciuium delectabatur, nihil æquè studebat quam pacem publicam reddere perpetuam: & recte. Nam ex bello semel omnia reipublicæ mala proficiscuntur. Anno eodem nostrates obsederunt arcē Proyam quæ sita proximè

mè Mosam, inter Goricum & Buscumducis oppida Hūc locū opere & natura munitissimū, audacissimi improbissimiq; homines quū occupassent, incredib li dictu, quantū negotiatoribus nostris illac ad mercatū proficiscentibus damni intulerint. Nihil enim aut flumine, aut vehiculis præteruehi potuit, quod non statim intercíperent isti, quorum iniurijs euocati primum Hollādi arcem obsidione cingunt. Gelriæ princeps, his quin in arce erant laborantibus succurrere, & obsidione eos cupiebat eximere. Sed hostium territus multitudine palam id facere non audebat. Ad insidias igitur animum adijciens contractas vndique copias ductabat. In castris interim Hollandorum, fama erat, cum exercitu minimè cōtemptibili aduentare Gelrum. Territi Hollandi relictis impedimentis, & pedibus suis nouos calceos promittens, in fugā sese conijciunt, quod eo fœdius erat, quia sub duce tam strenuo, & in armis diutissimè versato Egmundensi stipendia merebant. Conatus est ille fugientem retinere multitudinem. Sed ab insueto & rei militaris imperito vulgo, nec ducis exhortatio, nec per patriam obtestatio, impetrare potuit, vt deposito metu in obsidione perseuerarent. Relicta sunt illis vasa omnis generis, lecti quoque adeò multi, vt ijs fossam repleri potuisse quidam scripserint. Nunc sapientes & Philosophis dicant prȩstare, ouiū agmē duce leone, quā leonum oue duce, quum princeps longè sapientissimus, dux clarissimus, tam mollē atq; inermem militem in castra & tentoria reducere non potuerit. Ab hac Hollandorum obsidione iam vnus exierat annus, quum Buscoducenses ad hanc ipsam arcem oppugnandam venerunt. Quibus sic animatis, à Cæsare Maximiliano, missus est comes Antholtus vir, in re militari exercitatissimus, cui totius belli summam permitterēt, cui exercitus suos, & equitum alas Buscoducenses concrederent. Arcem præsidio munitam quum aliquandiu oppugnasset Antholtus, capere eam propter obiecti aggeris non potuit miram altitudinem. A Buscoducensibus igitur nouum tormentorum genus excogita-

Anni.

cogitatum est, quod mortalium vocabunt, ijs instrumentis, pila & grauissimas saxorum moles in altum eijciebant quæ quoquo modo destinauerat hostis deciderent, vnde factũ vt paucis diebus arcis tecta omnia, ac deinde tabulata corruerint. Hic Snevvingus arcis dux ruina trabis, cui forte substabat opprimitur, ac tunc demum principis casu perculsus miles, qui arcem tuebatur, de ea dedenda cœpit cogitare. Eo enim iã deducta res erat, vt nusquã tuti nisi in penarijs & subterraneis locis essent obsessi. Facta est deditio his conditionibus vt Gelri milites cum singulis vestimentis incolumes abirent, nostrates transfugæ omnes suspendio mulctati sunt. Deditam sibi arcem Buscoducenses diripuerunt, direptam solo æquarunt, ne in posterum esse posset sceleratissimorum hominum receptaculum. Est hoc loco victor egregiã nactus prædam, quotidianis enim rapinis, multa victi in arcem comportauerant.

*Oppidum Thenense capitur.* 1507.

Dux Gelriæ Carolus, qui iam pridem in verba Regis Maximiliani de pace seruanda iurauerat, rupta cõcordia bellũ Brabantis intulit Oppidũ Thenense cepit, & captum diripuit, viribus adiutus Gallorum Regis, qui iam inde ab obitu Philippi, Burgundicę domui hostis esse cœperat.

*Angliæ Rex Caletum venit bellum Gallo illaturus.* 1513.

Henricus octauus Angliæ Rex cum valida bellatorum manu Caletum traiecit, bello adorturus Gallię populos. Illuc argenteo & auro, quod ingens secũ aduexerat, non modo Cæsarẽ Maximilianũ, sed omnem quoque Brabantiæ, Flandriæ, & Hollandiæ nobilitatem ad se iuuandũ pertraxit. Lectissimum equitatum ac pedites complures è Gallia missos, qui Morinos, quos obsessurus hostis putabatur commeatu leuarent, Maximilianus partim occidit, partim in fugam compulit, ex quibus trecenti quinquaginta capti, inter quos & nobiles aliquot regni Gallorum fuerunt. signa bellica nouem amissa, currus onerarij centũ quinquaginta abducti.

Post

Anni. Post hæc Romanus & Anglus magnanimi Principes duo. Morinos quam gentem præsidio firmauerat Galliæ Rex Ludouicus, omni armorum genere expugnare adorti, murorum partem deiecere. Atque hinc cum ingens terror ciuitatem inuasisset, facta deditio est hac lege, vt miles vi abstineret. Ingressus Cæsar Anglo cessit vrbis imperium. Postea deditum est & Tornacum. Huius oppidi ciues permulti, ne militarem diutius feritatem pati cogerentur, nouas sedes in Flandria & Brabantia quæsiuere. Henricus huius vrbis à Cæsare Imperio sibi relicto, incredibili sumptu arcem intra muros extruxit, multis inclusis ædificijs. Hic præsidium habuit perpetuum, donec post aliquod annos Gallo vrbs reddita est, quæ nunc paret Carolo Cæsari, adempta iterum Gallo per nostrates exercitus. Quo tempore bellum Anglus cum Gallo gerebat, in prouincia Morinorum, Iacobus Rex Scotiæ à Rege Galliarum, vt quidem putant, mercede conductus, Angliæ fines ingressus, cæde, incendijs, ruinis, direptione omnia miscuit, omnia terrore impleuit, donec Reginæ studio contractus exercitus antequam interior Anglia vreretur ei occurrit. Atrox præliū committitur. Scoti regem suum dum acerrimè ante signa pugnat circumuentum amiserunt. Victor Anglus ad sua reuertitur.

1514. *Obitus Ludouici xij. Francorum Regis.*

Decessit Ludouicus duodecimus Franciæ Rex, Et Henrici octaui Anglorum regis soror, quæ Ludouico nupserat, in Angliam reuecta est, vbi postea non multum claris ortum natalibus virum accepit. Eodē anno Tornaci milia hominum triginta quatuor pestifer morbus absumpsit.

1515. *Carolus Brabantiæ principatum suscipit.*

Carolus Philippi filius Louanij quemadmodum pater, auus, & proauus fecerant, celebratis conditionibus & statutis, ac obseruandorum priuilegiorum facta confirmatione, Brabantiæ principatum suscepit, non vnius tantum orbis, sed & omnium nostratium prouinciarū gaudio incredibili. Anno eodem huius Caroli soror

Maria,

Anni.

Maria, auecta est in Hungariam, nuptura Ludouico Hungarorum & Bohemiæ Regi.

*Classis ex Hollandia in Phrisiam.* 1516.

Centum naues ex Hollandia in Phrisiam applicuerunt ad soluendam Levvardiæ obsidionem, quæ vrbs tum ab incolis vicinis premebatur. Hi accepto nostratium aduentu, trepidi retro abierunt.

*Oppida quædam Hollandiæ Gelrus occupat.* 1517.

Durante adhuc bello Gelrico, Fœlix Comes incensis Gelrorum nauibus, arcem quandam eorum munitissimam vi cepit, vnde nostratibus multum antea incommodauerant. Sub idem tempus Carolo Principe agente Mittelburgi, vt hinc secundo vento in Hispaniam traijceret, Gelri cum equitatu validissimo, pedestribus etiam copijs Hollandiam ingressi, cæde, incendijs, ruinis omnia miscent. Oppidum Medelblicum vi captum, diripiũt hostiliter. Processum est inde Alemariam, qua vrbe occupata, immensum argenti pondus & auri, vestes pretiosas aliaque permulta secum auexerunt. Hinc Sparendanum, hinc & alia quædam loca sunt incendio absumpta. Postremò ad oppidum Asperam ductus exercitus, mœnia ter conscendit, toties repulsus à ciuibus. Mille iam & quingenti in Gelrorum copijs desiderabantur, quum occupata & vi capta vrbecula, viros cum vxoribus & liberis, alios ferrum, alios confecit hostica rabies. Sunt & templa Diuorum, ad quæ plerique confugerant, humano fœdata sanguine. Adolescentes in scholis reperti suis, necati. Ad cunas quoque puerorum vagiensium desæuijt crudelitas, inter promiscuas cædes hoc edito diri furoris exemplo, infeliciter natæ virgines, mulieresque, etiam ab raptu hostilia passæ sunt.

*Marani à Carolo Hispaniarum rege victi.* 1518.

A Carolo Hispaniarum Rege, contra Maranos missus exercitus, validam in ea gente vrbem cepit, ac deinde occidit quadraginta Barbarorum milia. Secundum hanc victoriam Carolus auo suo Maximiliano Cæsari adempta hostibus magni pretij vexilla duo transmisit.

Eodem

Anni. Eodem anno Louanij, regione qua Distemium itur, incendium vidimus ortum, quod multa priuata ædificia comprehendit. Idem annus insignis est icto fœdere inter Leodinos & nostrates Prouincias Missus est ad eam rem perficiendam Gulielmus Ceurius pueritiæ Caroli nostri formator optimus , & vir longè prudentissimus.

1519.

*Maximiliani Cæsaris obitus, & gesta per eum bella.*

Cæsar Maximilianus fatalem diem obijt in Germania superiore, quum esset ingressus annum ætatis sexagesimum tertium. Quod vt palam factum est hac nostra inferiore Germania luctus ingens, atque mœstitia per omnes fuit ciuitates, quibus ob clementiam, placabilitatem, voluptatum omnium abstinentiā virtutesque alias, fuerat longè charissimus hic princeps, cuius vt vitæ velut summam partem proponā, continuos ix. annos in castris agēs difficillima quinq; bella profligauit Gallicum, Eburonicum, Sicambricum, Batanicum, Morinicū Hic nobilissimæ gentes, hic scientissimi bellicæ rei populi, hic vrbes opulentissimæ, ad deditionē & pœnitentiam ab eo compulsæ sunt. Quale nihil socer Carolus, nihil prosocer Philippus, excellentissimi duces vnquam consequi potuerunt. Quot hyemes sub pellibus egit? quot sudauit æstates? quis vnquā eo solertius castris locum cepit? commeatus expediuit? hostem ludificatus est. Nullum huic castrense munus sorduit. Quoties pro signis ipse stetit? quoties egit sorte excubias? quoties vallum tulit? quoties speculatum egressus est? Neque verò postremum inter huius laudes viri ponendum, quod literas & ingenia tam impensè amauerit, quodq; bonas artes nō fouerit modo sed aluerit, atque promouerit. Iuuentutem nemo religiosius, nemo innocentius, nemo vnquam sanctius exegit, nemo fuit vnquam patri obsequentior filius. Auxit huius mortui desiderium principis.

1520.

*Carolus Rex Romanus eligitur.*

Maximiliano Carolus, auo nepos succedit, qui quo tem-

tempore est electus, Rex Romanorum in Hispanijs agebat, vnde per legationem euocatus anno millesimo quingentesimo vigesimo in Flandriam applicuit, sub Cal. April. Partim hic, partim Bruxellæ & Mechliniæ postquam transegisset æstatem, cum omni fortunæ suæ strepitu, mense Octobri Louanium venit. Qua in vrbe dies circiter xx. commoratus, Aquisgranũ proficiscitur, vbi exquisitissimis honoribus acceptus, & Imperij donatus insignibus, Coloniam, inde Vormatiam Vangionum se contulit. Nullus vnquam studio maiore, & ciuitatum luxu cultus est, nulli plura exhibita sunt spectacula Vormatiæ celebri conuentu Germaniæ Principum, qui ad eius Edictum huc conuenerant, damnata est Lutherana hæresis. Prius tamen tentatum est modis omnibus, partim minis, partim blanditijs, vt suos libellos quos agnouit omnes Lutherus Cæsareæ submitteret maiestati. Id vbi non quitum est impetrari, per caduceatorem Cæsaris publica fide Vvittenbergam reductus est, dato ad hoc viginti dierum spacio. Mox ex mandato Cęsaris siue consulẽtibus alijs, siue propenso quodam Christianæ fidei studio, libri Vormatiæ combusti sunt.

Anni.

*Mors Guilielmi Croij Archiepiscopi Toletani. Initium belli Gallici. Obitus Leonis x. Pont. & electio Hadriani sexti.*

1521.

Tenente conuentu Vormatiensi, Carolus amisit aulæ suæ duo præcipua ornamenta, Guilielmum Croium Archiepiscopum Toletanum cardinalem, & huius patruum Gulielmum Ceurium. Ille Ianuario mense perijt, veluti flosculus tener in ipso exortu succisus, nõdum enim egressus erat annum vigesimum tertium. Hic sed natu grandior, Maio insequenti naturæ concessit. Cui viro si vita diuturnior contigisset, aut nunquam susceptũ (erat enim pacis amantissimus) aut celerius confectum fuisset bellum, quod exarsit postea inter duos potentissimos orbis Christiani principes Carolum Cæsarem, & Galliarum regem Franciscum, Cuius initio belli nostrates subito accessu occupatis-

patis Gallorum aliquot oppidulis, cum ingenti exercitu ad Masserias armis vindicādas profecti, aliquot eam hebdomadas obsederunt. Locus vi defensus capi non potuit, suburbana tantum tecta direpta sunt & incensa. Ob dissidium Ducum hanc solutam esse obsidionem inuenio in Chronicis nostrate lingua conscriptis. Vt alij tradunt oppidum diu obsidione cinctum, ac spe iam præpropera deuoratum, nostri Gallorum Regis aduentu relinquere coacti sunt

Eodem anno mense decembri, Leo huius nominis decimus Pontifex Max. Romæ moritur. In cuius demortui locum Anno Christianæ redemptionis millesimo quingentesimo vigesimo secundo mense Ian. cœli Prouidentia orbi Pontificem dedit Hadrianum Florentiū Vltraiectensem, ab Vltraiecto insigni Hollandiæ oppido, Cardinalem sanctorum Ioannis & Pauli, eximia sacrarum literarum doctrina, atque omni virtutum genere ornatissimum virum: quem adhuc in minoribus agentem Cæsar Maximilianus Caroli nepotis pueritiæ formatorem Louanio asciuerat. Habuit orbis noster hunc primum Pontificem Romanum à Petro. Estque vocatus Hadrianus sextus, nomine seruato quod olim in Baptismo acceperat. Quum Romę eligeretur magno Cardinalium consensu, agebat is tum in Hispanijs: regnorum Caroli Cæsaris gubernator, aberat enim Carolus ob negocia imperij Post octo deinde menses Romam veniens, hic sanctissimus orbis terrarum parens, maximo totius vrbis gaudio, pridie Cal. Septem coronatur. Sub cuius appulsum ingens exorta pestilētia durauit ac sæuijt hyemē vnam In hoc Pōtifice nimis illud verum esse ostensum est. *Omnia in humanis quo meliora, eo minus diuturna esse.* Nam vt optimus erat eius Pōtificatus futurus, ita breuissimè effluxit. Moritur enim altero suæ administrationis ineunte anno. Extincti corpus illatum templo Petri Apostoli sepelitur, medium inter duos Pontifices appellatione Pios, Secundum, qui Aeneas Syluius antea dictus, & Tertium, quem Sexto Alexandro suffectum, viginti sex dies, non amplius Ponti-

ficem

ficem nostra vidit pueritia. Hadrianus domum suam Louanij magnificè extructam, in vsum vertit sanctis literis studentium, iisdem in alimoniam relictis etiam prouentibus annuis. E regione Pontificij collegij habitat familia Standonica, quam vt alio loco dixi, Ioannes Standonc, vir haud minus virtute quam eruditione pollens, nō suis opibus quas nec habuit, nec habere voluit, sed illustrium aliquot virorum eleemosynis adiutus instituit. anno Domini M.D. Sunt ab eodem alia duo studijs Philosophiæ insudantium iuuenum erecta collegia, vnum Mechliniæ, Valencenis alterum.

*Rex Danorum in Selandiam venit.* 1522.

Rex Danorum Christiernus patria profugus, in portu qui vulgò Coppenhauen dicitur, cum vxore Isabella & libris nauem ascendit, & vento secundo in Selandiam delatus. Veriæque primum conspectus excipitur à Principe eius loci Adolpho Burgundo. Post dies non multos, quibus in aula Veriensi perhumanè tractatus est, Mechliniam proficiscitur. Nobilitas illi obuiā prodijt, magnaque veneratione exceptum, insigni pompa in aulam ducalē induxit. Exactis iam annis aliquot, in locis & oppidis nostratibus Regina Isabella vxor eius apud Flandros in languorem incidit, quo postea breui maximo viri sui dolore cōsumpta est & sepulta Gandaui in cœnobio Diui Petri ante arā maximam. Fata credo voluere, vt quæ vrbs nascentē Carolum fratrem vidisset, eadem quoque sororis amantissimæ cineres haberet.

*Rhodus capitur à Turcis.* 1523.

Rhodus imperij Christiani antiqua propugnatrix, Tyrāno Turcarum Solimano dedita est. Cuius nobilissimæ vrbis semper lugendam deditionem, qui fando, audiendove temperare à lachrymis potest, mea quidem sententia, vel Christianus non est, vel parum nouit quandum Rhodiana victoria Turcarū vires auctę sint, & nostræ accisæ. Verùm nunc omnes querelæ etiam necessariæ seræ sunt aquæ ingratæ, quando quidē Occidētis Principes, quos neque obsidio primum, neq postea

 exci-

Anni. excidium mouit, poti sunt calice furoris, indignationis, & iræ Dei.

1525. *Franciscus Gallorum rex apud Papiam capitur, Cæsar Carolus vxorem ducit.*

Franciscus huius nominis Gallorum Rex primus, in Italia apud Papiam à Caroli Cęsaris exercitibus memorabili prælio victus capitur. Annus ille his in verbis reperietur. *Carolus benedictiones accepit à domino, & robur à Deo salutari suo* Eodem anno Carolus Cæsar mensis Martij vndecimo die, Isabellam Emanuelis Lusitanorum Regis filiam, eius qui nunc regnat sororem apud Hispalim Bethicæ vrbem Hispaniæ in matrimonium accepit, eos Saluiatus Cardinalis, summi Pontificis Legatus, stabili iunxit connubio. Ex eadem coniuge Carolus nunc benignitate Dei virilem stirpem habet.

Per idem ferè tempus Gallorum Rex cum aliquandiu captiuus in Italia fuisset, tandem naui impositus, ad Cæsarem in Hispaniam perducitur, quem ille non vt hostem, sed vt Regem & hospitem penes se habuit. Atque exacto vnius anni spatio pacem cum eo fecit. Conditiones pacis hoc habuerint; vt Gallus Cæsari Neapolim, Mediolanum, & Genuam in Italia, in Belgio Atrebatum & Tornacum cederet, Burgundiæ Ducatum restitueret, Omnia Flandriæ iura, & Arthesiæ in Carolum & huius posteritatem transferet, Hesdinum redderet, omnes suos dominatus & possessiones reciperet Dux Borbonius, redderentur quos ex Cæsarianis captiuos Gallus haberet. Est præterea in fœdere disertè scriptum, vt Gelriæ Dux ad supremum vitæ diē eius terræ dominus esset, à cuius morte ius vniuersum ad Cęsarem Carolum deuolueretur. Et si Gelro liberi ex legitima vxore contingerent, eos Carolus alijs prouentibus annis ditandos cohonestandosque susciperet. Item Galliarum Rex classem, sexcentos equites, & peditum sex milia, in semianum suo semptu aleret, proficiscenti ad Italiam Cæsari. Duceret etiam vxorem Leonorā Portugaliæ viduam, quæ Caroli soror annos nata erat plus minus viginti octo, quum hæc agerentur

Anni.

tur in Hiſpanijs Leonora dotali nomine acciperet ducenta milia coronatorum, & comitatus Maldouienſem, Ceſſorium, ac Barenſem. Ea omnia niſi intra certum tempus præſtaret, in cuſtodiam vnde emitteretur rediret: ea ita futura obſides daret, quos & dedit duos ex filijs natu maximos. Ita Franciſcus ex Hiſpania in Franciam redijt. Cæterum quæ his conditionibus facta pax eſt, non diu tenuit. Nam reuerſus domũ Gallus summopere bellum reparauit, miſſo cum exercitu non contemptibili in Italiam Rege Nauarræ, qui aſcitis in belli ſocietatem Venetis, terroris ac prædæ omnia compleuit. Venetus, ſexaginta nauium inſtructa claſſe, ad Siciliam vi occupandam mare ingreditur. Sed nauium ille apparatus in Freto Adriatico perijt, atrociſſima tempeſtate claſſe diſiecta, cum ingenti hominum pernicie. Nec ſic quidem vrbs quæ ſucceſſum & potentiã Cæſaris in Italia metuebat, tanta accepta clade quieuit, contracta enim repente quadraginta armatorum milia Romam ire iubent, cum quibus & Gallorum copijs, quæ ſe Veneto iunxerant Cæſareani congreſſi egregiè vicerunt, experti hac pugna ſi vnquã antea, non in multitudine eſſe victoriam belli. Numero enim longè inferiores erant. Hoc loco ex Venetis cæſa traduntur viginti hominum milia. Ceciderunt ex Gallis plerique viri illuſtres.

*Hungaria vaſtatur à Turcis.*

1526.

Latius Turcarum arma vagata ſunt intra Hungarię fines, quam Chriſtiani nominis Regibus decorũ eſſet. Hoc tempore Ludouicus Hungarorum Rex cum fidei hoſtibus conflixit, ſed militum numero longè inferior, & à ſuis, vt quidem tradunt, etiã proditus tandem fugere cogitur, dumque fugit in paludes coniectus, profundo limo cum ipſo equo hauſtus eſt. Cadauer eius poſtea inuentum, Viennæ Auſtriæ vrbe ſepelitur, in æde Protomartyrij ſacra. Pręſenti ſucceſſu ferocior factus hoſtis, quæ ante pugnã non adierat loca peruaſtauit, non hominibus, non iumentis, non pecoribus, non arboribus infelicibus frugiferiſve, non ſatis ipſis, non tectis pepercit.

*Roma capitur à Cæsarianis, Haga Hollandiæ diripitur à Gelris.*

1527. Erat annus redempti orbis M. quingentesimus vigesimus septimus, cum mēse Maio Carolus Borbonius Dux per Senam Italiæ vrbem iter faciens, Romam properaret, cum Cæsarianis exercitibus. Iam non longè aberat à mœnibus quo tempore ad Pontificē misit, qui significaret, vt militem alimentorum inopia laborantem intra vrbem reciperet, eos non vt hostes, sed vt hospites omnia facturos. Negat Pont se admissurum Italiæ populatores. Hoc cognito & accepto responso, Borbonius vt suos animaret, primus schalas vrbi admotas, conscendit, quodq́ue dolendum fuit, eodem temporis momento bombarda ictus decidit, & nō multò post obijt. Huic succedēs Princeps Arangius vir militari virtute & prudentia magnus, militem ad tentanda mœnia hortatus, Romanos oppugnat, tamdiu se strenuè defendentes, quoad exorta densior nebula nostrorum eis conspectum eripuit. Ita pridie Nonas Maias vrbs capta est, olim totum quę ceperat orbem. Victor miles ingressus, recta ad Pontificias ibat ædes, hic enim se Pont inuenturos putabant, sed ille in arcem munitiorem concesserat, S. Angeli dicitur. Media igitur vrbe edita cædes ingens, ab irato hoste maximè germano, cui hominum generi inuisum iam annis aliquot Ecclesiæ nomen est. Perijt hoc loco Cardinalium vnus, qui probè instructus armis furenti se victori obijcere ausus fuerat. Ab hac cæde vrbs direpta est, & quicquid in domo Pontificia preciosæ rei inuentum, abstulit hostis. Iam & arx ipsa vbi Pontifex erat, obsideri cœpta, quumq́ue dies triginta & plus eo præsidiarij nostros fortiter tulissent, & obsessis omnis præcisa spes esset futuri subsidij, Pontifex ad Nonas Iunias, vt alij scribunt ad decimum eius mensis diem, cum ducibus copiarum colloquutus deditionē fecit. Eodem tempore cessit, & oppida aliquot Cæsari, quæ Arangij studio postea validis sunt firmata præsidijs. Promisit etiam se adnumeraturum quadraginta milia coronatorum ad persoluenda militibus

stipen-

ſtipendia. Cæſarianis ita in arcem admiſſit, pontifex, & qui apud eum Cardinales erant, Caietam abducti ſunt. Quibus ſeruandis datus eſt princeps Alarconius, donec à Cæſare nuncius veniret, vnde quid fieri ille vellet. dilucidè cognoſceretur. Cæſar de vrbis direptione factus certior (nam hoc inſcio patrata omnia) vehementer doluit, & Pontificem cuſtodia dimitti iuſſit.

Hic dicam de Borbonij Ducis defectione à Rege Gallorum, quam huiuſmodi fuiſſe accepi. Carolus Borboniæ Dux, patre natus Gilberto Borboniæ, & Aluerniæ Comite, prudentia multa, & militari gloria vir inſignis; quum Suſannam vxorem amiſiſſet, quæ Petri Borboniæ Ducis, & Annæ Ludouici Francorum Regis vndecimi filia fuit, orta eſt ei contentio de Borbonico ducatu, cum Ludouica matre Franciſci, huius nominis primi Regis, hac genus ſuum referēte ad Carolum Claremontis quondam principem, ac Borboniæ ducem, illo aſſerente ſe Borbonici ducatus ex paterna ſucceſſione hæredem legitimū. Ad quæ accederet etiam quod Suſanna moriens in virum ſuum pleno iure Ducatum tranſtuliſſet. Hac lite & controuerſia adhuc durante, Rex Franciſcus voluit, vt Ludouicam Carolus vxorem duceret, cumque videret huc adduci illum non poſſe, minari cœpit niſi obtemperaret, fore vt grauiora pateretur, qua Regis oratione offenſus Borbonius, vno ſecū aſſumpto fideli famulo, clam relicta patria in Hiſpaniā ad Cæſarem nauigat, à quo benignè exceptus, non ſolum in eorum qui à concilijs ſunt aſciſcitur ordinem, ſed exercitibus etiam qui tunc temporis in italia erant, præficitur. Ad quos profectus in delegato ſibi munere adeò ſtrenuum ſe exhibuit, vt non modò ex Mediolanenſium, ſed etiam Italiæ finibus Gallicas eiecerit phalanges, & rege apud Ticinum capto atque in Hiſpaniā ad Cæſarem abducto, Italiæ vrbes imperium accipere coegerit, & orbis etiam caput Romam ſuis expugnandum dederit, quod vltimum fuit operum eius in terris. Nam vrbis mœnia dum oppugnantur, ipſe bombarda ictus ex vulnere poſtea obijt. Hic illi humato factus eſt

titulus. Deuicto Gallo, aucto imperio, Pontifice obsesso, Italia superata, Roma capta, Borbonij hoc marmor cineres habet. Eodem anno ob rebellionem Vltraiectensium contra suum Antistitem, qui priuilegia quædam illis ademerat, cum Gelriæ Duce propterea quod rebellantem populum præsidijs militaribus, & armis iuuaret, nouum susceptum est bellum. Vltraiecto exclusus Episcopus Dorestati manebat. Milites interim quos Gelriæ dux Vltraiecti collocarat, contractis pluribus schaphis vsque ad Hagam Comitis nauigant, & relictis qui nauiculas seruarent, cæteri omnes Andreæ Apostoli cruce vexillis & vestibus affixa, Burgundos se mentiti, quum in forum venissent, edita hac voce, viuat Gelrus, viuat Gelrus, ad diripienda ciuiũ bona discurrũt, multaq; omnis generis supellectile, multaque vi auri & argenti, in fluuiales cymbas illas, quibus venerant, delata, multis quoque abductis inde captiuis, prædá onusti Vltraiectum redierunt, videntibus id Hollandiæ oppidis, & ferẽtibus hic viris, quod in alia quapiam gente Bellicosa non tulissent fœminæ. Inter hæc à Gelriæ Duce renium occupatum, & arces quædam, hisque præsidia imposita. Non multo post Georgius Schẽgius Phrisiæ pręses, vir militari gloria hoc nostro seculo insignis, obsedit Asletum Cæsaris nomine: cum eo fuit Comes Empidus. Oppidulũ multa vi sæpius oppugnatum, sed maiore aliquanto defensum. Vbi ab his qui obsidione tenebãtur, fame laborari cœptũ est, nostris aperitur ac deditur. Inde ipse & Iselsteymus, cui vt militaris disciplinæ scientissimo viro Cęsaris copiarũ imperiũ datũ erat, progressi Hattenium vi ceperunt. Arx deinde declita est. His auditis Hardervvicenses, & ipsi paulò post imperium accepere Reniũ quoque quod Gelrus occuparat receptum est, & temperatum vbique ab iniuria Ducum hac clementia factum audio, vt multa alia oppidula, & arces nostrorum se potestati fideique permiserint. Post paucorum dierum quietem cum valida bellatorum manu à nostris Tiela obsideri cœpta est. Excepere magnis animis Tielenses

lenses tantam belli molem; exceptam suis & præsidij ab Duce accepti viribus nixi. fortiter tulerunt. Isselsteymus post multos conatus spe potiundi oppidi abiecta, inde copas abduxit.

Anni.

*Gelri cæsi à Buscunducensibus. Traiectum à Cæsarianis occupatum.*

1528.

Ex Furemunda & Venloa oppidis Gelriæ ciues, cumque ijs è pagis plurimi, subitò tumultu die festo Pentecostes amnem Mosam transgressi, Buscoducensium fines irrumpunt, agrumque rapinis & incendijs fœdant. Hoc cognito Theodoricus Batenburgensis, vir bellicę rei nō imperitus, occasionē adeptus rei bene gerendæ Buscoducis, vbi tum erat finitimis è locis magna comparata armatorum manu, nec minori rusticorum omnis generis Gelrum adortus, & fustibus, & telis percutit pars ensibus aut hastis prostrati ceduntur. Consternctio ingens oritur. Gelri non Ducis sui imperium, non iussa exaudire, discurrunt alius alio, magis fugæ quam pugnæ memores. Fit inde aperta fuga, fugientes illos nostri vsque ad Mosæ ripas sunt sequuti. Theodoricus victor commeatu qui multus hoc loco à fugientibus relictus erat, item bombardis, colubrinis alijsque machinamentis Gelrorum inde auectis ouanti similis Buscoducum victrices reduxit copias. Eodem anno pri die visitantis Mariæ, cum non multò post solis ortum Vltraiecti vigiles è stationibus suis decessissent, & iam paterent ciuitatis portæ ingredi egredique volentibus, Episcopi copiæ ex improuiso irruperunt, quibus ad cænobium vsque Minoritanorum ingressus, obijcientes se Gelri, partim cæsi, partim capti sunt cum Ducibus suis. Direpta inde eorum bona, qui Gelri partes sequuti fuerant. Loci Antistes de vrbe occupata factus certior, venit & ipse, cuius est iussu publicè animaduersum in ciues duodecim, qui tumultus & rebellionis auctores fuisse credebantur, nec sæuiendi fortasse hic finis erat futurus, nisi Antonius Comes Hoochstratanus, vir prudens & minimè sanguinarius ex vicino oppi-

Anni. oppidulo huic subitò accurrisset, cuius aduentu, omnis quieuit superior tempestas. Per idem tempus Antistes accepta pensione annua Cæsari Carolo cessit Vltraiectum, & cætera loca omnia, quæ antea ipse & sui præsessores possederãt. Vltraiecti vt ciuili sublato dissidio, in posterum pacate viuèretur, ad Catharinæ portam Cæsaris iussu extructa arx est, perpetuo militum præsidio ad continendos in officio & fide ciues. Hic finis belli fuit cum Gelro gesti. Pax coiuit Gorcomij in Hollandia & postea iureiurando confirmata est Mechliniæ in æde Apostolorum principi sacra.

1529. *Veneti & Galli à Cæsarianis fusi. Pax Cameraci composita, Obsidio Viennæ, Morbus sudatorius.*

Veneti, vt Cæsaris Caroli potentiam comminuerẽt, resumptis armis ad Neapolim occupandam profecti sunt, habebant sub signis quinquaginta armatorum milia hunc numerum auxit Gallorum aduentus. Cæsariani audita eorum appropinquatione, nocturnis horis summo silentio egressi, cæsis vigilibus hostium castra inuadunt, & priusquam somno experrecti arma capere potuerunt, funestam Gallo Venetoque pugnam fecere. Et postea totis vtriusque partis viribus in aciem descensum, & subitò Ferdinandi Regis ad Cæsarianos superuentu, in prælio, & mox in fuga, multa hostium milia aut cæsa sunt aut capta. Ea clade Rex Franciscus magis irritatus quam territus, quinquaginta triremes instruxit, quibus onustis commeatu, machinis, alijsque oneribus ad vsum belli necessarijs, impositos armatos ad Hispaniam misit, qui domo profecti nõ multò post secundo cursu Hispaniæ littoribus appellunt. Expositæ itaque in continentem copiæ, maritima loca fœdè populantur, & quum obuium nusquam haberent hostem, spe occupandi regnum, & regios filios apud Cæsarem obsides liberandi longius progrediuntur. Haud cessauit in tanta occasione Hispanus, nam procedentes à tergo adortus, passim trucidat. Præter eos qui cæsi, & quos pauciores fuga texit, cæteri omnes capti sunt. Eodẽ anno mense Iulio, à Gallis non minus male pugnatũ est,

quum

quum in suis vexillis Aquilam gestantes, Cæsarianos se mentiti, Mediolanum nullis obsistentibus intrasset, atq; occisis qui vrbem tuendam susceperant Hispanis, arcē quoq; nullo se negotio expugnaturos sperarēt. Post dies enim non multos ijs de rebus certiores facti, Arangius Princeps & Andreas Adorius diurnis, nocturnisq; itineribus in agrum Mediolanensem contenderunt, suis qui in præsidio erant opem & suppetias laturi. Dux arcis videns adesse quos per nuntium vocauerat, Cæsareos exercitus, Cæsareosque Præfectos, subita facta eruptione, Gallos qui locum cinxerant, adoritur. Dimicatum est aliquandiu, fuitque ab initio cruenta, & ambigua pugna, exitu verò infœlix Gallico militi. Dum enim atrociter intra mœnia certatur, qui foris erant Cæsareani vrbe capta, suorum se copijs ingenti lætitia adiungunt, & fusum fugatumque Gallum, cum cæde ac strage persequuntur. Plurimi ex Gallis sunt ea pugna desiderati, occubuere cum ijs plerique nobiles.

Anno eodem Nonis Augusti, qui est huius mensis dies quintus, inter Pont. Rom. Clementem eius nominis septimum, Carolum à primo huius nominis quintum Imperatorem Rom. Franciscum primum Gallorum, Ferdinandum Hungariæ ac Bohemiæ, & Henricum Angliæ Reges, Cameraci in æde sacra virgini Mariæ congregato ornatissimo agmine procerum, assistente omni fastigio ordinis Ecclesiastici, auspice Deo, circumfusa ingenti officiorum ac magistratuum ciuilium multitudine, æterna pax est promulgata. Ac tum demum Italia, Hispania, Gallia, & Germania bellicis curis solutæ quieuerunt. Ad hanc pacem componendam, venit Cameracum postridie Cal. Iul. Pontificis Rom. legatus Cardinalis Saluiatus. Quinto verò eiusdem mēsis die, cum pulcherrimo & aulicæ nobilitatis & Ecclesiasticæ dignitatis comitatu, venerunt in eādem vrbem duæ illustres fœminæ, Margareta Caroli Cæsaris amita, & Ludouica Galliarum Regis Francisci mater, quibus solis commissum fuerat à Cæsare & regibus faciēdæ pacis negotium. Qua iam promulgata Galliæ Rex Fran-

 ciscus,

ciscus, die qui fuit Augusti nonus, cum vniuerso flore Procerum regni sui Cameracũ ingressus Margaretam salutauit, à qua vicissim ipse non vt hospes, verũ haud aliter atque numen quoddam cœlitus demissum, exceptus est. Quo anno inter Principes Christianos pax coiuit, Ferdinandus multa sibi prius à Turcis Hungariæ adempta loca recepit, & hostem suum Ioannẽ Vayeuodam, qui ad se regni iura pertinere aiebat, fugere coegit. Hic ita se victum & expulsum iniquissimo animo ferens, Turcarum tyranni rursus implorat fidem. Visa est huius causa Turcæ satis digna quam totis viribus tueretur. Itaque cum validis exercitibus in Hungariam regressus, quæ non multò ante Ferdinãdus recuperauerat, omnia rursus expugnat. Inde ad Austriam veniens, in morem torrentis omnia vi sua proculcat. Multò plura eius iussu edita sunt in pios crudelitatis exempla, quæ fatu scriptóve quis æquare possit. Alij luminibus priuati, his manus, illis nares & aures præcisæ, horũ filijs virilia adempta, corruptæ virgines, matronis mammæ mutilatæ, prægnãtibus exsectꝰ vterus, flãmis cõsumpti partus. His patratis Viennam Austriæ vrbem fama & opibus celebrem graui obsidione adortus est, sexto Calend. Octob. Fama est eum ducenta & quinquaginta milia armatorum sub signis habuisse. Obsidionis initio eruptione ex vrbe facta, à pijs repulsi sunt, è quibus captos complures, Turcarum Imperator Viennam remisit, nunciaturos suis, maximo & terrifico armorum apparatu ac viribus aduenisse hostem. Si deditionem facere vltro vellent, ab omni iniuria temperaturũ, contra ferro & igni ad vnum omnes interituros, si pergerent obsidentis cursum impedire. Vbi verò contemptim se audiri vidit, totus in ciuitatem versus, fremere vehementerque indignari, & cum parte multo maxima copiarum eò confestim deuolans, tormentorũ crebris ictibus, muro locis aliquot disturbato, suos vrbem inuadere iubet. Atrociter Viennam milites adorti, muros intrepidè subeunt, fuit vtrinq; magnũ, sed Turcis magis cruentum certamen, pijs egregiè & validè vrbẽ suam defen-

denti-

dentib⁹. Ad hunc modũ semel & iterũ tẽtati nostri multos è Turcis Orco demiserunt. 3. Id⁹ Oct. impij tertium muros oppugnare incipiũt, vtrinq; clamor auditur. Duces suos quisq; ad locum destinatũ ducunt, adsunt, hortantur, rem gerunt. Sed & hoc cõgressu impios vicerunt; pij, saxis quæ ingenti pondere eminus incutiebant, insubeuntes Turcas deuolutis. Iuuabat & illud quod faces certatim iacularentur intorquerentq;. Postrema oppugnatione tot labores desudati, tantum sanguinis fusum, tanta est edita Turcarum cædes, vt qui metu nostrorum Christianam vrbem strenuè propugnantium cesserant, nullis postea potuerunt, ne Imperatoris quidem sui cõminationibus eo adigi, vt recurrerẽt. Nullum puto à cõdito æuo locum maiore mole oppugnatum, nullũ magis strenuè defensũ. Vicies, vt fertur, hostis subij muros, vicies cum ingẽti strage à mœnibus repulsus. Diuorum virtute, nec nõ ciuium, & militum fide mansit inter tot terrores res Viennensis ad exitum incolumis. Turcarum Imperator post multos irritos conatus spe potiundę vrbis abiecta, ad Idus Octob. exercitum abduxit, sexaginta hominum milibus & amplius in oppugnatione amissis. Postridie à Christianis obsidione liberatis, templa lustrata, supplicationes habitæ, gratulatio facta est. Per idem tempus sub festum Michaelis, nouum & inauditum morbi genus, Sudatoriam vel Anglicam pestem dixere, Brabantiam & loca finitima inuasit. Fuit ea vis morbi adeò lætalis, vt quosdam ante duodecim horas, plurimos ante vigesimam quartam horam, ex quo sudare cœpissent, absumpserit. Sed nusquam sæuijt atroci⁹ quàm Antuerpiæ, in qua vrbe tridui spatio quadrigentos aut quingentos homines extinxit. Languebant in domo vna, septem, octo, plures etiam, Miraculi loco habitum est, si vnus mortem euasisset. Immunes erãt pueri, & senes ab hoc malo. Qui media ætate essent, aut non multò infra hanc, ij incidebant in morbum. Prandentes, commessantes, dormientes corripiebat hæc pestis. Ditissimi negotiatores lectis affixi, medicos ad se vocabant, montes auri promittentes si curarentur.

Anni. Sed tantum erat malum, vt ipsi medici faterentur se nescire quid esset. Tales morbos incurabiles Deus in iram sceleribus nostris prouocatus immittere solet. Et nunc pessima quædam videntur portendi mortalibus, nisi malis rationibus finem fecerint. Deus non hœdorum sanguine, aut frugum primitijs placatur, sed innocentia, veritate, castitate, fide, continentia. Hic non possum satis mirari hominum stoliditatem, quum nobis hoc malum immiserit Deus, vitijs hominum exacerbatus, culpam in alia reijcimus, & vt canes solent, proiectum mordemus lapidem, non attendentes ad eum qui proiecit. Dominus est qui nos vocat ad morum correctionem, nec audimus admonentem, sed friuolis causationibus ipsi nobis blandimur. Piè fecerimus, si hanc calamitatem suis quisq; nostrum peccatis imputauerit. Nullus enim mortalium purus est ab omni crimine. Eodem anno xxix. in superiore Germania mirè caluit Idolomachia. Per hęreticos eiectę sunt templis diuorum imagines, sublata funditus missa, ritusq; ecclesiastici, monachi simul & monachę iussę sunt ponere sacram vestem, aut alio demigrare. Multæ apud Germanos, Heluetiosq; ciuitates in hoc fœdus nomen dederunt.

1530. *Coronatur Cæsar Carolus quintus, Inundantur Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ littoralia loca, & tota ferè Selandia, Moritur Caroli ámita Margareta, Ingens Romæ tempestas.*

Hic annus insignis fuit coronatione Caroli Cæsaris, huius nominis quinti, Bononiæ die vigesimo secundo Februarij, in æde Petronio sacra, assistente omni fastigio ordinis ecclesiastici, congregatio simul vniuerso flore Procerum. Imperatoria corona insigniuit eum Clemēs Pontifex Romanus, eius appellationis septimus. Ab hac coronatione profectus in Germaniam, substitit aliquādiu Augustæ, vt tota passim prouincia gliscentes hæreses aboleret, & perniciosissimam tempestatem verteret in tranquillitatem. Iam enim sectæ erant hominum à

priscis

priſcis eccleſiæ ritibus deſciſcentium, & ad conuellendam impijs modis, ac penitus demoliendam veritatem hæreſes iampridem exploſas, atq; extinctas importunè excitantium. Lutherani, Anabaptiſtę, Sacramentarij ſeu Ecolampadij, Sacramẽtariorum propugnator ſtrenuus Caroloſtadius, ſparſis libellis aliquot germanicè ſcriptis, perſuaſerat in Euchariſtia nihil ineſſe præter aquam & vinum. Is error tanta celeritate corripuit omnium animos, vt ad Naphtan flamma tardius tranſuolet. Eodẽ anno nonis Nouembribus Brabantiæ, Hollandiæ, ac Flandriæ loca littoralia, maritimaque, Selandiam propemodum vniuerſam, dira aquarũ obruit alluuio, ruptis aggeribus mari & fluminibus paſſim inundantibus, cum magna & hominum, & rerum ſtrage, non tantum pagi, ſed oppida Flandriæ atque Selandię, nauigata ſunt cymbis fluuialibus. Ferunt maria omnia adeò inſolenter per id tempus aucta, vt ternis aut quaternis pedibus ſupergreſſa ſint aggerem. Scio fuiſſe paucos admodum in Selandia, quos tam ſæua hæc tempeſtas non deprehenderit.

*Vidiſſes ruere per apertos flumina campos,*
*Cumque ſatis arbuſta ſimul, pecudeſq; viroſq;.*
*Et rapere tecta cumq; ſuis penetralia ſacris,*
*Mare & tellus nullum diſcrimen habebant,*
*Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto,*
*Occupat hic colle, cymba ſedet alter adunca.*
*Et ducit remos illic vbi nuper ararat.*

Ex hac alluuione multa religio mortalium animos inuaſerat, tanquam maiora adhuc impenderent mala. Omni ætati, omni ſexui, quibuſdam locis ieiunia indicta, ſupplicatum eſt ſæpius ſolenni modo ad cœleſtem iram auerruncandam. Si noctu eueniſſet tam ſubitus & grandis cataclyſmus, non dubium quin plurima hominum milia fuerit abſorpturus. Sed hoc eſt clementiſſimi patris, noſtris ſceleribus offenſi iudicium, clementia ineffabili mitigatum, qui nõ vult mortem peccatoris, ſed vt huiuſmodi flagris admonitus corrigatur & viuat. Sic olim dominus per ranas, locuſtas, cyniphes, aliaſq; peſtes

inni-

inuitauit Aegyptios ad pœnitentiam. Ego multiq; alij & in patrimonij, & in sacerdotij agris hoc diluuio, cui vix queant æquiparari plurimæ inundationes in vnum conflatæ, grauem fecimus iacturam quæ tamen ferenda est. & beatus Iob imitandus, qui ad omnem ærumnarũ impetum permansit immobilis. Si multò grauiora illũ leuiter placideque pertulisse inuenimus, turpissimum fuerit nos in leuioribus minus esse fortes. Si tantum malorum iusto illatum est ad probationem, cur nos peccatores conqueremur cum castigamur ad correctionem, punimur vt resipiscamus, percutimur vt conualescamus? Eodem anno Apostolo Andreæ sacro die, mortem obijt Mechliniæ illustrissima Cæsaris Maximiliani filia Margareta, anno ætatis quinquagesimo primo, cũ cæteris virtutibus clara mulier, tum non vno iustitiæ exẽplo digna quę omni ęuo celebretur. Qua nocte animã creatori suo reddidit mulier hæc clarissima, Cometes visus traditur apud Hagã Comitis in Hollãdia. Mechliniæ in tẽplo diui Petri cantatis mortualibus, cadauer eius deducẽte ordine Procerum aulicorum Brugas auehitur, & sepelitur extra portas vrbis in cœnobio, quod Marię Annuntiationis dicitur. Anno eodẽ Nonis Octob. Romę pręter tonitrus ingentes, & crebros ignes, tãta vis aquarum cœlo decidit, vt altero se perituros diluuio meruerint homines. Tybris se effundentis impetu, & publicę & priuatæ domus corruerunt. Atrox vis tẽpestatis huius secũ rapuit, & in alueum fluminis dportauit etiam ædificia, quę trium aut quatuor fictiliũ lapidum densitate cõstabant. Si qui vitæ seruãdæ studio & cupiditate cõscenderãt tecta alta domorũ, hos ventorũ violẽtia humi decussos, Tyberinis vndis absorbendos dedit. Locis vrbis depressioribꝰ aquæ in triginta triũ aut sex pedũ altitudinẽ sese extulerãt. Vnde factum est, vt frumẽti ꝙ tum erat in vrbe plus quã tria modiorũ milia, fluctꝰ absumpserint, præter vinaria vasa, quæ dissoluta effuso liquore aquis innatabant, & alia per multa preciosissima, quę in penarijs hæc tempestas repperit. Pontifex Romanus Clemẽs septimus eius nominis, cum propter bellicos tumultus

plu-

Anni.

plures se mēses intra vrbē cōtinuisset, die quē sub noctē intempestā secuta est tempestas, motādi corporis gratia, laxandi, leuādiq; animi causa in Hostiensē agrū abierat.

*Ferdinandus Rex Romanorum declaratur, Terræ motus in Lusitania, Fusæ Turcarum copiæ à Ferdinando.*

1531.

Ianuarij mensis xi. die Carolus quintus Imp. frequēti procerum Germaniæ conuentu, admirabili populorum atque optimatum consensu Aquisgrani Ferdinandum Bohemiæ & Hungariæ Regem fratrem suum, vt gradum ei faceret ad Imperium, Regem Romanorum declarauit, quo quidem facto, hoc est fratre suo ad gubernacula tantarum rerum promoto, Carolus Cæsar & orbi consuluit, & Christianum nomen, & Romanum imperium amplificauit. Anno eodē, septimo Cal. Feb. motu terræ cōcussa est tota ferè Lusitania. Vlyssippone corruerūt mille & quingētę domus ex omniū spectatissimis, plus sexcētæ ruinā minatæ sunt. Tēpla omnia in lapidū aceruū redacta tradūtur. Hic motus terræ dies octo durauit, & quotidie per interualla redijt, vt septies aut octies interdiu huic periculo fuerint obnoxij incolę, vnde relicta vrbe homines in cāpis subdio agere sunt cōpulsi. Ad hæc ex locis illis quidā scripserūt, certos hiatus factos, vnde pestilētissimus aër exhalaret. Atq; hinc atrocem exortā pestilentiā. Ex inundationib⁹ quę solito frequētius cōtingunt, ex terræ motibus equidē nescio quid diuinem, nisi extremum illum diem instare, quē diuus Paulus omni Christiano homini, omnib⁹ votis expectādum pręcinit. Agēte Aquisgrani à coronatione Ferdinādo, tū rat⁹ Turca venisse tēpus quo rē Christianā vel modico conatu affligeret, in Hungariā recurrit, Viennā iterū tētare volebat. Hac de re acceptis literis Ferdinandus, quū ad suos scripsisset, vti viderēt, ne maius aliquot detrimentū Christiana respub. pateretur. Duces castra castris cōtulerunt, cū hoste in aciē descēderunt. Fuit nouo Romanorum Regi, id pręliū felix, copiarū Solymani parte multo maxima aut capta aut cæsa. Vtinam huic principi Deus felices proroget annos, vt debellatis fidei hostib⁹, Turcis, qui orbē terrarum spe amplectuntur, sanctā vrbē recipiat, & adoret in loco vbi steterunt pedes eius, qui

Anni. nos sanguine suo à morte vindicauit.

Anno eodem stella crinita visa est mense Augusto, de qua variæ doctorum hominum opiniones fuerunt, aliis aliud portendere eam, ac minari affirmantibus. Sequuta est longa siccitas, & caritas rerum omnium, maximè frumenti. Vnde vulgi ac multitudinis exauditæ querelæ magistratus suos incusantis, in eos probra & maledicta iacientis, vt malorum omnium autores. Hi sunt mores vulgi. Si quid incommodi est cuius causam ignoret, culpam reijcit in eos, quorum consilio Resp administratur. Eodem anno & mense in litora Hollandiæ nō longè ab Herlemo, mare piscem eiecit mortuum, qui lōgus fuerit pedes sexaginta octo, crassitudini eius qui viderunt triginta, oris hiatui tredecim pedes tribuunt. Idē annus Ludouicę matris Francisci primi Gallorum regis morte, & victoria Poloniæ regis contra Vayeuodam Muldauiæ Turcæ tributariū, & Valachos insignis fuit. Valachi bis cum Polono manus conseruerunt, Polonus vtroq; prælio superior, priore Valachorum sex milia profligauit, ex quo numero multi cæsi, capti sunt quam plurimi, altero ipsum quoq; Vayeuodam duobus vulneribus saucium fugere coêgit. Per idem tempus Veriēsium princeps Adolphus Duuelandiam Selandiæ insulam ab vndis recuperauit, & in eam aggeribus muniendam impendisse dicitur aureorum quinq; & septuaginta milia. Eodem anno tertio Nonas Septembris fato defuncta est Dulcia mater mea, cuius animæ precor Deum propitium, & inter piorum animas quietem perpetuam.

1532. *Princeps Bergensium moritur.*

In superiorem Germaniam reuertitur Carol. Imp. Mense Ianuario Bruxellæ ex humanis decessit, ætate ad vesperam vergente, clarissimus Princeps Ioannes à Bergis, vir factus ad vtilitatē patriæ, sculptus ad ornamentū aulæ ducalis, ad decorandam imperij maiestatem datus diuinitus. Vixit tribus summis principibus longè gratissimus, Maximiliano Cæsari, Philippo Regi Castellæ, & qui nunc imperat Carolo Philippi filio. Ioannes de

quo

quo loquimur, hęredem reliquit Antonium filium vnicum, qui mira indole summam spem de se præbet, & quod perraũ est inter fœlices, bonas literas etiam amat, & me literarum gratia. Eodem tempore quo Berganus Princeps obijt, Carolus Cæsar ex Brabantia in superiorẽ Germaniam redijt, ad sedandam immanem ecclesiæ tempestatem. Est immanis omninò, & atrocissima tempestas, quum homines Christi nomen profitentes eo vesaniæ prolabuntur, vt Pontificem Romanum, nunc bestiam, nunc meretricem illam Apocalypticam vocent, episcopos & sacerdotes ipsi sibi eligant laicos rudes, vxores, & liberos habentes, Doctores, omnes veteres & nouos, & libros eorum contemnant, officia missarum absq; vllis vestibus sacerdotalibus celebrent, vigilias & ieiunia tectorium esse hypocritarum, festa Deiparæ, apostolorum, & aliorum diuorum inuenta esse ociosorum affirment. In Sacramento Eucharistiæ nihil esse diuinitatis credant, & propterea in idololatriam cadere omnes, qui genua coram illo flectunt, & incuruant. Non potest animus vere Christianus non ingemiscere, considerans quo prolapsi sint hominum mores: Orandus est Deus pastor æternus, vt disiectas palantes, ac dissipatas oues ad Ecclesiasticæ concordiæ caulas reducere, & Caroli Cæsaris recta consilia fauore suo prosperare dignetur.

# HADRIANVS BARLANDVS Hadriano Blehemio Equiti Aurato, & insignis oppidi Louaniensis Præfecto vigilantissimo, S. P. D.

*Magnam esse humanarum rerum inconstantiam Præfecte vigilantissime, tristes regnorum exitus, euersaq; funditus imperia demonstrant. Magnum fuit & diuturnum Assyriorum imperium, durauit enim annos mille ducentos & triginta nouem, occidit tamen nihilominus. Stetit Medorum regnum annis trecẽtis minus octo, sed & hoc concidisse videmus. Sic Persæ, Macedones. sic in Græcia Athenienses, Lacedæmonij, Thebani imperare, rerum summa potiri desierunt. Cecidit Ilium, dixit ille, & ingens gloria Teucrorum, Cecidit Carthago Romani æmula Imperij. Nec Roma quæ triplici bello victam Carthaginem deleuit, in suo statu permansit. Nam hanc cæterarum victricem gentium, Gothus vicit, dirupuit, incendit, multitudinem omnem per Latij & Campaniæ oppida dispersit. Atq; inde, vt omni humano cultu deserta vrbis fortuna, ita & imperium inclinauit. Omnibus vna fuit cadendi necessitas, quia hominum essent, quorum nihil est in terris perpetuum, nihil non interitui obnoxium. Cæterùm ne imperij nomen prorsus ex Italia tolleretur, non sine numine diuum, non sine cœli prouidentia cõtigisse, videtur mihi, vt post incensam, excisamq; à Gothis vrbem Romam, continuò diuersa Italiæ parte Venetiæ conderentur, vbi Imperij nomen diutius locum haberet. De huius stupẽdæ ac toto orbe terrarũ nominatissimæ vrbis Ducibus, ac Præfectis, quũ his diebus li-*

bus li-

*bus librum vnum confecissem, non mihi visus sum vlli cõgruentius eum dedicaturus, quam tibi, qui à Cæsarea maiestate huic vrbi multis dotibus eximiæ florenti Præfectus, & optime munus tibi commissum administras, & legitimis perfunctus negotijs, libenter insignium virorum res gestas legis, quæ studia nimirum humanæ sunt veræ solatia vitæ, quæ vita dum continuo fluctu vexata laborum fertur, ad hunc fessam recipit se prouida portum. Suscepti in hac historia scribenda laboris non me pœnitebit, si tua dignitas hoc munusculum sibi dicatum gratũ esse testabitur. Dominus Iesus te seruet incolumen, semperq́ in maius ac melius prouehat. Vale Louanij quarto Cal. Maias, Anno redempti orbis*

M. D. XXXII.

# HADRIANI BARLANDI DE DVCIBVS VENETORVM LIBER.

## *PAVLVTIVS HERACLIANVS, VENETOrum Dux primus.*

VEnetorum Dux primus, communi omnium cōsensu declaratus est Paulutius Heraclianus inclytæ vir iusticiæ. Incidit eius creatio in annum ab vrbe condita octogesimum secundum, ac ducentesimū, vt alij, septimum ac nonagesimum supra ducentesimum, vt item alij, septuagesimum sextum. Tradidit nouo Duci insignia quædam populus, quibus amplissimam dignitatem ornandam putauit. His ita receptis Dux, vt rempublicam bello, cui tum erat implicita, leuaret, cum longobardis pacem fecit. Obijt Paulutius annis viginti & mensibus sex in principatu exactis.

*Marcellus Heraclianus Dux secundus.*

In demortui locum sufficitur Marcellus Heraclianus, cuius Ducatus 9 habuit an. Hic nihil gessit dignum memoria, fuit mira alioquin vir probitate, amœnoq; ingenio, nec omninò à rebus bellicis abhorrenti. Mortuo Marcello Horleus Vrsus est Dux creatus. Huius temporibus Longobardi Rauennam vrbem vetustissimam armis oppresserunt. Vrso à suis popularibus, quia belli quo premebantur fuisset autor fœde trucidato, regiminis mutata forma, & principis loco nouus magistratus inductus est, Magistrum militum dixerunt. Sub militari Magistro nondum acto quinquennio, cū Ducis magno desiderio teneretur populus, ducaria administratione in vrbem reducta. Vrsi filius Theodatus princeps declaratur, quem xiii. administrationis annō insidijs exceptum, atq; excæcatum Galla quidam principatu deiecit.

*Dux 3.*

*Dux 4.*

Sed

Sed quæsitum scelere, imperium non diu tenuit, nam & ipse priuatus oculis, anno regiminis ij. in exilium est actus.

*Dominicus Monegarius Dux vi.*

Huic ob ferox ingenium annuos Tribunos dedit populus cum quibus præesset. Verebantur enim hominis temeritate magnum aliquod incommodum acceptura rempublicam, nisi in consultationibus adfuissent, per quos illius præceps cohibererur ingenium. Sed ne hoc quidem modo reipublicæ prospectum est. In omne scelus mox praua erumpente natura. Tum vero ciues nouæ tyrannidis impatientes, luminibus priuatum, quinto principatus anno summo magistratu abire coëgerũt.

*Mauritius Heracliensis Dux vij.*

Vir ingenio & vita clarus, quum ex optima administratione ingentem populi fauorem sibi conciliasset, frequenti conuentu, impetrauit quod ad id tempus præcessorum nemo, vt Ioannem filium sibi in regimine socium assumeret. *Dux 8.*

*Obelerius ix. Dux.*

Hic quoque ingenti fauore ciuium, rectè factis collecto, Beatum fratrem sibi in principatu collegam cooptauit.

*Angelus Particiatius x. Dux.*

Sequutus Angelus Particiatius, traditur omnium primus Ducarium in Riuoalto thronum habuisse. Sunt & huic dati Tribuni, cum quibus decerneret. Inter publica suæ administrationis opera Heracleam instaurauit, quæ post recentiorem illam ædificationem, noua ciuitas est appellata. Iustinianum filium, & Angelum ex eo nepotem collegas sibi in Ducatu asciuit. Huic Particiatio Christi regis nostri, diuæ etiam Virginis vestium partes, & cum his Dominicæ Crucis lignum Leo Imperator dono misit.

*Iustinianus vndecimus Dux.*

Post mortem patris, Iustiniamus Remp. solus administrare cœpit. Author fuit, vt Veneti classem contra Saracenos mitterent, qui per ea tempora Europæ insu-

las in primis Siciliam multum infestabant. Iustiniano rempublicam gubernante, diui Marci corpus ex Aegypto Venetias furto est translatum, quod ipse statim domestico intulit sacello. Iamq; factus haud parui numinis hospes, non multò post è viuis excessit, quũ fere biẽnium præfuisset. Testamento mãdauit, vt sui amplius & augustius diuo Marco templum erigendum curarent.

*Ioannes Badoarius xii. Dux.*

Iustiniano fratri succedit Ioannes, qui Reip. administrationem à diuis orsus, templum extruxit ducanæ sedi propinquum, in quod iam rite consecratum Euangelistæ corpus ex minori sacello transtulit. Idem ob graues simultates, quas cum Mastalitiæ familia, quæ tum erat Venetijs nobilissima, exercuit ab aduersæ factionis hominibus ante ædem Apostolorum principis, quo sacrorum gratia venerat, insidijs exceptus, principatus insignibus exuitur, exutus barbamq; & capillos detonsus in Gradum insulam relegatur, vbi sacris initiatus vita decessit, anno quam præesse cœperat octauo.

*Petrus Tradonicus tertius decimus Dux.*

Tradonicus Pola, quod in Italię finibus vetustum oppidum est, oriundus Ioannem filium sibi collegam accepit. Paulo gentium doctori templum magno, vt tum erant ciuitatis opes, sumptu extruxit. Narentanis proxima maria infestantibus bellum intulit, sed parum feliciter. Missus ab eo filius contra piratas, patre fortius depugnauit. Sũt & in Mauros Saracenos triremes sexaginta Tradonici studio instructæ, qui anno regiminis sui vndetricesimo, quum die quodam ex sacra æde domum rediret, plurium coniuratione exceptus occiditur.

*Vrsus Dux xiiij.*

Hic rempublicam domi forisq; feliciter administrauit, Mauros in Dalmatiã progressos subitò appulsu turbauit, atq; abire coëgit. Ioannes principis filius iuuenis impiger, in ea expeditione, adeò strenuam operã nauauit, adeò in hostem fortiter eo die depugnauit, vt iussu populi datus sit patri collega in principatu. Vrsum

Basi-

Basilius Imperator Protospatarium creauit, qui tũ primarius erat honor apud Græciæ Imperatores, Vrsus Gratitudine cum Basilio certare cupiens, duodecim campanas magni ponderis illi Constantinopolim dono misit. Ita Veneti Ducis munere & liberalitate, Græci tunc primum æs cāpanum habere cœperunt. Vrsus mortē obijt, quum in principatu egisset annos septendecim.

*Ioannes Badoarius xv. Dux.*

Vrsi filius Ioannes surrogatus Cornelio & Cypriano diuis phanum condidit, quod temporis interiectu alius princeps in monasterium virginum vertisse traditur. Inuenio hunc Ioannem quum per aduersam valetudinem reipublicæ præesse non posset, fecisse populo potestatem noui Ducis creandi, quo facto ipse in ordinem se redegit, inito quidem, sed nondum exacto regiminis anno sexto.

*Petrus Candianus Dux xvj.*

Petrus Candianus initio ducatus sui longas aliquot naues misit ad comprimendos cursus Narentanorum, qui Venetæ reipublicæ veteres hostes proxima maria latrocinijs infestabant. Hic nihil gestum est, hoste nusquam reperto. Non longo interiecto tempore, idem Candianus alias naues in eosdem hostes eduxit, quos repertos circa Dalmatiæ promontorium Miculum, maioribus prope animis, quàm viribus adorti Veneti, primo quidem congressu superiores, eorum naues aliquot oppresserunt. Verùm Narentani multitudine præstantes, quum ducariam nauem, reliquasq; circumuenissent, victoriam adepti sunt. Dux Candianus in pugna cecidit, mense ducatus quinto. Occisi corpus hostibus subtractum, paulo post Gradum deportatur, atq; ibi loci sepelitur.

*Petrus cognomento Tribunus Dux xvij.*

Petrus cognomēto Tribunus, post occisū in prelio nauali Candianū, maximo populi fauore & cōsensu Dux creatus, à Castelli Riuulo vsq; ad Iubanicam ædem virginis, murum extruxit, vt vrbem muniret aduersus piratas, perpetuos hostes loca, Venetijs proxima infestantes.

Huius principatu Hunni gens Scythica tumultuosè in Italiam erumpentes, quum vna atque altera pugna victores fuissent, successu elati ferro igniq; omnia vastauerunt, ac repente omni bellica vi in Venetos conuersa, ab ijsdem circa Albiolam victi sunt. Quo prospero & secundo prælio ingēs Veneto nomini parta gloria, quum illud in ore omnium esset, fregisse Venetos Hunnicam rabiem. Dux Tribunus diem suum obijt, quum vndeuiginti, vt alij scribunt, tres & viginti annos domi forisq; rempublicam felicissime administrasset.

*Vrsus Badoarius, Dux xviij.*

In demortui locum Tribuni Vrsum Badoarium suffecit populus, virum mira probitate & innocentia præditum. Hic quum annos nouendecim multa cum laude rempublicam Venetorum administrasset, sponte magistratu abijt, vitamque secutus monasticam, in sancti Felicis Amiani cœnobio cœlestium rerum cōtemplationi intentus, vitæ reliquum transmisit.

*Petrus Candianus siue Sanutus, xix. Dux.*

Vrsi voluntariam abdicationem sequutus est principatus Petri Sanuti, qui Petri illius Dalmatico bello interfecti filius, iccircò & ipse Candianus est dictus. Hic princeps in Histros mouisse, atq; eos prælio fudisse traditur, ob raptas virgines. Celebrabant eæ nuptias in æde diui Petri Venetijs. Histri Venetorum hostes vrbem ingressi, repētè impetu facto in puellas cū dotibus & reliquo apparatu oēs abduxerunt. quibus postea Candiani ductu recuperatis in inclytæ memoriam victoriæ annuos ludos decreuit senatus, qui Mariarum sunt nuncupati. Candianus altero Ducatus anno decessit, alij septennium huic tribuunt.

*Petrus Badoarius xx. Dux.*

In huius Petri tempora victoriam contra Histros in Crapulanis paludibus, & raptarum virginum recuperationem referunt quidam scriptores. Preter id nihil de eo inuenio. Præfuit biennium, alij vnum adijciunt annum.

*Candianus Dux xxi.*

Badoarius successorem habuit Candianum, quo principe in Narentanos proximo mari grassantes iterum educta classis, ad cuius famam hostis territus non modo congredi nō est ausus, sed missa legatione etiam pacem petijt, quam his conditionibus dedit Venetus, vt damna illata Narentani æqua æstimatione persoluerent. Sunt qui tradant, re infecta, vt non rarò alias, classem vnde venerat reductam esse. A Dominico Oliuolensi antistite Regis regum præcursoris in terris reliquiæ quædam ritè conditæ sunt in templo quod ipsius maiores construxerant ea vrbis parte, quæ Embragola dicitur. Candianus quum tres haberet filios, medium cui Petro nomen sibi collegam assumpsit. Huic optimi patris consilia aspernanti, & facinorosos ad apertam seditionem in ciuitate mouendam solicitanti, populus abrogauit imperium, & exilium indixit. Atq; ita iudicatus hostis, hostiliter Venetos insectatus naues eorum circa Rauennæ littus oppressit. Quo filij in patriam scelere audito, pater ita conturbatus dicitur, vt paucis diebus mœrore vitam finierit.

*Petrus Candianus xxij Dux.*

Hic vide leuia semper vulgi studia patre mortuo, filium, quem antea hostem & exulem declarauerat, reuocatum Ducem constituit. Qui superbiæ ac minarum plenus, quum formidabilis mallet quam iucundus videri ciuibus, pro legitimo principatu manifestam pene cœpit exercere tyrannidem. Ducarium præsidio firmauit, nihil dixit, aut fecit, quod non idem superbissimi esse tyranni videretur. Quum talis esset, ciues libertatis suæ non immemores, repente in publicas ædes facto impetu multis eum vulneribus conficiunt. Iugulatus cum eo in nutricis gremio filius paruulus. Amborum corpora ad macellum proiecta, populus iussit canibus lanianda relinqui, sed postea rogatu Ioannis Gradonici tam fœdo spectaculo multitudinis infensæ oculis subtracto, è publico deportata cadauera, in templo diui Hilarij honorificè sepeliuit. Hic Petrus

annos præfuerat septemdecim.

*Petrus Vrseolus Dux xxiij.*

Successit Petrus Vrseolus ab cæsi Ducis ingenio longè diuersus. Cum Saracenis Italiam b partito ingressis maritimo prelio conflixit. quibus fusis, fugatisque, ac magna ex parte cæsis, magnam ea victoria Veneto nomini gloriam reportauit. Filius huic ex Felicia vxore vnicus fuit, quo nato & Ducem ipsum & vxorem perpetuam vouisse Deo castitatem inuenio, atque interim ea innocentia rempublicam ab eo administratam, vt ex ijs quæ faceret, videretur suscepisse principatum non tam vt præesset, quam vt reipublicæ prodesset, atque eam in statum meliorem redigeret. Quod haud dubie præstitisset viri probitas, nisi nouo quodam exemplo se magistratu abdicasset. Venetias peregre applicuit Guarinus quispiam ex gente Aquitanica, & monachus qui ad Vrseolum deductus, humaniterq; ab optimo duce exceptus, multa hic de religione & pœnitentia locutus, principis iam ante sua sponte diuinis rebus deditì animum ita mouit, eoque sensim perduxit, vt de principatu reddendo cogitare cœperit. Ad id faciendum Vrseolus non plus sibi moræ, ac temporis poposcit, quam quoad vrbis statum pacatiorem fecisset. Dimissum itaque monasticæ vitæ professorem illum intra annum iussit ad se recurrere. Interim ad opera pietatis conuersus, ipse pauperum inopiæ subleuandæ studuit, collegia, clerum, religionem omnem incredibili charitate protexit ac fouit. Per hæc opera circumactis mensibus noctu (iam enim Guarinus ad constitutum tempus recurrerat) ignoto habitu clam vxore, clam libris, clam amicis omnibus vrbe egressus peregre abijt, eumque ducatu ac patrio solo excedentem quatuor alij insignes pietate viri, eius consilij cõscij sequuti sunt. Procedente verò tempore Vrseolus ita religione & sanctitate profecit, vt post obitum in Aquitania, vbi reliquos egit vitæ annos, multis claruerit miraculis. Ita optimi principis administratione altero eius creationis anno, priuati Veneti magno quidem mœrore, maiore tamen desiderio affecti sunt.

*Vitalis Candianus, Dux xxiiij.*

Vitalis Petri Candiani tertij filius Dux factus, Vitalem patriarcham Gradensem populi metu in exilio ad id tempus agentem reuocandum curauit. Huic vnus regiminis exierat annus cum grauissimo correptus est morbo, quo indies magis magisque inualescente ratus fatum sibi imminere, magistratu sese abdicauit, & post aliquot dies vita decedens ad diui Hilarij sepelitur.

*Tribunus Meuius, Dux xxv.*

Post Candiani obitum, Tribunus Meuius Ducatum suscepit, vir multum solers sed verborum paucorum. Parum feliciter ab eo Resp. administrata est. Nam & sui eum ciues non semel atroci coniuratione petiuerunt. Et Maurocenis Caloprinisque cum primis illustribus familijs maioribus odijs quam viribus inter se certantibus fœdissimæ intra vrbem cædes commissæ sunt. Deposuit & hic principatum, quum rebus præfuisset annos quatuordecim, nec ita diu postea vixit.

*Petrus Vrseolus Dux xxvj.*

Surrogatus illi à populo Petrus Vrseolus rem Venenetam non solū domi, sed foris etiam mirū in modum auxit. A Basilio & Alexio Græciæ Imperatoribus obtinuit, vt toto eorū imperio immunes à vectigalibus essēt Veneti negotiatores. Parata classe, militibusq; in naues impositis sub vernū anni tēpus in Dalmatiā mouit. Victis hic Naretanis leges dedit, atque ita purgato latrocinijs mari, victorē exercitū Venetias reduxit. Ducariū & tēplū à Petro Vrseolo q. cæso Cādiano successit, instaurari cœpta, magno studio absoluit. Bona sua bifariā partit⁹, vnā partē eamq; meliorē libris suis dedit, alterā pauperibus alēdis & sacris ædibus reparandis impēdit. Mortuus est anno regiminis sui xviij. Corpus eius mœsta ciuitas, amplo funere elatum condidit in atrio Zachariæ.

*Otho Dux xxvij.*

Patri filius Otho suffectus, alta indole iuuenis multa cū laude Remp. administrauit. Hac fama impulsus rex Pannoniæ vxorem dedit illi filiam suam. Per hæc tempora prælio victi sunt à Venetis Hadrienses.

ſes. Otho maritima omni Dalmatiæ, Tiburniæ, & Hiſtriæ ora luſtrata (quæ patris eius ductu in Venetorum fidem venerat) ciues iureiurando adegit, vt in Venetæ gentis fide manerent. Ex Dalmatia reuerſus, à coniuratis capitur, captus in Græciam relegatur, vbi non multò poſt obijt, cum Reip. præfuiſſet annos v. Petrus Centranicus Dux xxviij.

Huncquoque captum, populus abraſa prius barba, & inducto inſuper habitu monaſtico in exilium egit.

*Dominicus Flabanicus Dux xxix.*

Flabanico Remp. adminiſtrante, ſublatus eſt mos cooptandi in principatu collegæ. Fuit hic princeps annos x.

*Dominicus Contarenus Dux xxx.*

Contarenus ingenti nauium vi in Dalmatiam profectus Iaderenſium, qui antea in Venetorum fidem venerat, & iam ad Croaciorũ regulam, vel vt alij tradunt, Pannoniæ regem defecerant, vrbem obſedit, obſeſſam expugnauit, quę expugnatio cæteras vrbes in fide continuit. Dominicus hic Conteranus humanæ neceſſitati conceſſit ſexto & xx. ſui Ducatus anno.

*Dominicus Syluius Dux xxxi.*

Hic Syluius Græci faſtus ac ſuperbiæ plenam vxorem habuit. Conſtantinopolitana fuit, comi aqua ad ſe lauandam nunquam vtebatur, cibaria digitis non attingebat, ſed aureis furculis apprehẽſa ori admouebat. Tanta flagrabat Odorum varietate cubiculum eius, vt nimia ſuauitas ingredientium ſenſus pene obrueret. Syluij huius ductu Veneti à Normannis ad Dyrrhacgium ingenti prælio victi ſunt. Adeò inſignis hic accepta clades, vt ex tot nauibus eo per Syluium ductis, quum alij medijs aquis interfecti, alij capti eſſent, pauciſſimi euaſerint. Ingens hac re parta eſt principi inuidia. Venetias reuerſum populus publica adminiſtratione priuauit an. Ducatus eius xiij.

*Phalerius Dux xxxij.*

Huius principatu ex Alexij imperatoris Conſtantinopolitani conceſſione, Veneti Dalmatiam, Croaciam

que

quod latronum manibus extortas legitimo possidere cœperunt imperio. Harum prouinciarum primus dux inscriptus est Phalerius. Henricus Italiæ imperator Venetias venit Marci Euangelistæ sacrarium visurus, Lauretus vicus vetustate collapsus Phalerij cura & studio reparatus atque in parui oppidi speciem redactus est. Præfuit hic princeps annis duodecim vt quidam scribunt, vt alij rredecim.

*Vitalis Michael, Dux xxxiij.*

Auspicijs huius Ducis numerosissima classis ad vrbes & loca terræ sanctæ recuperanda in Syriam missa est bello quod ductores habuit Gotthofredum & Balduinum Bolonios. Insignes ij viri in Asiam, ingentibus copijs transmissis Niceam, Iconium, Heracleam, Antiochiam ac plæraque alia oppida fidei hostibus ademerunt. Denique sanctam vrbem Hierosolymam receperunt. Per idem tempus à Venetis Ascolon vrbs maritima, Cephas & Tyberias oppida capta sunt. Vitalis vita decessit anno sui Ducatus quarto.

*Ordephalus Taledrus Dux. xxxiiij.*

Ordephali principatus anno primo, aut certe altero, numerosam rursus classem Veneti in Syriam miserunt. Centum fuisse naues traduntur. Balduinus post fratris Gotthofredi obitum, terræ sanctæ Rex salutatis, per id tempus Ptolemaidem vrbem maritimam oppugnabat, quam maritimis Venetorum copijs auctus intra vicesimum diem cepit. Inde ad Sidonem classis eadem, & terrestres copiæ admotæ sunt, oppidumque nõ sine cæde ingenti captum est, capta & Tarania vrbs littoralis, & multæ hostium naues quæ mare infestabant, à Venetis oppressæ sunt, ob quæ magnificè gesta Balduinus toto Hierosolymitano regno plnrima concessit, tribuitque Veneto priuilegia. In Ordephali tempora Dalmatiæ ad Pannoniæ Regem defectio incidit, ad quam recuperandam, Dux ipse cum exercitu eo profectus, hostem tota Dalmatia cedere coëgit. Post pacatã prouinciam Venetias reuerso Duce, non diu quietus fuit regionis status. Nouæ enim copiæ ex Pannonia irru-

irruperunt. Quo accepto nuntio Ordephalus haud cessandum ratus, aliquanto valentiorem classem quā antea in Dalmatiam trāsportat, vbi cum hoste fortiter pugnans telo ictus cōcidit, anno Ducatus xix Corpus eius Venetias deportatum in diui Marci æde, magnifico exequiarum apparatu conditum est Hic honor ei debebatur qui pro patria dimicans fortiter occubuerat.

*Dominicus Michael Dux xxxv.*

Post mortem Ordephali traditæ sunt rerum Habenæ Dominico Michaeli, qui Calisto Pōtifice authore in Syriam, cum classe transiuit, vbi opibus hostium fidei magis magisque indies inualescentibus apparebat, recepta sacro bello Syriæ loca sine nouis auxilijs defendi amplius non posse. Huc quum venisset ante Iopensem portum in hostem ferociter mouit, impetu repente facto Barbaros adortus, obsidionem soluere prius coegit, quā naues illi suas explicare possent. Multi hic cęsi, multi capti, & tota est hostium disiecta classis. Secundum hanc victoriam Michael Hierosolymam venit, vbi benigne eum duces exceperunt, gratulantes quod incolumi classe, & hoste fuso in tellurem sanctam venisset. Hic quum aliquandiu inter se Duces colloquenti fuissent de ratione gerendi belli, nec satis conueniret inter eos, ad quā potissimum vrbem oppugnandam ducerentur exercitus. Venetiarum Dux Michael consuluit, vt ad diuinas sortes recurrerent, atq; ita sorte cōstitit. Tyro in primis admouendas esse copias. Sortitionis genus tale fuit, vti nomina oppugnandarum vrbiū in proximam arā coniecta rudis quispiam puerulus manu misceret, inde diuinis rebus rite peractis, puer idē vnā ex schædulis, quæ singularum vrbiū nomina cōtinebant, ad principes deferret. Hic autem accidit, vt puer chartam educeret quæ Tyri nomen habebat. Placuit igitur à Tyria oppugnatione bellum inchoare. Missus eo Venetus terra mariq; vrbem ita pressit. vt deditionem tandem fecerint ciues. Vrbe capta, in turribus alijsque locis eminentioribus præfixa sunt Venetorum signa, quorum opera in eius obsidione vrbis maximè enituerat. Michael relicta Sy-

ris omnem orā maritimam in Dalmatiā vsque partim domuit, partim ab iniuria hostium vindicauit. Venetias reuersum, ob rem bene gestam magnificentissimis verbis laudauerunt omnes ciuitatis ordines. Naturæ concessit administrationis anno vndecimo.

*Petrus Polanus Dux xxxvj.*

Huius principatu discordias inter Venetos, Pisanosque subortas Romanus Pont. sustulit, sed non nisi post multas variasque clades vltrò citroque per occasionem illatas & acceptas. Cum Patauinis quoque pugnatū est ob scissionē fluminis. Victor Venetus ad trecētos quinquaginta ex victis captiuos Venetias adduxit, quos omnes postea gratis ad vnum reddidit, quum intellexisset culpā scissi fluminis non penes nobiles, sed plebeios quosdā temerarios fuisse. Præfuit annos nouendecim.

*Dominicus Maurocenus Dux xxxvij.*

Huius temporibus inuenio iacta fundamenta turris, quę Venetijs è regione fori visitur, fastigium habens ex auro purissimo. Hęc turris in tātam assurgit altitudinē, vt ad ortum & meridiem longissimè in mediterraneū mare prospectum aperiat. In idē tempus incidit conditio Phani virginis (Crucigeri habent) Gausonia familia priuato sumptu extruxit. Desijt in humanis esse Maurocenus quum annos octo rebus præfuisset. Ad Phanum crucis est conditus.

*Vitalis Michael Dux xxxviij.*

Per Vitalem hunc Michaelem secundum, Pisani sublata prorsus veteri æmulatione ad Veneti nominis amicitiā retracti sunt. Idem cū valida classe missus in Græciam contra Emanuelē Imperatorem, qui vno tempore negotiatores Venetos tota Græcia oppresserat, vbi secūda nauigatione in Eubœam delatus esset, seque ad vrbium oppugnationem expediret, insulæ præfectus tam numerosæ classis appulsu territus, aut certè Emanuelis consiliorum haud ignarus, vt nimis potentem hostem aliqua mora ludificaretur, suasit, vt de pace legatos ad Imperatorem mitteret, se certo scire illum, vel iniquissimam pacem bello prælaturum. Missa est legatio. Interim Dux Chium insulam totam armis subegit. Et

quia iam hyems instabat hic manere statuit, & missos ad Emanuelem legatos expectare, Emanuel callido vir ingenio, & ad dolum procliui quum quædam peteret, alia negaret, nunc legatorum postulata probaret, consilio opus esse diceret, atque ita rem de industria traheret, legati re infecta reuersi sunt. Ingens tum pestilentia repente orta, paucis diebus ingentem vim hominum absumpsit. Quidam in literas miserunt fontes proximos & flumina, vnde Venetus miles aquam petebat, Emanuelis iussu veneno infecta fuisse, atque ex ipso aquarum potu Venetos morbo correptos. Dux hac clade suorum vehementer affectus, quum videret atrocius indies sæuire malum, & iam vulgo milites, sociosque nauales cadere ineunte vere classem Venetias reduxit. Classe reducta pestis repente totam vrbem ita corripuit, vt intra dies perpaucos multa hominum milia consumpta dicantur, tum auditæ ciuium querelæ, cladis acceptæ culpam in Ducem conferentium, eum patriæ suorumque ciuium proditorem vocantium. Qui dum obsequi studet, Veneti nominis infestissimo hosti insignis victoriæ occasionem turpiter è manibus emisisset, & quum purgare se volenti populus ad concionem vocatis amaris criminationibus obstreperet, iamque vitæ periculum imminere videretur, ipse clam ex ducaria domo dilapsus est. verùm nec sic quidem euadere potuit, nam multitudini cedẽs, quum iter solus ingredi cœpisset, ab obuio quopiam nullius accepit grauissimũ ex quo mors sequuta est, anno principatus eius decimo septimo.

*Sebastianus Cianus Dux xxxix.*

Cianum Ducem declaratum populus miro consensu probauit. Huius principatu artifex quispiam ex Cisalpina Gallia geminas ante forum columnas mira arte erexit. Opere peracto iussus à principe & populo petere quod vellet, nihil aliud pro mercede postulauit, quam vt aleæ lusoribus in ipso intercolumnio vel dolo malo ludere impune liceret. Laudarem opificem illum, nisi tam turpi ordini consultum voluisset, quem nisi

sum-

ſummoperè probaſſet, non tanta commendatione eſſet proſequutus. Cianus republica bene adminiſtrata, quũ iam ad multam ſenectutem perueniſſet, fato vita deceſſit, anno ducatus octauo, ſunt qui vnum detrahant. Fama tenet à Ciano piam numorum diſtributionem primo inſtitutam, qua diui Marci procuratores orphanos, ac pauperrimum quemq; publico ære ſubleuarent.

*Aureus Maſtropetrus Dux xl.*

Aureus accepti ſummi magiſtratus inſignibus continuo Piſanos ab Anconitanorũ ſocietate alienauit, nã horum adiuti viribus Anconitani mare ſuperum, qua Veneti in Græciam, & circumiectas inſulas quæſtus gratia nauigabant, aliquandiu infeſtauerant. Ad poſtremum verò redditis hic inde ablatis rebus induciæ in decimum pactæ ſunt. Hoc principe à Chriſtianis noua expeditio ſuſcepta eſt ad Hieroſolymam recuperandam, vnde Saraceni octogeſimo octauo anno, poſtquam receperat eam Gotthofredus Bolonius, Saladini ductu Gallos deturbarant. Multos claroſq; Chriſtiani nominis duces Romani Pon. hortatu pro recuperanda tellure ſancta, legimus cum arma induiſſe, in quibus imperator Fridericus, Philippus Galliæ, & Richardus Angliæ Reges fuerunt, cum multis clarorum antiſtitum appendicibus. Veneti quoque per idem tempus ingentem claſſem decreuerunt. Miſſus & à Piſanis nauium ingens numerus, quæ cum Veneta claſſe prius in Syriam applicuerunt, quam imperatoris copię in Aſiam traieciſſent, vbi ille pauciſſimis quas Chriſtiani amiſerant, vrbibus receptis minorem Armeniã ingreſſus, dum abluendi ſudoris ſtudio in præaltum flumen temere deſcendiſſet, impetu vndarum victus perijt. Neſcio an tanti principis miſerandus, deflenduſque pijs interitus inchoatum ſacrum bellum diſſoluerit. Venetijs Aureo duce nouus ſignatus eſt numus, quem ab autore ipſo Aurellum nuncupauerunt. Tandem Aureus Aurello ciuibus percuſſo, monaſticam indutus cucullam deceſſit. In annis quibus præfuerit, variant ſcriptores rerum Venetarum. Quidam

 nouo,

nono, alij quartodecimo, alij quod longè diuersum est, octauo & vicesimo rebus humanis exemptum tradunt.

*Henricus Dandulus Dux xlj.*

Henricus Veronensibus, qui Venetis in Athesi fluuio vim fecerant, Veneto interdixit commercio. Qua denuntiatione territi illi, redditis quæ per vim abstulerant, suas Venetis immunitates seruaturos se, neque post illa fluminis vnquam nauigatione violaturos promiserint. Huius quoque principatu nouum genus numi, & à Venetis alijsque principibus Christianis aduersus Turcas, Saracenosque fœdus percussum est. Henricus anno sui principatus tertio decimo decedens, Petrum Cianum Sebastiani ducis filium successorem habuit.

*Petrus Cianus Dux xlij.*

Huius principatu ab Angelo Phaledro tabula quæ ad aram maximam aureæ ædis ante dicata fuerat gēmis, atque alio precioso apparatu amplius instructa est Mariæ Hierosolymitanæ Phanum, vbi hodie virgines clausæ sunt, opus ad hunc Cianum refertur. Qui quum annos 22. Reip. præfuisset, vita functus est.

*Iacobus Tepulus Dux xliij.*

Hoc Duce forum petitionum institutum est cum tribus iudicibus, qui in eo causas cognoscerent, veteres leges & instituta ciuitatis diligēti examinatione recognouit senatus. Anno ducatus sui vicesimo circumacto, Tepulus diem clausit extremum.

*Marinus Maurocenus Dux xliiij.*

Hoc principe Philippus Fontana Rauennas antistes à Pontifice Romano missus legatus Venetias venit, vbi cœlestis vitæ præmia proposuit omnibus, qui arma aduersus Ecelium tyrannum, hostem ecclesiæ Romanæ iudicatum secum sumpsissent. Multi mortales ad hoc bellum gerendum magnis præmijs euocati, Venetias cōfluxerunt. Sed vt in primis iuuit Venetus, qui præter ingentes copias etiam arma, naues, & cōmeatus dedit. Ob tam egregiam hac expeditione nauatam Pontifici ope-

operam Veneto concessum est, vt aureæ ædis primicerijs mitra, & pastorali baculo sacrorum hora vteretur. Dux Marinus fato cessit anno principatus sui quarto.

*Rainerius Zenus Dux xlv.*

In huius tempora grauis domi seditio incidit. Diuturni belli oneribus exhausto vrbis ærario, coacti sunt patres ad naues alendas nouum excogitare vectigal. Quum igitur in multuris excogitatum publicari iussissent, tum ciues oneris impatientes cum clamore, & minis in curiam irruerunt. Nouitate rei perculsis patribus Dux Rainerius ad primum tumultuantis populi aduentum curia egressus, in medium processit, vt vel Ducaria autoritate strepenti vulgo pudorem inijceret, vel populari aliqua oratione concitatos animos mitigaret. illi Ducaria maiestate neglecta lapides continuò in Rainerium coniecerunt. Territus ille plebeio cessit furori. Quo è medio abeunte à seditionis autoribus, nobilium domus aliquot sunt direptæ. Sedato demum tumultu apprehensi, qui plebei furoris Ducis publicam maiestatem violare fuissent ausi, exquisitissimis supplicijs affecti sunt. Quidam tradunt per hæc tempora vias vrbis, ac vicos omnes lateribus stratos, & Pontem qui in Riuoalto visitur, maiore opificio quam prius, maioreque sumptu instauratum esse. Zenus regiminis sui decimo septimo anno è viuis excessit.

*Laurentius Tepulus, Dux xlvj.*

Principatu Laurentij qui fuit Iacobi Tepuli filius, quum inter duos potentissimos Italię populos Genuenses & Venetos atrox bellum esset, Pont. Rom. Clemens quartus missa legatione, eos ad inducias hortatus est, si ad pacem animi tam citò inclinari non possent, Viterbium ad Pontificē iussi venire legati vtriusq; populi, post aliquot menses re infecta abierunt. Per id tempus fame ingenti laboratum est Venetijs; nam infestantibus mare Genuensibus, negociatorum nemo in Siciliā Apuliamq;, vnde frmentū peti solet, nauigare audebat. Missi Tauricium, Patauium, Ferrariam, & ad alias vicinas vrbes, qui ab illis frumentum emerent, ab omnibus

bus frumentatio Venetis negata est. Qui ob eam rem vehementer commoti legem tulerunt, vt qui intra Phanaticum sinum, & Padi fluminis ostia negotiatorũ caussa nauigarent, vectigal penderent, ad quod persoluendum, & ad mercem ipsam si magistratibus ita visum esset, æstimandam Venetias venirent. Cui legi ne fraus fieret, nouum magistratũ creauerunt. Huic aliquot data nauigia ad omnem oram maritimam perlustrandam. Scribunt quidam Ligustico bello, quod in vndecimum annum perductũ est, finito, ortum esse nouum Veneto à Bononiensibus bellum, qui lege de portorijs lata mare suis negotiatoribus nuper interclusum esse, iniquo animo ferebant. Cum his populus pene triennio circa Padi ostia bellatũ est. Tepulus Dux morbo interijt, nondum exacto in regimine sexennio, in æde Gemellorum Venetijs paterno est sepulchro illatus.

*Iacobus Contarenus Dux xlvij.*

Contareno Remp. administrante, bellum propè est cum Genuensibus renouatum, qui Venetorũ nauium vnam onustam, omnis generis mercibus oppresserant. Sed vbi compertum est publico id consilio factum non esse, tantum res repetitæ sunt, & reddita à Ligure Seditio quam dixi ob molarum vectigal Venetijs ortã, hoc duce prorsus sublata est. Pacatis domi rebus, nouũ foris est ortum bellum, Iustinopolitanis à Venetorum imperio deficientibus, sed ij non multò post à Venetis bello victi, quum viderent neque suas neque externas opes sibi prodesse, in fidẽ coacti sunt redire. Ad quos in fide retinendos decreto senatus in prouinciam est missus Rainerius Maurocenus. Dux iam senio confectus, & ob annorum multitudinem publicis negotijs obeundis parum idoneus, quum sponte magistratu abijsset, paucis post diebus fatalem obijt diem. Eius funus frequenti ciuium concursu ad ædem Minorum elatum est.

*Ioannes Dandulus Dux xlviij.*

Contareno Ducatu abeunti Ioannem Dandulum absentem populus suffecerat. Huius principatu mare ita vrbem inundasse traditur, vt res pene in prodigium

sit

sit versa. Non multò post alluuionem illam vrbs vehementi motu terræ est concussa. In Syria Babyloniorum rex Tripolim vrbem clarissimam, inde eodem successu Tyrum, Sidonem, Barythum cepit, captas diripuit, direptas flammis absumpsit. Dandulus moritur præfecturæ suæ anno ferè decimo. Ad Gemellorum phanum eius funus frequens populus extulit.

*Petrus Gradonicus Dux xlix.*

In Gradonici principatum atrox coniuratio incidit. Baiamons Tepulus homo nobili genere natus, sed animo in patriam hostili, videns rempublicam multis bellis & cladibus concussam, cum multis alijs quos dementiæ suæ fecerat socios, in patriam coniurauit. Conuenerat inter eos, vt constituto ad patrandum facinus die, in curiam irruerent, ac momento temporis Gradonico Duce, patribusque occisis rempublicam inuaderent, resque imperij inter se partiti, apertam exercerēt tyrannidem. Vbi verò dies, quo tentanda res erat, illuxit, cōiurati cum clamoribus strepituque in publica loca procurrunt. Res aliquanto antea Duci & patribus significata, ingentem terrorem attulit. Conclamatur ad arma. Dimissi per vrbis vicos, qui alta voce significarent, vt quicunque rempublicam saluam vellent, arreptis armis in curiam ad ferēdam principi ac patribus opem aduolarent, vndique huc ciues reipublicæ amantes cōcurrerent. Fit impetus à coniuratis, oritur fœdissima pugna. Tandem optimantium factio victrix, coniuratorum arma cum multa cæde ex publico repulit. In ea trepidatione Baiamons coniurationis caput, vbi fortunam inclinare vidit, domum se recipiens, à muliercula quapiam superne deiecto magno lapide, pene exanimatus iacuit, quem ita graui retentum vulnere qui eum insequebantur ferro oppresserunt, coniuratorum aliquos patricij sanguinis, ad suum conspectum adductos, princeps confestim securi percussit. Senatus ex publico stipendium mulieri, quę Baiamontum lapidis deiectu retardauerat, & posteritati eius decreuit. Festa Viti martyris lux erat, quum teterrima coniuratio

oppressa est. Hinc quotãnis stato die Dux & patres, præeunte clero quasi publicam salutem ad Vitũ referentes, eius templũ adeunt; vnde reuersi, opipare, laute, splẽdideque in ciuica domo epulantur. Dux Gradonicus anno principatus duodecimo, ac mense nono è viuis concessit. Eius funus Cypriani templo ciuitas intulit.

*Marinus Georgius Dux l.*

Marini huius qui à vitæ probitate Sancti cognomen accepit, principatu Veneti annum vnum Pontificis interdicto obnoxij fuerunt, ob Ferrariam occupatam Romanæ Ecclesiæ vectigalem vrbem. Per idem tempus amplum & magnificum diuo Dominico phanum Ducis Marini sumptu ædificatum est, & frequẽs in eo collegium institutum sacris operantium. Pium etiam ab eo statutum hospitium, vbi languentibus victum perpetuo exhibendum cauerit. Ab hoc principe bona omnia sperari poterant, si longior ei principatus contigisset. Fatalẽ obijt diem mense decimo ab eo quo honorem inierat.

*Ioannes Superantius Dux lj.*

Superantio principe Veneti Clementis quinti Pont. inderdicto, cui, vt proxime dixi, ad eam diem obnoxij fuerant, soluti sunt. Ad id impetrandum miserant patres, Franciscum Dandulum. Pontifex, cui ob captam Ferrariam Venetus erat inuisus, missum legatum serius admisit, qui admissus catena ferrea collo iniecta, ad Põtificis mensam tam diu in morem canis prostratus iacuit, donec expugnata illius ira ignominiosam notam patriæ ademisset, & ex eo illi postea Canis cognomen fuit; quod vt canis, ad Pontificiam mensam proiectus iacuisset. Duriter profectò ne superbe dicam, Pontifex egit, quem exemplum saltem nostri Seruatoris, cuius ipse vicarius tunc erat, mouere debuit, qui ne sceleratissimo quidẽ latroni veniam negauit. Duriter vt dixi Põ. egit, quia potuit. Dandulus verò pie, quia noluit. Probabitur illius factũ fortasse ab aliquibus, huius verò pietatem omnis non solum probabit, sed mirabitur etiam poste-

posteritas. Dux Superātius annos ſexdecim, menſes ſex rem Venetam adminiſtrauit. In diui Marci ſacello funeratus, vbi Baptiſmi lauacrum viſitur.

*Franciſcus Dandulus Dux lij.*

Superantio rebus humanis exempto, Franciſcū Dandulum populus Ducem declarauit. Eum virum qui tam ignominioſo ſtatu pro patria nuper conſpectus fuerat, non ingrata ciuitas cultum nunc ſummi honoris inſignibus conſpici voluit. Per id tempus Venetijs mira annonæ caritate laboratum eſt, naues aliquot frumentatum miſſæ in Siciliam. Magna hinc accepta vis tritici paucis diebus, quod gratiſſimum fuit populo, famem diſcuſſit. In principatum Danduli Eclipſis ſolis incidit. Sol circa meridiem trium horarum ſpatio obtenebratus fuit. Exceſſit è viuis Dandulus anno ſui Ducatus circiter vndecimo.

*Bartholomæus Gradonicus Dux liij.*

Sequitur Bartholomæus Gradonicus. Huius ducatu ita ingens fuit in vrbe cataclyſmus, vt tribus cubitis & amplius quam vnquam alias creuerint aquæ. Circa hæc tempora rebellatum eſt à Cretenſibus quibuſdam Regulis, ad quorum motus comprimendos, in inſulam miſſi cum exercitu Nicolaus Phalerius. Iuſtinianus Iuſtiniani cognominis, & Andreas Maurocenus, paucis diebus in Venetorum poteſtatem redactos, meritas ſui ſceleris pœnas luere coëgerunt. Multi aquis merſi, plures ſuſpendio necati. Regulorum ſupplicio territa plebs, ad imperium breui poſtea redijt. Ingentem annonæ caritatem totus Gradonici principatus habuit, ſed ille breuis admodum fuit, quippe qui biennium & menſes nouem nō exceſſit. Defuncti corpus ſepultum in aureæ ædis veſtibulo.

*Andreas Dandulus Dux liiij.*

Andreas Dandulus vir & doctus & eloquens, vt homines eius ætatis eſſe potuerunt. Comis adhæc natura munificus, vnde Comiſini cognomentum traxit, Gradonico ſufficitur. Non alias ferè iunior quiſquam regimen accepit. Reperio ſextum & tri-

 geſi-

gesimum vitæ annum tūc egisse, quum summum apud Venetos honorem est adeptus. Sub primam huius administrationem ex fœdere icto inter Clementem Romanum Pontificem, & plærosque alios Christiani nominis principes, contra Turcas longæ naues sexdecim instructæ sunt Petrus Zenus classi præfectus plurimis Barbarorum oppressis nauibus, Smyrnam vrbem adortus cepit, captam valido præsidio firmauit. Ingens annonæ caritas ciuitatem pressit, quæ sub Gradonico principe cœperat inualescere. Ad eam leuandam, naues aliquot coemendi causa frumenti in Apuliam & Siciliam missæ sunt. Ex his quatuor tantum frumento onustæ, domum incolumes redierunt. Cæteras fœda tempestate perijsse inuenio. Reditu nauium quum annonæ caritas remisisset, vno sublato malo aliud confestim subsequutum est. Nam & motu terræ magno, qui in festum conuersi Pauli lucem incidit, ædificia multa & publica & priuata ruinam contraxerunt. Aliquod ædium sacrarum turres fastigium demisere. Sub hunc terræ motum fœdissima pestilentia corripuit ciuitatem Ex omnium languentium numero, qui indicibilis fuit, vix centesimus quisque mortem euasit. Andreas Dandulus diem obijt nondum actis in regimine annis duodecim.

*Marinus Valerius Dux. lv.*

Marianum absentem populus Ducem declarauit. Agebat tum ille Oratorem publicum apud Romanum Pont Initio principatus eius fames, pestilentia, diri terræ motus ciuitatem concusserunt. Marinus quum iam nouem menses præfuisset, regnum affectare cœpit. Homini nephario, & patriæ, patrumque conscriptorū hosti in animo erat cæsis primoribus Remp. occupare. Ad scelus patrandum socios habebat facinorosissimos aliquor. Sed hoc quoque tempore diuina prouidentia seruati sunt optimates: nā pridie eius diei qui patrandę cędis statutus erat, quidā ex cōiuratis pœnitētia credo ductus, Nicolao Leoni viro patricio rem omnem aperuit. Qua audita Leo, confestim Seniores patrum ad se vocat,

quibus

quib⁹ visum est optimũ ac tutissimũ fore, si cõiurationis autores & capita quamprimũ apprehenderentur. Quod ita factum est, vsq; ad sexdecim numero Hos apprehensos & sceleris conuictos, patres conscripti suspendio necari iusserunt. Dux Phalerius securi subiectus est. Mortui cadauer octo viatoribus cereos præferentibus, ad Gemellorum ędem deportatur. Acerbissima deinde habita quæstio de coniuratis alijs, inuenti & sceleris conuicti quadringenti, non vno genere supplicij perierunt. Senatus alios suspendio mulctari, alios securi percuti, quosdam in mare proijci iussit. Venia data est nonnullis, qui se coniuratis adfuturos dixerant, nõ tamen ita fecerunt. Indici coniurationis non solum ignotum, sed annuum etiam decretum est stipendium.

*Ioannes Gradonicus Dux lvj.*

Duce Gradonico Veneti pace terra mariq; parta, ad mercaturam conuersi in Cyprum & Aegæi maris emporia naues quamplurimas dimiserunt. Reducta est non multò post hæc classis à Bernardo Iustiniano, quem patres ad mercatum eunti præfecerant. Obijt Gradonicus mense secundo, anni qui secundus erat ei in ducatus honore.

*Ioannes Delphinus Dux lvij.*

Ioannes Delphinus absens Gradonico surrogatur. Huius principatu Venetus à Ludouico rege Pannoniæ qui Dalmatiam inuaserat, pacis conditionis accepit, necessarias magis, quam honestas, iniquo reipublicæ tẽpore cessit Barbaro Dalmatiæ possessione. Delphinus vita decessit anno regiminis quinto circumacto.

*Laurentius Celsius Dux lviij.*

Laurentius Celsus qui proximo ducatu positis cum Ludouico armis ad Carolum Imperatorem magnis de rebus in Germaniam fuerat missus. Ipse quoq; absens, Dux eligitur. Misit ad eum ciuitas duodecim patricij ordinis viros, qui publico ei nomine summum vrbis honorem gratularentur, & naui impositum Venetias reducerent. Quem suburbanis littoribus applicantem, patres obuiam progressi honorifice exceperunt. Noui

principis pater, vt ſcriptum inueni, aliquandiu à ſalutationis officio abſtinuit, ne filium capite nudato adire cogeretur. Parum ciuiliter ille, & inerudite fecit. Debuit eum docere quod apud Gellium Taurus Philoſophus ait, in publicis muneribus patrum iura cum filiorũ qui in magiſtratu ſunt poteſtatibus collata interquieſcere paululum, & conniuere. Debuit intelligere id officium ſe, non filio, ſed reipublicæ maieſtati quæ in filio conſpiciebatur, præſtare. Præclaris Ethicæ diſciplinæ viris placuit, vt filio magiſtratum gerẽti, in publicis actionibus parens cedat, domi verò paternæ dignitatis in primis ratio habeatur. Cum extra Remp. in re domeſtica, atq; vita, vel ſedetur, vel ambulatur, in conuiuio quoq; familiari diſcumbitur, tũ inter filium magiſtratum, & patrem priuatum publici honores ceſſent, naturales & genuini exoriantur. Celſo Remp. gubernante, Dux Auſtriæ Venetias applicuit, non alio negotio adductus, niſi vt vrbem quam medijs audiuerat aquis fundatam inſpiceret. Quod vbi ſenatus cognouit, illum veniẽtẽ honorificẽtiſſime excepit, & hoſpitium principe viro dignum expediuit, & impenſas liberaliter tum ipſi, tom toti comitatui pręſtitit. Luſtrata itaq; per otium vrbe, poſt non multos dies in Germiam redijt. Celſus regiminis ſui menſe decimo ſupra triennium humanæ neceſſitati conceſſit.

*Marcus Cornarius Dux lix.*

Cornarij ducatu Cretenſes defecerunt. Miſſi à Venetis, qui hunc motum inhiberent. A Pontifice etiã Rom. per id tempus facilè impetratum eſt, vt quiſquis aduerſus perfidos inſulanos arma ſumpſiſſet, is omnium delictorum ſuorum plenam demereret veniam. Cornarius poſt biennij, & menſium octo adminiſtrationem iam grandis natu mortem obijt. In Gemellorum phano ſepultus eſt.

*Andreas Contarenus Dux lx.*

Andreas oblatam ſibi dignitatem adire noluit. Receperat ſe ob id ipſum in Patauium agrũ, vbi fundũ habebat, nõ rediturus in vrbẽ, niſi noua alterius ducis decla-

ratio secuta esset. Sed quum neque patrum, neq; amicorum literis Venetias ad capessendum principatum retrahi posset, missi sunt ad eum cognati eius aliquot futurum denuntiantes, si oblatum sibi honorem recusare pergeret, vt non multò post, quod senatores intermi:ati essent, bonis publicatis ipse in exilium ageretur. Hic ille priuato periculo motus cessit, & Venetias venit, magno posteris exemplo relicto, ne quis temerè rempublicam adeat, quæ non tam nostra quam ipsius causa adeũda est. Cum Andreas summam dignitatē accepisset, respublica externis bellis vehementer iactata est, & vrbs magnoperè annona laborauit. Contarenus præfuit annos quatuordecim & amplius.

*Michael Maurocenus Dux lxj.*

Mauroceno principe legem de sicarijs latam inuenio, vt qui hominem interfecisset, securi percuteretur, quãdo ad id tempus homicidæ patrio more suspendio necarētur. Statuerat hic Dux nouis institutis & sanctionibus ornare ciuitatem, sed quo spei plenior, eo quidem breuior fuit eius principatus. Obijt enim mense circiter quarto administrationis suæ.

*Antonius Venerius Dux lxij.*

Venerius absens factus est princeps homo præter claros natales amœno ingenio, & ad omnium gratiã promerendam comparato. Sub Idus Ianuarias domum reuertenti, patres cum magna ciuium parte obuiam prodierunt. Multi hic complexus, & magna gaudia, vt tanti viri præsentia omnibus iucundior esset, diuturnior fecerat absētia, septennium enim cum tota domo abfuerat. Temporibus eius neq; discordia vlla in ciuitate, neque motus fuit. Ad hęc suauissimum & probatissimum fecit hunc principatum copia rerum omnium. Venerius annos octodecim rempublicam administrauit.

*Michael Stenus Dux lxiij.*

Michael Stenus Venerio suffectus est. Nulli priorum Ducum maiores populus honores habuit, ab omnibus ciuitatis ordinibus ludi sunt magnifice instru:ti in eius gratiam. Non multò post Venetis Patauium obsidio-

obſidione prementibus Maſſolerius quiſpiam Veneti ſanguinis in ſuſpicionē venit, quod ſagittas literis alligatis ad hoſtem Patauium occultè mitteret. Coniectus in compedes Venetias auehitur, vbi crimen confeſſus rectè ſuſpenditur in curiæ parte ſuperiore. Eodem die Maſſolerij fratrem & alios duos ſacerdotio initiatos loco, qui ad geminas columnas dicitur, viuos obuerſis capitibus humo defoſſos, & Ioannem quendam Ticinēſem laqueo necatum reperio. Illi nocturno tempore vrbem pluribus locis incendere ſtatuerant. Hic occulta cū hoſte habuerat colloquia. Zeni ducatu Veronenſes & Patauini cum ſuis finibus Veneto ceſſerūt imperio. Bellum quod cum his populis geſtum, vix triennio tenuit, ad vicies centena aureorum numum milia ex publico abſumpſiſſe traditur. Sub id tempus vrbis ſumma turris, quæ pro aurea æde viſitur, conflagrauit, quod ortum incendium eſt ex nocturnis ignibus, quos Veneti ob inclytam victoriam tota vrbe excitauerant. Vidit huius Zeni principatus prodigioſam quoq; tempeſtatem, quæ circa Auguſti idus cum pluuia & grandine tanto impetu exorta eſt, vt plæræq; naues, aliæ fluctibus obrutæ, aliæ ſuburbanis alliſæ littoribus perierint, multæ præterea domus priuatæ & publicæ ruinam traxerint, arbores ſolo auulſas remotioribus locis vis ventorum afflixerit. Zenus anno ducatus xiij. terras reliquit.

*Thomas Mocenigus Dux lxiiij.*

Mocenigi Ducis anni viderunt ædis diui Marci conflagrationem, incendium ex ducario ortum, ita atrociter debacchatum eſt, vt plumbo, ex qua materia totum templum opertum fuit, liquefacto nihil quibuſdam locis præter nudam teſtudinem ſuperfuerit. Senatus conſulto cautum erat, ne quis de veteri ducario diſijciendo apud patres in curia mentionem faceret. Si quis feciſſet, huic mulcta irrogaretur mille ducatorum. Dux Mocenigus publicum decus priuato commodo anteponens, mille ducatos in ſenatum attulit. Patres rogauit vti iuberent incendio & flammis deformatam ducariam ſedem ſumptuoſius ac ſplendidius, vt publica maieſtas

exige-

exigebat, instaurari. Triumuiri aduocatores à Duce quod contra senatus consultum fecisset, mulctam petiuerunt. Soluit eam Dux lubenti animo. Quumq; in suscepta actione persisteret, antiquato priori decreto, patres ducariam domum instaurandam censuerunt, atque ita diruto veteri ædificio magnificentius aliud cœptum est extrui. Sed eo nondum ad summum deducto, princeps fatali morte extinguitur.

*Franciscus Foscarus Dux lxv.*

Huius creatione adeò gauisa est vniuersa ciuitas, vt hastici ludi, aurigationes, & alia multa spectacula, per annum singulis ferè diebus festis instaurata sint. Hoc etiam anno cum Philippo Mediolanensium Duce cœptũ est bellari, propterea quod ille à Florentinis non abstineret, quos nouo fœdere in socios acceperat Venetus. Foscario Duce ita suburbanę aquę alta glacie concreuerant, vt ex Mestra oppido sponsa curru Venetias aducta sit, quod nullis ante ætatibus acciderat, vt quæ aquæ inter vrbem sunt & continentem fuerint aliquo modo plaustris peruiæ. Per id tempus Venetijs duplex numus est percussus. De hoc Francisco Foscaro Franciscus Philelphus in quadam epistola. Vt me delectat, inquit, assidua recordatio sapientissimi principis Francisci Foscari, cuius splendidissimum nomen nulla vnquam posteritas ignorabit. Is enim quum primum audisset captam vrbem Constantinopolim conuocato senatu, postea quam de tantæ rei indignitate, & acrem (vt semper) & grauem, & commiserabilem habuisset orationem, fertur consuluisse, non esse cunctandum diutius, sed bellũ confestim suscipiendum aduersus Turcas, ne tantum neglectum incendium latius consurgens in flammas, omnia concremaret. Fuit is certè Franciscus Foscarus, qui & ingenij acumine, & animi magnitudine, & pertractatione plurimarum maximarumq; rerum, in omni genere laudis cum omni posset conferri antiquitate. Huius si consilium valuisset, si rationi potius, quam perturbationi esset obtemperatum, qui nobis hoc tempore tantus imminet terror, omnem hostium ferociam pro-

ster-

sterneret. Sed quanto quæq; respublica maior est, & potentior, tanto ciuiles contentiones & crebriores sunt & longè magis periculosæ.

*Paschalis Maripetrus Dux lxvj.*

Foscarus exactis in principatu annis quatuor & triginta, iam nonaginta natus annos, & ob decrepitam ætatem obeundis muneribus inidoneus, posuit summi magistratus insignia, cui abhuc viuenti suffectus est Paschalis Maripetrus. Ingens hoc duce factus est terræ motus, qui circa Nonas Decembris totam fere Italiam concussit In primis Neopolitanum regnum. Inuenio multas magnasq; in hoc Paschali fuisse virtutes, sanum ingenium, nihil fictũ, nihil simulatum, pacis studium, religionem. Quumq; flagitiorum insectator acerrimus esset, sontes & sceleris cõuictos, aut meritis admouebat supplicijs, aut si id minus facere contigit, proscribebat. Librorum imprimendorum rationem tum primum esse in Italia repertam memoriæ proditum est. Inuentum ipsum Germani hominis putatur. Paschalis, annis quatuor & dimidio republica bene sanctéq; administrata diem obijt.

*Christophorus Maurus Dux lxvij.*

Christophoro Duce, Thomas & Demetrius fratres Peloponensi principes erant, quibus inter se diffidentibus, Demetrius ad Turcas deficiens, illorum arma in Peninsulam induxit. Sustinuit graue bellum aliquandiu Thomas. Postremò perditis rebus, immanissimum fugiens hostem, in Italiam ad Pium secũdum Pontificem nauigauit, diui Andreæ capite secum sublato, quod Romanus Pont. cum frequenti clero, & magna populi parte obuiam progressus circa Mammeum pontẽ, venerabũdus excepit. Per eadem tempora idẽ Pius Pontifex suã in Turcas expeditionem iã antea Mantuano conuentu motam ad exitum perducere cupiens, omnia parari iussit profectioni necessaria quam à discessu ab vrbe Roma Anconam vsq; huiusmodi fuisse reperio. Pius Pont. profectionem suam in Turcarum gentẽ perficiendi cupidissimus, ad xiiij. Cal. Iulij in ædẽ Apostolorum mane descendit,

cendit, vti mos eius erat, quum aliquo abiturus vrbem relinqueret, ibiq; veneratus aras, & rerũ successum precatus Roma egreditur, Patribus lecticam eius sequentibus, ad pontem Miluium dimisit à se omnes præter eos qui Anconam vsq; sequuturi essent. Nauiculam deinde ad leuandam terrestris itineris fatigationem, ascendens per aduersum amnem, ad castellum Iubileum peruenit, quod decem ab vrbe miliaribus distat, si per Tyberim iter facias. Pransus eo die in nauicula Pius, in eadem etiã cænauit & pernoctauit. Postridie sub ortum solis inde soluens Phianum appulit. Tunc quoq; cibum cepit, & noctu quieuit in naui propterea quod citra multam offensionem membrorum tractari & circumferri non potuit à lecticarijs. Die quæ sequuta est peruenit ad cœnobium diui Benedicti post occubitum solis. Hoc etiam loco, vt superioribus fecerat diebus in lembo dormiuit. Hinc ad portum Oriculi profectus est. Mallianenses, qui populi in Sabinis sunt, cum audissent Romanum aduentare Pont. ad subiectam Tyberis ripam, qua transiturus erat ille, frequentes descenderunt. Nauiculatores lembum trahebant per sinistrum latus fluuij, ligatis ad malum funibus. Conspecta Pius oppidanorum multitudine, & epularum apparatu, quas sublatis in cœlum lancibus, ostendebant ordine longo, ne facti eos impendij pœniteret, & contemptos se putarent, cõuerti subitò in dextrum amnis latus nauigium iussit, atque ibi aliquandiu visendum se præbuit. Grata Mallianensibus ea fuit Romani Pontificis humanitas. Postridie vltra Ocriculum non est progressus ob incommodam valetudinem. Hic nuntium accepit de rebus in Peloponeso feliciter gestis, vnde actis Deo gratijs ab Ocriculo ante lucem vitandi æstus gratia mouens Narniam caloribus diei nondum intendentibus peruenit. Sequenti die Interamnam cõtendit, quæ profectio haud mediocriter animum eius refecit, dum per subiectam planiciem iter tenens, agros, prata virentia, & cum magna delectatione arces intueretur, quæ vicinis in collibus nõ longis inter se spatijs apparebant. Sub auro-

ram

ram oppidum ingressus Dominici præcursoris natalem hic peregit, iter ab Interamna Spoletum vsque. & si non amplius milibus passuum xij esset, tamē quia inter perpetuas, & saxosas valles molestum nimis videbatur, ne valetudinem grauius offenderet, patiendum Pontifex putauit. Igitur ad tres tabernas ipse restitans, Cardinales præcurrere Spoletum iussit, hospitiorum ibi maiorem habituros commoditatem. Postero die Pius Spoletum delatus, inde continuato itinere ad medium fere Iulij mensis non sine labore & molestia Anconam peruenit. Hic expectatio Venetę classis eius animum vehementer anxit. Magna vis hominum ad famam piæ expeditionis excita ante Pij ab vrbe digressum, ex Gallijs & vtraque Germania confluxerat. Sed per Sabinos, Vmbros, & Picenos iter facienti, longe maior occurrit. Multos ex his concessa prius peccatorum venia domum redire iussit, & quia sine viatico venissent, & quia parum gerendo bello essent idonei, dies plus viginti Anconę expectatus Pontifici Christophorus Maurus, Dux Venetus, pridie Idus Augusti cum triremibus duodecim optime ad bellum instructis aduenit. Post cuius aduentum Pius lenta febri, qua non nihil antea in itinere, & postea Anconæ conflictatus fuerat, biduo vita decessit, An. humanæ salutis quarto & sexagesimo, supra millesimum, ac quatercētesimum. Mortuus pro fide Catholica, & redemptione plebis captiuæ Pius, obtulit seipsum hostiam Deo, relinquens exemplum sacerdotibus, quales pro commisso sibi grege pastores esse debeant. Bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis. Pecunia quam ad tantum belli onus exiguam Pius contraxerat, Cardinalium iussu Venetorum Principi adnumerata est, vt Mathiæ Pannoniæ Regi assiduum cum Turcis bellum gerenti mitteretur, ad soluenda militibus stipendia. Post Pij secundi obitum tantum belli onus solos Venetos suis viribus per multos deinceps annos sustinuisse reperio, non Italiæ solum oppidis, sed omnibus Europæ gentibus eos cum hoste potentissimo terra mariq; belligerantes securè & otiosè spectantibus. Mauri principatus annos nouem &

sex

ſex menſes habuit. Ad Iacobi phanum quod ipſe ſuo ſumptu cum proximo cœnobio extruxerat, funeratus eſt. Nec ea tãtum parte ciuitatem ornauit, ſed & partem interiorem Ducarij veſtibuli iam à Maripetri principatu inchoatam ad ſummum deduxit.

*Nicolaus Thronus Dux lxviij.*

Nicolao Throno principe, fœdus cum rege Perſarum eſt ictum, & Cyprus nobiliſſima inſula Veneto acceſſit imperio. A patribus ad Romanum Pont & ad Ferdinãdum Regem miſſi legati, qui peteret, vt ad bellum Turcæ communi hoſti inferẽdum ſe in proximam æſtatem pararent. Legatis benigne reſpondit, & pro viribus atq; opibus auxilia vterque promiſit. Datæ etiam literæ ſunt ad Cyprios & Rhodios, vt vires in barbarum contraherent. Mœcenicus Venetorum exercitui præfectus pro Chriſtiana fide ſtrenuè & magnificè multa geſſit. In orã Ioniæ tranſmiſit, Aeoliam & Cariam opulentiſſimas hoſtium regiones ferro & igni populatus eſt, Attaliam Pamphiliæ vrbem ab Attalo Rege conditam auxiliaribus Pontificis, & Ferdinandi Regis claſſibus adiutus expugnauit. Thronus cum annum vnum & menſes octo principatum tenuiſſet, medio ferè Autumno extinctus eſt. In templo Franciſcanorum ſepelitur, vbi à Philippo filio, magnificentiſſimum illi ex candido marmore & auro monumentum ſecus aram maximam erectum viſitur.

*Nicolaus Marcellus Dux lxix.*

Nicolaus Marcellus eximia vir pietate, fit inde Dux Venetorum, quo Remp. adminiſtrante ſeriem rerum à Venetis geſtarum pro Alexandro Pont. Rom. aduerſus Fredericum Imperatorem noua figuratione inſtaurare cœpit Gentilis Bellinus, vir ea tempeſtate pingendi peritiſſimus. Idem à Venetis ad Athamanum Turcarum imperatorem, poſt pacem cum eo factam Conſtantinopolim miſſus, quum eximia multa eius artis experimẽta edidiſſet, equeſtri adeò dignitate ampliſſimiſq; muneribus donatus, Venetias redijt. Marcello Duce argenteus numus eſt percuſſus, quem Marcellum ab autoris

nomine dixerunt. Scodram Dalmatiæ ciuitatem Turcę oppugnauerunt tanto conatu, quãto post Bizantiũ nullum Christiani nominis oppidum. Sed Antonij Lauretani, qui tũ erat oppidi prætor ac totius prouinciæ legatus virtute, & Scodrensium constantia multa cum strage & ruina hostes sunt à mœnibus repulsi. Tria milia Turcarum sub muris cæsa traduntur. Inclytæ huius victoriæ nuncius ingenti gaudio ciuitatem Venetam affecit. Laudauerunt amplissimis verbis omnes ciuitatis ordines Laurentanum, publicaq; illi munera decreuerunt. Scodrensium laudauerunt fidẽ, veramq; in defendẽda vrbe virtutem. His quoq; sua sunt reddita præmia. Gratias ad id circa omnia templa Deo Opt. Max. egerũt, quod tanto armorum apparatu obsessa vrbs in Tyranni potestatem nõ venisset. Marcellus Dux præsedit annum vnum, & tres ferme menses. Defunctum honorificentissime sepeliuit ciuitas apud Carthusienses.

*Petrus Mocenicus Dux lxx.*

Mocenici primo anno Veneti nauem vnam omnifariam Turcarum mercibus plenam inter Cyprum & Ciliciam oppresserunt. Turca cum triginta hominum milibus, Naupactum in sinu Corinthiaco situm oppugnare est adortus. In obsidione quatuor exactis mensibus, quum nulla expugnãdi oppidi spes esset, nam validum intus præsidium erat, fatigatus bello Barbarus abijt. Idẽ Lemnum insulam subita vi postea adortus, Coccinum in ea oppidum improuisa irruptione cepisset, nisi Lemniaca puella Marulla nomine, patrem suum ab hoste in portis Coccini occisum intuita, scuto iacentis, & ense arrepto Barbaros iam portam irrumpere volentes, tam diu sustinuisset, quoad suorum occursu adiuta, illos magna cum cæde ad naues vsq; reiecisset. Ob facinus tam egregium, puellam hanc Antonius Lauretanus, cui ob rem ad Scodram fortiter administratã maris fuerat delatum imperium, magna pecunia donauit, & optionẽ illi dedit, vt ex fortibus viris maritũ quem vellet, cum dote summa ex publico acciperet. Cui respondens, me inquit Lauretane non fortitudinis solum, sed probitatis etiam

tiam rationem habere oportet. Nulli itaq; prius nuptura sum quam plane exploratum habeã, qualis ille futurus sit maritus. Mocenicus Dux cum annum vnum & menses duos rerum tractasset habenas ex humanis decessit.

*Andreas Vendraminus Dux lxxj.*

Hoc principe in Croianis campis Turcę cum Venetis dimicauerũt. Fugati Turcæ, & castra eorum capta direptaque sunt. Sed victoriæ huius breuis omninò lætitia fuit. Dum enim prædæ magis quam pugnæ intenti, Veneti dispalantur, & inter se consultant, debeant ne fugatis hostibus in eorum castris pernoctare an in sua redire, ecce subita Turcarum impressione degrauati, & circumuenti fœde cæduntur. In his Franciscum Contarenum legatum ac plerosq; viros illustres qui honestum ducebant ordinem, cedisse inuenio. Vendraminus princeps cum alterum sui ducatus annum aliqua ex parte egisset, mortem obijt.

*Ioannes Mocenicus Dux lxxij.*

In Vendramini locum Ioannes Mocenicus Petri Mocenici principis frater spectatę vir innocentię sufficitur. Hoc Ducæ Turcę multo atrocius quã triennio ante, Scodram oppugnauerunt, sed capi non potuit ciuibus strenuè eam defendentibus. Medio certamine bombardarũ ictus fœdissima tonitrua imitati vndiq; circũsonabant; mille mortis pericula obuersabantur oculis, videbant obsessi suorum corpora tormentorum ictibus laniari, & varijs casibus non vno loco cadere, periculorum tamen immemores, inuictis animis resistebant. Quod videns Turcarum rex sibi rem esse cum his, qui mori mallent, quam cedere, & munitionibus freti citius vel numerosissimas copias conficere possent quàm vinci, frendens gemensq; suos in castra reduxit. Interim obsidione adhuc tenente Driuastum bombardis concussum, Venetis ademit, vnde quingentos ciues abductos ante Scodrensium oculos interfici iussit. Ademit & Lyssum. Hinc ducentos ad Marbegum, quem cum octo milibus ad continuandam Scodræ obsidionem reli-

querat, in conſpectu Scodrenſium ferro conficiendos miſit. Durauit inde obſidio menſes fermè octo. Interim de pace agi cœptum eſt, quam his conditionibus ſequutam inuenio, vt oppidanis ſi abire vellent ex vrbe deductis Veneti Scodram Turcæ relinquerent, & quotannis adnumerarent octo aureorum milia, vt pontica nauigatio Venetis negotiatoribus tuto pateret. Conditiones placuerunt, à ciuibus migratum Venetias. Hoc memorabile eſt, quod Veneti ſenatus decreto, eſt Scodrenſibus alij perpetuum ex publico ſalarium, alij arcium, aliorūque locorum præfecturas, cū publico ſtipendio acceperunt. Deniq; nullus fuit quem non publico beneficio liberalis ciuitas ſubleuauerit, quia paulò ante conſtantiſſime & fortiſſimè imperium Veneti populi defenderant. In Mocenici huius principatum incidit Pactiana coniuratio quæ parum abfuit quin Florentiæ omnem remp. euerteret. Coniurationis principes fuerunt Iacobus quidam Pactius equeſtris ordinis vir, ac aleator ſtrenuus, & Franciſcus Saluiatus, qui malis artibus Archiepiſcopatum adeptus fuerat. Hi duo mirifice indignabantur præferri ſibi Medicum familiam. In templo igitur diuæ Reparatæ, quum Laurentius & Iulianus, Medicei fratres, die quodam ſacra audirent, eodem ingreſſi coniurati peracta ſacerdotis communicatione Iulianum occiderunt, Laurentius ſe defendit, accepit tamen vulnus in collo. Habeo in mea bibliotheca totam hanc coniurationem eleganter conſcriptam ab Angelo Politiano, viro ad miraculum vſq; facundo. Duce Mocenico ducarium magna ex parte iterum noctu conflagrauit. Sacrorum miniſter candelam in ſacello principis incenſam per incuriam reliquerat, cuius lapſu, cōtractum eſt incendium. Sed cum per diem paulatim ſerpendo ignis ſeſe aluiſſet, circa ſecundam noctis vigiliā flāma ſubitò emicuit. Plura omninò loca, vt ſæpè alias, peſtis illa corripuiſſet, niſi ciuiū accurſu maturè reſtinctus eſſet ignis. Vidit etiam Mocenici ducatus initium & exitū belli ſocialis, quod aduerſus totam ferme Italiā Veneti terra mariq; geſſere, cuius ita ſumptuoſos fuiſſe

appa-

apparatus inuenio, vt duorum ſpatio annorum, quibus bellatū eſt, tricies ſexies centena aureorum milia in milite alendo appenſa dicantur. Quæ hoc bellum ſequuta eſt pax, lęticiæ & gaudiorum plena fuit. Nocturni ignes non tantum Venetijs ſed in alijs quoq; vrbibus & oppidis Veneto parentibus imperio excitati ſunt. Indicti & haſtici ludi, aliaque certamina ſub carniſpriuij ferias. Senatus aureum & argēteum pannum certantibus propoſuit. Ingens hominum multitudo ad hoc ſpectaculum terra marique profecta vrbem mirum in modum repleuit. Mocenicus anno 7. ducatus ſui hominem exuit.

*Marcus Barbadicus Dux lxxiij.*

Marcus Barbadicus vir prudentia ſingulari, quum Reſp. domi foriſq; pacata eſſet, ad ducatij refectionem totum animum adijciens, breui totam loci molem ad ortum ſpectantem, ſuperbo opere ad ſummum fermè perduxit. Per idem tempus ſollicita ciuitate propter morbum peſtiferum, qui ne per hyemem quidem multum remiſerat creati ſunt triumviri, quibus datum negotium, vt quantum humana ope prouideri poſſet omnia curarent, quæ ad leuandum malum attinerent. Horum ſtudio ad tollendam contagionem exuuiarum vis ingens à Veſpillonibus fraude contracta, publicè cōcremata eſt. Deinde multi ciues viri, fœminæ, pueri procul ablegati, ad vrbē quæ multitudine abundabat, exonerādam Duce Barbadico ex Gallia nuntiatū eſt, Maximilianum Frederici imperatoris filium Romanorum Regem declaratum. Quo audito Venetus ſenatus ad vtrumq; legationē decreuit. Dominicus Triuiſanus, & Hermolaus Barbarus vir omnium diſciplinarum peritiſſimus, facūdiſſimuſq;, Prugas Flandriæ (nam ibi tum agebat princeps) miſſi ſunt, qui publico Venetorum nomine illis præſentem regiæ appellationis declarationem gratularentur. Extat doctiſſima illa oratio per Hermolaum ad principes habita. Laudatur in ea factum Cæſaris Frederici, quod filium generoſiſſimū, qui nobiliſſimas gētes,

ferocissimos populos, bellicosissimas nationes, nō min⁹ armis, quā sapiētia vicisset, Regē Romanū se viuo renūtiari permiserit. Maximiliano enim ad gubernacula tantarū rerū promoto, posteritate quoq; consuluit, & pluribus in futurum sæculis prouidit. Pestilentia, cuius paulò ante commemini, sub vernum tempus cum cœpisset remittere, ita omninò circa solstitium euanuit, vt multis ante annis non fuerit salubrior ciuitatis status. Sub hoc principe mira quoq; tēporum felicitas fuit. Magna tritici, vini, olei, omniumque rerum aliarum vis in vrbem est inuecta. Raro alias Veneta ciuitas maiore otio & securitate floruit. Huc accessit quod idem populus tunc terra & aquis pacate ageret. Hunc beatissimum ciuitatis statum, non solum retinere, sed augere etiam, quum maxime noctes dieśq Barbadicus studeret, mense sui regiminis nono humanis decessit. Ob cuius interitum vehementi ciuitas mœrore affecta est.

*Augustinus Barbadicus Dux lxxiiij.*

In Marci locum suffecit ciuitas eius fratrem Augustinum Barbadicum, & vitæ innocentia, & grauitate senatoria insignem virum, qui postridie quam ad summum magistratum assumptus fuerat, mansuetissima oratione ad populum habita, se defuncti fratris fore in principatu simillimum ostendit. Fuit in eo dignitas & maiestas quædam, quam cana barba, & ad pectus vsque promissa venerabiliorem fecit. Post acceptum vrbis regimen, fratris sui vestigia secutus & ipse à ducariæ domus reparatione, suam est auspicatus administrationem, quod opus singulari magnificentia & maximo sumptu magna ex parte confecit. Non ignarus in publicis aut priuatis ædificijs sumptuosum apparatum parere dignitatem & admirationem. Sic equidem censeo, opera ipsa magna, artificiosè, variè ac decenter ornata, firmiter & ad perpetuitatem posita, non ipsa modo iudicantur admirabilia, verùm authores ipsos admirabiles faciunt, quos æquè genus omne hominum laudibus etiam mirificis prosequitur. Quid quod ædificia ipsa vbi eiusmodi fuerint, è terris

etiam

etiam longiſſimè diſſitis, ad ſui ſpectaculum homines trahunt. Poetas quoq; & rerum ſcriptores ad ſui cõmendationem inuitant. Duce Auguſtino non parum auctæ ſunt res Venetorum. Cremonam, & totam ferè Apuliæ oram ſibi adiunxerunt. Rurſus à mari Cyprum feraciſſimam & Cephaleniam nominis vetuſtute inſignem inſulam ſuæ ditionis fecerunt. Præfuit Auguſtinus annos quindecim, quo toto tempore Venetijs neq; fame, neq; peſtilentia laboratum eſt. Vita functum hunc Ducem ad phanum publicè charitatis extulit ciuitas.

*Leonardus Lauretanus Dux lxxv.*

Poſt Auguſtini obitum magno optimatium conſenſu, omnium ordinum ſtudio, totius voto ciuitatis reip. gubernaculis admotus eſt Leonardus Lauretanus, vir prudens, pius, nec à litterarum ſtudijs abhorrens. Poſtridie accepti regiminis quum per Marianam aream de more geſtaretur, ipſe pecuniam ſparſu populo, & à duabus eius filiabus matrimonio locatis ex procuratoria domo grandis multitudini in area ſtanti pecunia plenis manibus effuſa eſt in argumentum domeſticæ lætitiæ. Per Leonardum Veneta res non ſolum ſuo conſtitit veſtigio, ſed inſigniter etiam aucta eſt. Leonardus ęquauit ius omnibus, templorum ſanctitatem defendit, cerimonias vindicauit, Sicariorum vim ſi qua fuit, cohibuit, inſtaurauit iudicia, omnem compreſſit forenſem licentiam, ſubiectis ciuitatibus clementer imperauit, omnium preces benigne & manſuete audiuit, per quæ facilè conſequutus eſt, vt non homo aliquis, vel hominum ſuffragijs crederetur in eo dignitatis faſtigio conſtitutus, ſed felix quidã Deus è cœlo miſſus, qui pacatis temporibus, rem Venetam æquitate & innocentia tueretur. In bello prudentia & felicitate augeret qui patriæ ſaluti eſſet, ſuis laudi, omnibus hominib9 documẽto, quã bene ſummus Venetæ Reip. magiſtratus in Lauretana familia collocat9 eſſet. Incidit huius viri adminiſtratio in ſacrũ annum ab Alexãdro eius nominis ſexto Pont. conditũ. De ducib9 qui poſt Leonardũ præfuerũt

 in lit-

in litteras mittemus,quũ certiꝰ nobis omnia cõstabunt. Hoc vnum addam nullam esse in terris gentem, quæ tot habuerit bonos ac sapientes principes quam Veneti. Solus hic populus principum suorum sapientiæ felicitatem suam acceptam ferendo vere dicere potest illud Solomonis. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Desinat Roma suos iactare Cæsares, quos bonos tam paucos, tam multos habuit malos. Caligula merito fax humani generis dictus est, qui voluit populum Rom vnam habere ceruicem, vno ictu si licuisset tam numerosam ciuitatem perdere cupiens. Huius successori Claudio ab ineunte æta e parum mens constitit, vnde mater Antonia, cum vellet in aliquo insignem notare stultitiam, dicebat eum suo Claudio stultitiorem, & portẽtum hominis appellabat. Domitius Nero qui Claudio successit, fax altera totius orbis Romani imperij maiestatem paterna maternaq; cæde polluit, Vrbem Romam incendit, Primus Christianum sanguinem hausit Petro & Paulo interfectis. In Sergio Galba rapiendi sitis & sæuitia iuxta infames fuerunt. Otho princeps pueritiam parum pudice custodiuit, adolescentiam petulantius egit, sola luxus æmulatione Neroni conciliatus, fœdo ingenio, ventri ac gulæ natus. Et quod vsu in his venire solet, pari sæuitia fuit Vitellius. Neroni & Caligulæ propior vixit Domitianus, & male dissimulatam sæuitiam per omnes ordines effudit. Commodus imperator libidine, auaritia & crudelitate, Caligulæ ac Neroni antefe- rendus est. Didius Iulianus, qui primus Romanum licitatus est imperium magis diues quam probꝰ fuit. Eo nõ inscio, Læti insidijs perijt optimus princeps Aelius Pertinax. Piscennius Niger vita fictus, moribus turpis fuit. Caracalla imperator totas noctes cædibus impendebat, Circensibus armatas copias in populum immisit, quod quidam cauillati essent, in aurigam cui impensius ipse fauebat. Hic iuxta sontes & insontes sine discrimine cæsi sunt. Opilius Macrinus fœdo carnificiq; fuit ingenio, Alij alia, cæterum omnes de eo turpia scripserunt. Heliogabalo Caracallæ filio quis contaminatius aut impurius

purius vixit? Vix fidem apud homines sint habitura, si sęuitię eius memorentur exempla. Iulium Maximum Aquiliæ obsidione quum milites occidissent filium quoque eius necauerunt, illud subinde repetentes, ex pessimo genere ne catulum quidem habendum esse. Decius quanquam inuitus ac reluctans imperium suscepit, quo modo bonus fuisse dici potest? qui iniuriam à Christiana pietate non abstinuit? Galienus, Caligulæ & Vitellij simillimus, orbem terrarum pene perdidit. Maxentij tyrannidem Italia ferre non potuit. Quid dicam de Diocletiano? Nullius principis sæuitia atrocius Christianos afflixit. Iulianus impius apostata fuit. A vera fide ad malorum dæmonum cultum desciuit. Theophilus diuorum imagines auersatus, non paucos qui eas colerent, ad mortem vsque cædi iussit. Romanus iunior quo modo potuit esse vir bonus, qui domi in matrem ac sorores adeò impius fuit, vt regia eiectæ quæstum meretricium occeperint? Michael quidam Calaphates præter natalium ac parentum sordes, qui pice naues oblinirent, vnde Calaphates etiam appellatus, auare & crudeliter imperauit. Ad hæc mortalium ingratissimus, patruum, cuius opera & studio fuerat euectus ad imperium, primum eiecit, reliquos deinde cognatos execuit, ad postremum nec matri pepercit relegata ea in insulam. Quod factum tam impium sequuta populi conspiratio, & matrem restituit, & tyrannum vsu oculorum priuauit. Vox me citius defecerit, quam nomina tantum recensuero nō hominum, sed portentorum, quibus se Roma subiecit, quorum feritatem tot annos misere tulit. In qua gente vna, sæpiús impletum est illud Solomonis, Cum impij sumpserint principatum gemet populus, quasi sub seruitute deductus. Rex regum, dominus dominantium, Deus hominum sceleribus offensus, dat eis stultos, impios, leonibus, vrsis, lupisque similes principes, prodigiosas tempestates, bella, inundationes, rerum penuriam, famem, calamitates vt dicimus ita etiam sunt. Sed multa acerbior calamitas regioni obuenire potest

quam ſtultus & impius princeps. Nullus Cometa oriri poteſt mundo exitialior, quam princeps flagitioſus. Contra nullum æque ſalutare ſydus, ac vitæ Dux inculpatæ. Ferè enim fit, vt principis ſui mores referat populus, quandoquidem homines & miremur, & imitemur libentius, & retineamus tenacius, quę viderimus à principe & capite noſtro factitari. Ducit enim quiſque ſibi pulchrum, ſi eum æmuletur quem omnes ſuſpiciunt, & vt cælo demiſſum numen adorant.

(·.·)

FINIS.


HADRIA-

# RERVM GESTARVM A BRABANTIAE DVCIBVS HISTORIA, CONSCRIPTA VSQVE IN ANNVM M. D. XXVI.

Authore ADRIANO BARLANDO Rhetore inclytæ Academiæ Louaniensis.

*EIVSDEM ADRIANI BARLANDI HISTORIARVM LIBER VNVS, quo res maximè memorabiles continentur à Christo nato vsque ad annum 1532.*

ET CATALOGVS INSIGNIVM oppidorum inferioris Germaniæ.



COLONIAE,
Sumptibus Bernardi Gualtheri.
ANNO M. DCIII.

# HADRIANI BARLANDI IN HISTORIAM DVCVM PRAEFATIO.

*HOratio autore: Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci. Poteſt ne quicquam hiſtoria dulcius eſſe per quam vnam tot pulcherrimarum ſitus vrbium tot fluminum curſus, hortos, amœnos receſſus, muſarum domicilia, patrios cultus, habitus, locorum, & quid quæqúe ferat regio, quid quæqúe recuſet, vbi ſegetes, vbi veniat felicius vuæ cognoſcimus, & domi manentes ſine ſumptu, ſine periculo orbem ipſum terrarum nobis peragraſſe videmur. Eiuſdem muneris vtilitas nonne maxima eſt? Vitam, mores, facta hominum, conſilia item, atque euentus rerum in medio ponit, in quæ poſteritas omnis tanquam in ſpeculũ inſpicere poſſit, & vitam, moresq; componere. Quid bonorum animos principum ad res cum laude gerendas magis accendit, inflammatqúe, Tyrannorum cupiditates quid magis refrenat, dum vtrique cernunt, quæ in vita patrarint, futurum vt mox in orbis totius, imò ſeculorum omnium theatrum omnibus ſpectanda producantur? Nullam earum habere notitiam rerum, quæ antequam naſcere, contigerunt, hoc eſt ſemper eſſe puerum. Vt præteritis etiam ſeculis vixiſſe videamur, ſola præſtat hiſtoriarum cognitio. Abſolutum oratorem neminem dixerim, niſi & exemplis abundauerit, & quam plurima nouerit. In libris hiſtoricorum, vt dixi, omnis exempli documẽta, velut in illuſtri monumento poſita intuemur, vnde quæ imitanda ſint depromere, nobiſqúe ad imitandum proponere, quæ fugienda fugere poſſimus. Conſulen-*

*ſulendum eſt itaque principibus, regibus, Imperatoribus, vt hiſtoricos legant. Quæ enim non audent principibus demonſtrare domeſtici, ea omnia principes ipſi in libris ſcriptis reperient. Hiſtoria ad id quod honeſtum eſt inflammat, vitia deteſtatur, probos extollit, improbos deprimit. His tam multis, ac varijs vtilitatibus adductus ego conſcripſi, & primus tanquam fatis mihi ſeruatam in literas miſi rerum à Brabantiæ ducibus geſtarum hiſtoriam, fortaſsè non tanta ſermonis politie, at fide optima. Nihil enim vel gratiæ vel offenſæ datum eſt. Scio abeſſe ab hiſtorico debere fœdum adſentationis crimen, & amorem, ac beneuolentiam, metum, & ſimultatem. Nullus tota eſt hiſtoria locus, quem non ſim paratus magna etiam ſponſione in Chronicis lingua noſtrate conſcriptis, aut alijs certè, qui his de rebus aliquid literis mandauerint, ex fide repræſentare. Quod ſi quis domeſticis fidem exiſtimet abrogandam ſcriptoribus, Liuius fabulam, non hiſtoriam fecit; quem tam multi tradunt in conſcribendis rebus geſtis, Romanus, non Punicos ſequutum eſſe annales. Quod verò ad ſtilum attinet meũ, omninò nihil ſum ſollicitus. Hiſtoria, vt ad ſuum ſcribit Capitonem Plinius, quoquo modo ſcripta delectat ipſa ad rerum notitiã prouocante natura. Sed dãnabit, fortaſsè ne quiſpiam vt nimis breuẽ. Datur laudi aperta ac lucida breuitas. Qualis apud Saluſtiũ. Altius diſparitatẽ reprehendet. Huic Liuiũ obijciã, quem modò breuẽ, modò copioſum videmus. Dicit alius omitti quidã, & prateriri. Ad Iuſtinũ prouocabo hiſtoriæ ſcriptorẽ, Prouocabo ad Suetonium, qui Cæſarum vitas ita conſcripſit, vt multa vel prætereat, vel nimis circuncisè narret, quæ ab alijs dicta ſunt copioſius.*

Ex

# EX AVTHORIBVS DE VTILItate Historiæ.

SOlet quæri ab studiosis viris, vtilis ne sit historia? Nos verò nõ modò vtilem & frugiferã, sed necessariam mortalibus esse cõtendimus. Et quemadmodum agricolatione corpora, sic monumentis rerum animi fouẽtur, vitæ cupido, pharmaca pellendis morbis inuenit. Series rerum, ne vna cum ea qui gerit, interiret, historiam excogitauit. Quanto nobilior animus, tanto cæteras dotes præcellit historia, potissimamque sibi sapientiæ partem vendicat. In ea est enim imitatio viuendi, vitia detestatur virtutes ardore quodam imitationis effert, & cum rebus omnibus tempora vetustatem adferant, Historia numero annorum admirabilior est, & sanctior habetur.

(·:)

NOMI-

# NOMINA BRABANTIAE DVCVM.



*Imperium Oceano: famam qui terminat astris.*

## *PIPINVS PRIMVS BRABANTIAE DVX. Caput I.*

*ANNO Christi* 525.

Brabantiæ, Germaniæ Prouinciæ inferioris dux primus fuit Pipinus, Carolomanni filius: qui vxore capta ex gente Aquitanica, Sueuos aliosque Germaniæ populos bello vicit. Huic tres fuêre liberi: filiæ, Begga & Gertrudis: quarum hæc est postea in numerum relata Diuarum. Filius, Grimoaldus, qui patre mortuo Dux factus Reipub præfuit Huius viri consilio Sigisbertus rex Francorum, diuersis locis, in pauperum alimoniam sacras ædes, & cœnobia extruxit Odio quorundam interfecto postea Grimoaldo, soror eius Begga cum marito suo, res Brabantiæ, aliquantum temporis administrait.

647.

### *Pipinus secundus. Caput II.*

Matri Pipinus successit huius nominis secundus, & dux Brabantiæ tertius, qui Herstalli cognomen accepit ab Herstallo. Qui locus inter Leodium visebatur & Traiectum vbi ad Mosam fluuium idem Pipinus arcem extruxerat, in quam frequenter, credo è loci captus amœnitate, se recipere solebat. Progenitoribus est hic ortus sanctissimis: vt prætercam alios, matrem habuit Beggam, Gertrudis Diuę sororem.

### *De matrimonio eiusdem, & liberis. Caput III.*

Plectrudis, mulier vitæ sanctimonia insignis huic vxor data est Matrimonij vinculo sic iuncti, ac velut concatenati, bonorum omnium radici Concordiæ nihil præferendum existimantes, omnia sic egerunt, vt pax inter eos & tranquillitas esset, Hanc pacem id boni secutum, vt ex eo coniugio digna parente sit edita proles: filij tres, Drago & Grimoaldus qui quum Christi esset fortis adsertor Dei, postea Leodij Martyrium adijt ob Christi fidem, ibi sepultus in æde Diuo Iacobo sacra. Filius tertius fuit Siluius, vir pientissimus, qui & ipse Sancti appellationem meruit Filia Notburgis vocata est. Sepulcro illata coloniæ, miraculis claruit: quæ res vitæ innocenter actæ, euidens est iudicium. Omniū

ex con-

ex coniuge Plectrude liberorum funera, vidit Pipinus.

*De bello eius cum Phrisijs. Cap. IIII.*

GVbernante eo res Brabanticas, Phrysij, qui tum erant fidei hostes, vt suum in Christianum nomen explerent odium, Franciam Orientalem ferro & igni late vastauerant. Pipinus igitur Orthodoxæ fidei propugnator accerrimus, ex suis delectu habito, aliquot armatorum millia contrahit. Nec longior inde mora, cum his copijs in Hollandiam transgressus Vviltemburgum (nunc vrbs Traiectum dicitur) obsedit, multumque & diu ab his qui intus erant, strenuè defensum, tandem cepit. In vrbe iam capta vis ingens Barbarorum cæsa est. Hic primum subacti sunt Phrisij, qui nunquam antea didicerant externo parere Principi. Eorum, quos armis deuicerat Pipinus, animas quoque lucrari & seruare cupiens, Guilibrordum, quē habebant ea tempora virum sanctissimum, huc misit, qui clarissima Euangelici splendoris luce, cæcatos infidelitate populos illustraret, & gentem alioqui indomitum ad veri & vnius Dei cultum accenderet.

*Adulterium eiusdem. Cap. V.*

INcidit postea Pipinus in fœdum adulterij crimen: quod ipsum eo fœdius est habitum, quo innocentius vixerat ad id tempus ipse. Alpiadis cuiusdam nobilis & forma excellenti mulieris pulchritudine captus, eam compressit, & prægnantem haud multò post reddidit. Vnde natus illi filius Carolus, qui Matelli cognomen tulit. Hunc Pipini amorem eo progressum inuenio, vt adhuc superstite vxore legitima Plectrude, alteram quoque matrimonio sibi iunxerit. Quod factum in Duce, quum Lambertus Traiectensium ad Mosam Episcopus reprehenderet, Dodo princeps Alpiadis frater, veritus futurum, vt Lamberti monita secutus Pipinus, sororem eius dimitteret, misit qui sanctum virum interficerent. Noctu occisum inuenio, quum aliquandiu orationi incubuisset. Hac de re sic habet

Sabellicus in Enneadibus. Et Lambertus vir insigni pietate Martyrio defunctus est, quia Pipinum increpuisset, quod Alpiadem Pellicem vxori superduxisset. Alpiadis frater Lambertum peremit, nec impunè. Incidit nefariæ cædis autor in atrocissimum genus morbi, erodente se ipsum corpore, suppliciaque sibi gignente, Græci Phthiriasim vocant, Pedicularis Romana voce dicitur. Apud eundem adnotatum inuenio his verbis: Duas Pipino, Blondus ait, vxores fuisse. Calpiadem, ex qua Carolus, qui martelli cognomen tulit, fit genitus. Secundo loco Plectrudem. Sunt qui Calpiadem Plectrudi superductam tradant. Non desunt, qui Martellum ex concubina, non legitimo thoro natum scribant. Tanta vbique scriptorū laboratur inconstantia.

*De morte eius Caput VI.*

HErstallus, per hæc, quæ dixi, & alia quædam in Gallijs, cui prouinciæ gubernandæ præfectus fuerat, gesta, excurso vitæ spacio, moritur anno principatus sui xxix. Prius tamen quam decederet, apud conuocatos oppidorum primores, filium sibi, his etiam amplectentibus, successorem constituit, qui legitimo thoro natus non erat.

*De Carolo Martello, prælijs eius, & Saracenorum aduentu in Gallias: item de Phrisijs. Caput VII.*

CArolus hic Martellus, robusta fuit & ferrea natura (vnde cognomen accepit. Martel enim lingua nostrate hamer sonat) quam in subigendis hostibus, egregiè ostendit. Saxones primo victi ab eo, & infestissimi accolæ, & rebelles. Inde subacti & Alemanni, subacti sunt & Sueui. Postea ab Eudone Visigotho Aquitaniæ, & Vasconiæ principe, bellum sibi illatum per legatos gessit. Ij cū exercitu Vasconū fines ingressi cum Eudone, qui ad vim arcendam occurrerat, pugnauerūt. Prælio superatus Eudo, suisque diffisus opibus, Saracenorum implorat auxilium, qui iam annos decem in Hispanijs agebant. Galliam per hoc tempus Bur-

dega-

degalam vrbem vi capiunt, captam diripiunt. Christiani nominis odio sæuitum est sine discrimine, in viros, in fœminas, in pueros. Templa quoque funditus euersa sunt omnia, & conculcata simulacra Diuorũ. Iam progredi eos ad diripiendum Martini Turonensis templũ, varijs ac pulcherrimis opulentum donarijs, fama erat. Carolus igitur vndique contractis viribus, ipso etiam Eudone, qui Saracenos accersierat, in partes suas adducto, Turonum contendit, ad impiæ gentis opprimendos conatus. Nec multò post concurritur vtrique maximis odijs, animisque. Vtraque pars difficilem hanc sensit pugnam: sed Saraceni etiam funestam. Proditum est enim fidei hostium cæsa hoc loco millia septuaginta Tam inclyta non contentus victoria Carolus, domitis Burgundis, & post mortem Eudonis, cuius adiutus viribus Saracenos vicerat, Aquitaniæ quoque magna parte suis opibus adiecta, ad Frisones bello persequendos animum adiecit: qui populi per id tempus nondum Christi fidem amplexi erant. Huc deuectus classe Martellus, omnia diripuit, omnia cæde compleuit, nulla neque sexus, neque ætatis ratione habita, subuertit statuas deorum Templa ferro & igni deseruit.

*Anno 732.*

*Anno 734.*

*Carolum Galliæ Regibus imperasse. Caput VIII.*

Hilderico Francorum rege mortuo, Carolus delatum sibi prouinciæ totius imperium, & regis insignia pertinacissimè recusans: Imperare, inquit, regibus, quam rex esse malo. Et in locum patris demortui suffecit Dagobertum, qui Hilderico natu maior filius erat. Huic post quadriennium defuncto, subiecit Carolus fratrem Lotharium, qui non vltra biennium regnauit. Postea Chilperico, qui cognatus erat regum defunctorum, vi & armis regnum occupare volenti, se cum exercitu obiecit Carolus, fuitque ea Chilperico infelix dimicatio. Qui sic victus, non multò post Legatos ad Carolum misit; quorum ille ita est placatus oratione, vt regia Chilperico statim

detulerit insignia. Huic postquam annos quindecim rerum potitus esset, quidam scribunt Theodoricum quendam successisse. Alij Theodoricum Childerico in administratione præponunt, & eos dicunt fratres fuisse.

*De alijs eius quibusdam rebus gestis Caput IX*

*Anno* 721 VIcit & Saracenos Carolus ante Auinionem, (quam vrbem tum illi occupauerant) Duce eorum cæso Amoreteo, qui ex Hispanijs accurrerat, suis laturus suppetias Gregorio Pontifice tertio, Lutprandus Londus Longobardicæ Princeps gentis Romam obsidione fatigabat. In Leone (qui Romanus erat Imperator) nulla spes Pontifici quum esset, ad hunc Carolum in Gallijs agentem datæ literæ, quibus orabat eum Pontifex, vt laboranti Romæ succurreret, Carolus Pontificis lecta epistola posthabitis omnibus, cum Lutprãdo sibi amicissimo egit, vt pro mutuo amore abstineret ab Ecclesiæ rebus. Quod Lutprandus, ne non omnia Caroli, hoc summi amici causa velle crederetur, libentissimè fecit. Ex quo tempore Gallorum reges vrbi Romanæ Apostolicæque Sedi fauere cœperunt. His multisque alijs parta gloria, Carolus iam senex vita decessit. Quidam scribere sunt ausi damnatum eum esse, & nunquam finiendis traditum cruciatibus, quod assiduis exhaustus bellis, inclementer extorserit à clero pecuniam, vt ita procerum suorum rebus consuleret. Additur à scriptoribus Eucherio, Aurelianensium Episcopo, sacris operanti, prima luce cœlo repentè delapsum è Diuis vnum id nunciasse. Sed hæc cunctantius referenda, ne fides Historiæ abrogetur. Plerisque enim stultè multa asserentibus, temerè assertis, multi aliquanto stultius accedere solent.

739.

741.

*De filijs eius. Caput X.*

IN Chronicis Germanica lingua conscriptis, inuenio tres Martello patri filios superuixisse, & filiam vnam. Sabellicus nulla facta mentione filiæ, diuersus

ſus abiens, duos tradit filios ab eo relictos ſuperſtites, Carolomannium, cui maximo natu, ex patris diuiſione Auſtria & Sueuia, Pipinum, cui Burgundia & Frãcia obuenerunt, Carolomannium poſtea ſponte Religionem ſequutum, Romam veniſſe, ad Pontificem Zachariam, ab hoc ſacris initiatum, monaſticaque indutum cuculla, Caſſinenſe adijſſe monaſterium, Pipinum poſtea ſolum gubernaſſe, deuictos ab eo Germanos, Aquitanos, & Alemanorum gentem: moderatum & eum Francorum rebus, vt patrem.

741.

746.

### *Pipinus tertius, Rex Gallorum Creatus. Caput XI.*

SIue per ea tempora Childericus, ſiue Theodoricus regnum tenuerit, vniuerſa Pipini virtutem amplexa Gallia, pertæſaque Regis amentiam, Pont. Rom. qui tum Zacharias nominabatur, prius conſulto, hunc Regem creat. Mirum fuit ſemper huius viri ſtudium in Romanam Eccleſiam, vnde Chriſtianiſſimus cognomentum tulit. Romanis, & laboranti Eccleſiæ aduerſus Aiſtulphi Longobardorum Regis iniuriam opitulatus eſt. Stephano huius nominis ſecundo Pontifici, in Gallias ad auxilium contra Longobardos implorandum venienti occurrit, adque pedes eius venerabundum ſe demiſit, inde equo inſidentem, pedibus ipſe in regiam perduxit. Tanto tunc Reges Pietatis & Religionis ſtudioſiores erant, quam nunc priuati. Huius illa vox eſt: eò conſilio nos arma induimus, vt Apoſtolicam ſedem ab omni mortalium iniuria vindicaremus, id daturi Chriſtianæ pietati, non mortalium ſtudijs.

*An. 750.*

*Anno 753.*

### *Bellum Aquitanicum. Caput XII.*

MAGNVM fuit Pipino cum Aquitanis negotium, qui octauo demum anno victi ac debellati ſunt. Prima expeditione ad Theloatum oppidum caſtra poſita, & priuſquam dimicari cœptum, Nauferio Aquitaniæ Principi data pax eſt. Inde cum in regni in-

teriora se recepisset, exercitumque dimisisset Pipinus. Nauferij miles, Galliarum gentem subita vi adortus, omnia longè lateque populatur. Ad quam vlciscendam perfidiam, cum exercitu & copijs tumultuosè reparatis, misit filium Carolum Pipinus: erat enim iam ipse grandis natu & senio confectus. Aquitaniam igitur ingressus, magno animo Carolus ex Aruernis breui multa occupat loca; fuit hoc tirocinium; hæc tam læta habuit initia militare imperium illius, cui res egregiè gestę Magni cognomentum peperere. Nec multum inde fuit in terris Pipinus, ex Berta coniuge, Heraclij Principis filia relictis superstitibus filijs duobus, Carolo qui postea Magni cognomentum (vt dixi) est adeptus, & Carolomanno; quo mortuo Carolus omnem imperij molem solus sustinuit.

## *Res gestæ à Carolo Magno Caput XIII.*

FRancorum regnum, quod à patre magnum quidem & amplum acceperat, multò maximum & amplissimum reddidit iure belli, adiectis Aquitania, Vasconia, toto Pyrenęi montis iugo, Italia tota ab Augustis Prætorijs vsque ad minorem Calabriam, Saxonia citra & trans Albim, vtraque Pannonia, Dacia, quæ apposita in altera Danubij ripa est, Istria quoque & Liburnia, atque Dalmatia, præter maritimas ciuitates. Perdomuit atque subegit Barbaras nationes, quæ intra Vistulam ac Rhenum amnes incolæ sunt Germaniæ. Saraceni ab eo in Bæticæ angulum ex cetera Hispania sunt compulsi. Bellum gessit cum Desiderio Longobardorum Rege ac hoste Rom. Pontificis. Hunc redactum in potestatem, iussit Lugdunum in Galliam deportari. Sub Dominicæ Resurrectionis die Romam, pacato agmine venientem Carolum, Hadrianus Pontifex huius nominis primus, accepit: eundemque pulcherrimis, ob merita in Romanam Sedem, Decretis ornatum dimisit, Saxonicum deinde bellum ab eo repetitum est. Cuius causa fuit, rebellio. Absente enim Carolo, omnia ad Rhenum vsque Saxo vastauerat. Hoc defunctus bello, cum Bauarum

Duce

Duce pacem ſanxit. Cum eodem poſtea bellum geſſit, ob non datos obſides, quos priore fœdere promiſerat Bauarus. Poſt receptos in deditionem Bauaros, Sclaui, Iſtri accolæ bello petiti. Gentem hanc æſtate vna perdomuit. Poſtea Hunnos, qui & Hungari iam appellari cœperant, adortus, inſigni clade affecit, ac mox in deditionem acceptos humaniſſimè tractauit. Iam tot clarus victorijs, tot ferociſſimarum gentium domitor Carolus, in Franconiam eſt profectus. Eſt hæc Germaniæ regio. Hic ab eodem indicto multorum conuentu antiſtitum, Feliciana eſt damnata hæreſis, de abolendis Sanctorum imaginibus.

*Carolus à Leone tertio Pont. Rom. Imperator declaratus. Caput XV.*

ROmanus Pontifex Leo tertius, qui Hadriano ſuffectus eſt, dum conſiderat Regis Caroli & progenitorum eius, maxima extare in Eccleſiam merita, & imperatores Conſtantinopolitanos ægrè tantum nomen defendere ac tueri, maximo totius populi conſenſu atque rogatu, Carolum in Vrbem reuerſum, Imperatorem Romanum declarauit, & inunxit ter acclamante vniuerſa multitudine: Carolo Auguſto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori, vita & victoria.

*De vxoribus eius & liberis. Caput XVI.*

TRes habuit in vita vxores, prima fuit Hildegardis nomine, ex qua tres illi ſunt nati filij, Ludouicus, Pipinus & Carolus. Poſtea VVormaciæ in Germanis, nupſit ei filia Rodolphi comitis Franciæ Orientalis. Huic Faſtradæ nomen, ex qua duas ſuſtulit filias, vnam Theoderatã, Hiltrudem alteram. Mortua Faſtrada Lutgardam duxit, ex qua libros non ſuſcepit.

*De condita Parisiensi schola, & filijs; & quibusdam alijs gestis eius ac morte.* *Caput XVII.*

IAM Imperator consecratus, Ecclesiæ ac Pontificiæ dignitatis patrocinio semel suscepto, Campulum quendam, & Pascalem impietatis reos extremo supplicio admoturus erat. Sed Pontificis rogatu, pœna illis remissa: vtrumque in Galliam relegauit. Bonarum artium studia quum indulgentissimè foueret, Parisijs diuinæ humanæque sapientiæ scholam, & item alteram Ticini instituit. Iunioribus orbatus filijs Pipino Mediolani, Carolo in Germania, Ludouicum, quem virilis stirpis vnicum iam habebat, celeberrimo totius Galliarum populi conuentu, consortem Imperij declarauit: Cumque reliquum vitæ tempus, quod dederunt superi, in ocio egisset, febri tandem & lateris doloribus obijt, anno ætatis septuagesimo primo. Aquisgrani sepultus, in templo à se constructo. Monumento eius inscriptum: Caroli magni Christianissimi Romanorum Imperatoris corpus, hoc conditum est sepulchro.

*Ann. 780.*

*De prodigijs quæ mortem eius præcesserint.* *Caput XVIII.*

MORTEM eius præcessit deliquium Solis; idem annus quo princeps tantus ex humanis decessit, Lumen ter vidit obscuratam. Aquisgrani in templo icta fulmine pila concidit. Eodem loco & porticus à palatio ad templum ducens, corruit. Pons, quem idem Carolus Moguntiæ ædificauerat, igni totus cõflagrauit.

*De statura eius.* *Caput XIX.*

CORPORE fuit amplo & robusto, excelsa statura, oculis prægrandibus, ac vegetis, hilari facie. Incessus illi firmus, & tota corporis habitudo virilis. Clarior vox, quam vt corpori tanto conueniret. Prospera valetudo, præterquam quod proximo ante obitum quadriennio sæpius febri sit conflictatus.

*De facundia & studijs eius.* Caput XX.

Dicendi facultate multum valuit ac præstitit, nec latini sermonis peritia contentus, etiam peregrina studia sectatus est. Græca tamen intelligebat melius quàm inter legendum pronũciabat. Liberalium artium studia indulgentissimè fouit, impensissimè adamauit, earumque professoribus honoris plurimum exhibuit. In Græcis percipiendis operam dedit Petro Pisano cuidã. In cæteris disciplinis, Rhetorica, Dialectica, & Astronomia præceptore est vsus Alcuino Britanno, quem virũ in primis coluit. Mirum fuit in eo venandi & equitandi studium, exercuit & corpus frequenti natatu.

*De cura eius circa liberorrm profectum.* Caput XXI.

Filios doctissimis erudiendos tradidit præceptoribus, amplissima promittens atque dissoluens salaria. Neque enim ignorabat quo quisque eruditior esset, eo faciliorem clarioremq; doctrinam ministrare, neque parentum nomine dignos iudicabat, qui agros, qui vineta, qui iumenta quoq; pluris facerent quã filios.

*De temperantia eius in cibo & potu.* Caput XXII.

Cibi erat valdè temperans, quanquam ieiunia corpori suo noxia quærebatur, Vini tam parcus, vt non amplius ter, quater, super cœnam aut prandium biberet. In cibo ferinam carnẽ assam maximè appetebat, conuiuia rarius agitare, ac non nisi festis diebus. Traditur & illud, nunquam eum sine docto colloquio aut Historica lectione cibum cepisse. Quum semel optasset sibi ac sæculo, duodecim viros Hieronymi & Augustini similes, adstans fortè præceptor Alcuinus: Tu vis, inquit, habere duodecim, quum ipse Christus cœli ac terræ dominus, horum similes, ea tempestate plures non habuerit.

*De pietate eius in Deum & clementia.* Caput XXIII.

Pietatis ac Religionis Christianæ tam diligens cultor fuit, vt non tantum Missis & sacrorum interesset horis, sed & Hymnos & psalmos interdum ca-

neret, ceu ex initiatis ac sacrificis vnus. Templa Diuis erexit. Veram religionem obseruauit etiam in minimis, Iniurias illatas ciuili animo tulisse, in hostes rarò acerbius sæuisse traditur.

*De Ludouico Pio & filijs eius. Caput XXIIII.*

CArolo patri demortuo successit Ludouicus, tanta vir clementia, vt inde pij cognomen sit adeptus. Aquisgrani post obitum parentis optimi, cum legatis gentium diuersarum, pax noua est ab eo sancita. Filios habuit Otharium, & Pipinum. Hunc Aquisgranis, alterum præfecit Bauaris.

*De bellis ab eo gestis. Caput XXV.*

CVm Dacis bellum gessit. Vascones opera Gallorum ad imperium retraxit. Britones, qui res nouas moliti, nouum sibi Regem creauerant, vicit. In prælio captũ Murmanianum (is regis nomen inuaserat) occidi iussit. Hoc imperante Roma, caput gentium à Saracenis obsessa est, vastata, & omnis Tuscia donarijs & sacra veste spoliatum Cassinense monasterium, omnia rapinis & incendio fœdata sunt.

*De morte, & decretis eius. Caput XXVI.*

DEcessit Ludouicus anno imperij xxvi. sepultus Metis, qui tota vita paternam æmulatus pietatem sanxit, ne sacris initiatus hominum seruitio se subijceret. Quam turpe est enim istis aulicis esse à scopis, à matula, à poculis, vel cum mulieri ante ambulare, ad cuius verba in sacrificio panis conuertitur, non solum in hominem sed quod humanum intellectum supergredi videtur, in Deum, Sanxit & illa, ne sacerdos quæstui sese vlli dederet, quum omnis ipsi ordini turpis esset quæstus. Eodem auctore statutum & illud Antistitum celebri conuentu, ne sacerdotes purpura, serico, aut gemmatis annulis vterentur. Abrogauit huic tam pio Decreto, vt multis alijs, nimium luxui dedita posteritas.

Cur

*Cur omittantur vitæ quorundam Ducum. Caput XXVII.*

QVæ post huius Ludouici principatum gesta sunt, vsque ad tempora Godefridi Barbati Ducis, qui Brabanticam terram ab Arduennę Principibus occupatam primus recuperauit, ea daud quaquam incorruptis rerum gestarum monimentis tradita, nec affirmare, nec nec refellere statui. Hęc quæ sequuntur & rerum nouitate, & varietate Exemplorum, non modò delectare potetrunt, sed & prodesse lectori. Godefridus igitur post Brabantiam armis ac viribus recuperatam, bellum indixit Arnouto principi Grymbergano, qui cum esset longè ditissimus, & magno vir animo, Godefridum agnoscere superiorem recusabat. Hinc mucronibus, verutis, securibus, acerrimè inter eos certatum. Vicit tandem Arnoutus. Post illa quoque dum hostiliter sæpius congrediuntur, haud vno loco multum sanguinis humani effusum est.

*Cur dictus sit Barbatus, & de amore omnium hominum erga eum. Caput XXVIII.*

GOdefrido Principi; natu grandiori cognomen Barbato fuit, promiserat enim patri se non ante positurum barbã, quam adeptas recuperasset prouincias, Lothoringiam & Brabantiam. Hunc principem nobilitas vniuersa plurimum dilexit, nec pauci quoque reges ipsius amicitiam per legatos petiere. Nam erat & miti vir ingenio, & ab omni flagitio ac tyrãnide abhorrens. Consuluit suorum commodis, propria negligens, vigilabat, vt suis dormire liceret laborabat vt sui in ocio vitam agerent, benefaciebat ingratis, etiam non intelligentibus, etiam inuitis.

*Anno 1095.*

*De pietate eius in Diuos, & morte. Caput XXIX.*

MAgnum fuisse in illo Pietatis ac Religionis studiũ, indicio sunt tot locis ex eius ære constructa & erecta Monasteria. Louanij quoq; extra muros Parcẽse monasterium huius est opus, quod postea patrum

studio

ſtudio optimorum & agro & ædificijs ditatum eſt. Is qui nunc in eadem domo & moribus & rebus agendis præeſt, huc omnes cogitationes, omnia ſtudia deſtinat, vt & parta, quæſitaque à maioribus tueatur, & ſummo iudici rationem exacturo probetur. Mortuus hic Godefridus, ſepelitur Afflig〈i〉nij, quod cœnobium inter Bruxellam & Aloſtum vrbes viſitur, vbi eſt hodie fratrum piè ſanctèq; operantium cœtus.

*Anno 1140.*

*De Godefrido barbati filio, & bello eius cum Henrico Limburgiæ Principe. Caput XXX.*

POST defunctum Barbatum filius eiuſdem nominis, poſteaquam annum rexiſſet vnum, eſt cum valida manu profectus contra Henricum Ducem Limburgiæ, qui Lothoringiam ingreſſus, latè omnia cædibus & rapinis fœdabat. Godefridus diui Trudonis oppidum, cuius ciues ab Henrici partibus ſtabant, circumſedit, ac omni telorum genere, ſæpius oppugnatum, poſtremo in deditionem accepit, oppidanis pollicentibus, ne grauiora paterentur ſe imperata facturos, quibus & venia data eſt, & mutati renouatiq; Magiſtratus, eiectis Henrici fautoribus & amicis.

*De profectione eius Aquiſgranum, de bello Grymberganico, de morte eiuſdem. Caput XXXI.*

HINC citato agmine, dux Aquiſgranum proficiſcitur, atque in vrbem admiſſus, biduum in Cæſario conſedit ſolio, ciueſque compulit vt ſecum arma caperent, ita breui deuictis ac profligatis Henrici copijs, Godefridus cum victore exercitu in Brabantiam redijt. Non multò poſt & Grymberganicum geſſit bellum, ſed damno maiore quam fructu. Grymbergani enim Principes hic omnia recuperauere, quę Barbatus illis ademerat. In Chronicis quibuſdam legi, per hæc tempora in agro Louanienſi, nocte quadam melle roraſſe. Moritur inde Princeps Godefridus, quum triennio & menſibus aliquot præfuiſſet. Louanij ſepultus in æde Apoſtolorum principi ſacra.

De ter.

*De tertio Godefrido superioris filio, in cunis deportato in aciem. Caput XXXII.*

PRoximi Ducis filius Godefridus, nondum erat annũ vitæ primum egressus, quum pater decessit. Itaque Grymbergani Principes, qui cum patre & item auo huius grauia bella gesserant infantiam Ducis pupulli contemnentes, rebellare cœperunt. Latè vastatus ager Brabãticus. Netelaria arx euersa & solo equata est. Haud longè distabat hæc domus à Viluordia, quæ & ipsa tunc temporis non oppidum, sed pagus, iniectis ignibus cõflagrauit. Tam atroci iniuria commoti nobiles Brabantiæ cum validissimo exercitu hostem insequuti, ad pugnam euocauerunt. Priusquam dimicari cœptum est, infans Dux in cunis prolatus, & ante aciẽ positus traditur, vt acrius pugnarẽt Brabanti. Quum igitur miseratio eos infantis pueri teneret, quem si bello victi forent, captiuũ ex Duce facturi videbantur, ijs animis hostem sunt adorti, vt magna cæde Grymberganos fuderint. Idem multis retró sæculis fecerant Macedones cum Illyricis dimicaturi.

*Anno 1148.*

*De matrimonijs eius & liberis. Caput XXXIII.*

GODEFRIDVS pupillarem egressus ætatem, in matrimonium recepit Margaretam Henrici Limburgiæ filiam, ex qua sustulit filios duos, Hẽricum, qui defuncto patre factus est princeps, Albertum postea antistitem Leodinorum, & filiam vnicam Alcydam, quæ Regina facta est Angliæ. Post obitum Margaretæ duxit alteram, cuius nomen in Chronicis non inuenio, Comitis filiam, ex qua natus ille filius nomine Guilielmus.

*De prodigijs illius temporis, & morte Godefridi. Caput XXXIIII.*

HVIVS Principis temporibus, non vno loco fame laboratum, multaque prodigia hominum animos conturbauere. Terra horrendè mota locis aliquot, tres lunæ in cælo, ac totidem visi soles. Dux Godefridus

tertio & quadragesimo administrationis anno, in humanis esse desijt. Corpus eius Louanij augustissimo vrbis templo, quod Barone est, illatum, ibique honorificè sepultum.

*De matrimonio Henrici primi, & liberis eius. Caput XXXV.*

HEnricus primus huius nominis, proximi filius Godefridi Brabantiæ Ducis patri demortuo successit. Vxor ei contigit Machteldis, Boloniæ comitis Matthæi filia, ex qua tulisse traditur filios duos, Henricum qui postea præfuit, & Godefridum; filias verò quatuor, è quibus natu maxima, cui Mariæ nomen erat, nupsit Othoni quarto Cæsari. Tres aliæ sunt principibus traditæ minoribus.

*De quibusdam rebus gestis huius Henrici. Caput XXXVI.*

ANno suæ gubernationis secundò, Henricus euertit arcem, quæ vulgo Duras nominabatur. Eandem sexto post anno rursus inchoatam à fundamentis magno sumptu absoluit. Postea circunsessum ab eo, & oppugnatum est diui Trudonis oppidum. Huius causa belli non traditur satis dilucidè ab his, quos in historia scribenda sequimur. Idem cum Metensis vrbis Archiepiscopo Hierosolymam proficiscēs, Christianorum aduersus Turcarum gentem princeps declaratur. Huius itaque ductu, Baruth ciuitas opulentissima vi capta est, cæde profligatis Turcis. Nec multò post & hoc iuuante Constantinopolis expugnatur, quibus ita prosperè gestis, magnam cōsecutus celebritatem nominis, redijt in Brabantiam. Anno principatus sui xviii. cōgressus est cum Florentio, id temporis Comite Hollandiæ, & Othone Gelrio, vtrunque cepit eo prælio. Vtrunque post compositam pacem, generum sibi asciuit.

*Anno 1197.*

*De oppugnatione Leodij, & sæuitia militari in ciues. Caput XXXVII.*

SVsceptæ administrationis anno xxviij. ex tota Brabantia militem stipendio conduxit, cum quo Leodium profectus, vrbem dies aliquot bellicis operibus extra, intraque ferociter oppugnatam cepit. Multi mor-

mortales omnis sexus intra muros cæsi ab irato milite, multi non solum natu grãdes, verùm & puerili (horresco referens) in amnem præcipitati. Hinc conuersus hostis ad templorum spoliationes, altaria quoque tinxit ac fœdauit humano sanguine, vt nusquam non extarẽt eius insaniæ vestigia. Tongrinum quoq; direptum ac flammis datum, & vastatus ager. Sed reuertentem exercitum, iusta numinis ira felicitas prior deseruit. Cũ armata enim manu Leodiensium antistes insequutus & acie congressus, duo Brabantorum milia occidit, qui magna parte Louanienses erãt ac Lyrani; multos etiam captiuos abduxit. Henricus & ipse periclitatus, ægre cum paucis effugit.

*De altera vxore Henrici, & obsidione Bruxellæ, per Hollandiæ & Flandriæ Comites. Caput XXXVIII.*

VXorem deinde duxit Mariam Philippi Gallorum Regis filiam, quum priorem Machteldem ex morbo amisisset. Non multò post Bruxellæ, oppido Brabantiæ agentem eum graui obsidione sunt adorti Comites Flandriæ ac Hollandiæ, & Saelbergo princeps; frater hic erat Anglorum regis. Causam obsidionis inuenio fuisse, ne Henricus socero Gallo, cum quo his bellum gerebatur, auxilium ferret. Hoc loco maiore aliquanto obsidentium strage pugnatum. & quum dies aliquot vim hostium fortiter sustinuisset Henricus, animo repentè mutato, Flandrorum Comiti promisit nunquam se post illa, nec bellico apparatu, nec pecunia opitulaturum Gallo: atq; ita compositis & pacatis omnibus soluta obsidio est.

*De nuptijs Othonis quarti Imperatoris, & bello indicto Gallorum Regi. Postremo de morte Henrici. Caput XXXIX.*

ANno ab humanę salutis exordio, M. ccxiiij. Imperator Ottho, nominis huius quartus, venit Traiectum ad Mosam, duxitque vxorem Henrici Brabantiæ Principis filiam Mariam. Gallorum regi postea bellum vna cum Flandriæ Comite indicit, ad quod gerendum adiumento fuit Henricus. Itaque cum ingentibus copijs egressi, castra fecere non longè à Tornaco. Gallus

*Anno 1214.*

vbi videret longè se viribus imparem, dicitur sacram ingressus ædem lacrymantibus oculis, in causa iustissima diuinum implorasse auxilium. Sequutus inde cum robore copiarum ad hostem suum pertendit. Hic pugna acerrima pugnata est, tegi cœlum telis volantibus, equorum strepitu, concursuque, terra horrendè mota est. Innumeri hoc in prælio cecidere, crudelis vbique luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago. Galli ad postremum egregiè vicere, captis etiam quatuor exercituum Ducibus, inter quos Flandriæ Comes, Otho Imperator, & Henricus viri impigri, quum strenuè aliquandiu restitissent hosti, amissa exercitus parte multò maxima, cũ paucis fuga elapsi, consulunt saluti suæ. Non multò post Henricus & fidei hostibus cæsis, principatum suum memorabilem reddidit Anno proximè insequenti, morbo correptus grauissimo, Coloniæ Agrippinę fatalem obijt mortem, quum annos quadraginta octo rerum potitus esset. Corpus illatum sepulcro Louanij in æde sacra Petro Apostolo, visitur erectum medio choro monumentum.

*De Henrico secundo & liberis eius. Item cœnobium Vallis ducis apud Louanium, vnde nomen acceperit, & à quo sit conditum. Caput XL.*

DEFVNCTO patre, Brabantiæ principatum tenuit Henricus filius, quem Magnaminum video à quibusdam appellatum Ex Maria vxore, quam acceperat, Philippi Romanorum Regis filiam, nati huic filius nomine paterno, & filiæ quatuor. Natu maxima, quę Machteldis vocata est, nupsit tunc temporibus Gallorum Regis fratri. Altera in baptismo nominata Maria, virum habuit ducem à Beyeren. Tertia Beatrix in matrimonium collocata Thuringę Lantgrauio (ea est dignitas apud Germaniæ populos.) Omnium natu minima, cui Margaretæ nomen fuit, monasticam vitam amplexa, claruit sanctitate in cœnobio Bernardini ordinis, locum nominant Vallenducis, Louanio distantem mi-

liaribus

liaribus duabus, regione amœnissima. Cõdidit hoc monasterium Hẽricus secundus, de quo nunc agimus, videturque sumpsisse appellationem Ducis à conditore Duce. Post obitum Mariæ duxit aliam vxorem, nomine Sophiam clarissimis ortam natalibus. Quæ mulier per omnem vitam pauperibus & egenis multa distribuit. Eadem peperit Henrico filium, qui & ipse à sacro fonte paternum accepit nomen.

*De bellis ab eo gestis. Caput XLI.*

HIC princeps ad Rhenum, ad Mosam gessit bella diuersa. Coloniam graui obsidione fatigauit, non potuit tamen expugnare. Cum cæde igitur suorum indereiectis, incensis omnibus villis ac ædificijs, quæ circa vrbem visebantur, abijt. Henrici huius temporibus vixerunt, Albertus cognomento Magnus, Thomas Aquinas Prædicatorij ordinis, viri ambo insignes. In Colonia Agrippina ille, hic Parisij professus est sacras literas.

*Quomodo Romanum imperium sibi delatum recusauerit, & morte eiusdem. Caput XLII.*

INnocentius quartus Pontifex Romanus, vbi Fridericum secundum, hominis (vt quidam scribunt) calliditatem pertęsus, abdicasset imperio, ad Henricum Brabantiæ ducem literis datis, eum rogauit, vt rerum imperij gubernationem susciperet. Quod Henricus fortunã contentus sua recusauit. Guilhelmum Hollandiæ Comitem, ac sibi ex sorore nepotem Romano Principi commendans: quæ commendatio effecit, vt post Henricum Turingiæ Lantgrauium, qui Friderico successit, Guilielmus sit Romanus Rex declaratus. De cuius cæde apud Phrisios dixi in eo libello, quem de Hollãdiæ Comitibus seorsũ edidi. Henricus, de quo agimus hoc loco, ingentis animi Princeps, vita functus est anno gubernationis Brabantiæ vigesimo secundo. Corpus eius sepulchro illatũ in Monasterio, quod lingua nostrate Vileer dicitur.

### *De Henrici Tertij vxore, liberis, & quibusdam alijs.*

### *CAPVT XLIII.*

HEnricus tertius, qui patri suffectus est, iunxit sibi matrimonio Aleydem Burgũdiæ Ducis filiam. Ex qua suscepit filios tres, Henricum, Ioannem, Godefridũ, filiam vnam Mariam; quæ postea nupsit Gallorum Regi Philippo, nominis huius tertio.

Præfuit hic princeps vt bonus rector, benignus vir, ac facilis, & ad promerendam omnium gratiam natus. Pacem toto administrationis tempore coluit. Sed optimum ac nobilissimum Ducem, nostris hominibus inuidentia, fata è medio sustulerunt, quum annos rexisset tantum tredecim. Vxor postea aliquamdiu sanctissimè administrauit, filijs adhuc impuberibus. Vterque sepultus Louanij, in cœnobio à se condito Prædicatorum, ad partem dexteram aræ maximæ.

*Anno 1260.*

### *De Principatu Ioannis, qui erat secundus Henrici filius, & discordia inter Louanium & Mechliniam.*

### *Caput XLIIII.*

*Anno 1268.*

ANno ab obitu Henrici octauo, Primores ciuitatum Ioanni secundo filio Principatum Brabantiæ deferunt. Nam Henricus natu maximus, ob naturę vitia quædam, idoneus non erat ad gubernandum. Hic postea consilium secutus Mechliniensium Principis, viri prudentis, vitæ dedidit se monasticæ. Vnde maxima est orta discordia, inter Louanienses & Mechliniæ principem. Louanij ciues iniuriam factam Henrico dicebant, qui si parum erat ipse idoneus ad gubernandum, per alios rerum peritos viros gubernare potuit. Hæc tum erat sententia Louaniensium. Paulatim res eo processit, vt & portas claudere sint ausi, cum matre Aleyda appropinquanti Ioanni. Per idem tempus exisse traduntur Louanienses in agrum Mechliniensium, ferro flammaque omnia conculcaturi. Quod cum Princeps loci audisset, confestim egressus

cum

cum suis, ad pugnam se expediuit. Certatum est atrociter, ac tandem inclinauit eo victoria, vnde plus roboris fuit. Auxiliaribus vrbium aliarum copijs adiutus Mechliniensis, Louaniensem fundit, fugatq;.

*De vxoribus ac liberis Ioannis. Caput XLV.*

POst hæc Ioannes Louanij quoq; Principatum suscepit. Margaretam Philippi Galliarum regis filiam in matrimonium acceptam, dilexit vnice: quæ postea doloribus partus extincta est. Inde duxit alteram eiusdem nominis, filiam Guidonis Flandriæ Comitis. Ex qua tulit filios, Ioannem & Godefridum, quem amisit admodum iuuenem. Natæ filiæ totidem, quarum vni Margaretæ, alteri Mariæ nomen inditum est.

*De bello gesto cum Archiepiscopo Coloniensium, & Ioannis victoria. Caput XLVI.*

OBierat mortem Henricus Lymburgiæ Princeps. Quo nuncio ad se perlato, Ioannes Dux Brabanticus, eo ad publica negotia componenda proficiscens. (Emerat enim legitimè eam terram). Geldriorum Comite Raymundo obijciente se cum haud inualida manu, ad exitum perducere nō potuit, quid animo conceperat. Magno studio contrahebat vndique auxiliares copias Geldrus ad bellum inferendum Brabanto. In socijs erant Coloniensium Archiepiscopus, Hēricus Comes Lucenburgensium, VValranus Valkenburgus Princeps. Quæ conspiratio tantum abest, vt deterruerit Ioannem, vt confestim etiam cum armato milite, in Archiepiscopi loca tumultuosè irrumpens omnia latè vastauerit. Pax deinde, sed frustra mota est. Aegerrimè ferebat Dux Ioannes, quod Traiectum ad Mosam (qui componendæ pacis locus fuerat cōstitutus) Gelriæ Princeps venire contempsisset. Ad hæc nunciabatur, eundem Lucenburgensium Comiti, accepta ingenti pecunia Gelricam terram vendidisse. Ioannes igitur irarum plenus, cum multitudine armis instructa, in terram Val

kenburgensium proficiscitur Coloniensem (cui maximè infensus erat) obsessurus. Ille verò vbi vidit hostem sibi imminere, fugam cepit. Quem dux per montes ac syluas insecutus, omnem ipsius terram est fœdissimè depopulatus. Breui post Coloniæ ciuium, & Principis Iuliacensis rogatu, venit ad obsidendam arcem VVoronc (ita enim vulgo dicebatur.) Nam hinc quotidie sceleratorum manus excurrens, pecunia negotiatores, alijsque mercibus exuebat, quę res multum incommoda fuit circumiectis emporijs. Ad arcendum Ducem, Coloniensis validissimum paucis diebus contraxerat exercitum, & auxilia ab his, qui Ioanni ex confesso aduersabantur. Iã non procul aberat hostis ab arce. Quum certior factus de eius aduentu Brabantus, magno animo processit obuiam, suosque breui oratione, vt eo die strenuam sibi nauarent operam, hortatus, canentibus signis in aduersam procurrit aciem. Sequutus miles ferociter dimicat, protractaque in vesperam pugna, vicit tandem Brabantus. Ceciderunt ex ducibus, qui Antistiti venerant auxilio, Henricus Lucenburgensis Princeps, fratres eius tres, & alij plerique illustres viri, Antistes captus, & cum eo tota ferè nobilitas. Cæsæ multitudinis numerus, parum iniri potuit. Satis constat multò plures ex Archiepiscopi exercitu quam Brabantico cecidisse. Hanc victoriam adeptus Ioannes, arcem diruit, dirutam solo æquauit.

*Anno 1288.*

## *De animaduersione in quendam Petrum, cognomento Brosenium. Caput XLVII.*

BIENNIO post, prædiues quidam in Gallia Petrus cognomento Brosenius, Ioannis huius sororis (quę Philippo tertio Gallorum regi nupta erat) amore incensus, quum illa semper congressum eius declinante, libidinem suam explere non posset, eam apud Regiam Maiestatem, cui longè carissimus erat, criminis detulit, nescio quid commentus fœminam perpetrasse, tantumq; effecit, vt iussu Regis in custodiã abducta, de vita periclitaretur. Ad quem tam atrocem nuncium exci-

excitus Ioannes, Parisium properat, vbi soror custodiebatur; hic re diligenter inuestigata, & sororem falso delatam liberat, & Petrum delatorem laqueo necat.

*De obitu Aleydæ coniugis Henrici tertij. Caput XLVIII.*

ANNO qui erat ab ortu Christi, M. cc. lxxxiij. moritur illustrissima mulier Aleydis, mater Ioannis ducis & vxor tertij Henrici, sepulta Louanij, vt alio dictum est loco. Hæc mulier in vita multum dilexit, & omnibus officijs beneuolentiæ prosecuta est Thomam Aquinatem, prædicatorij nominis virum, (vt ante dixi) ad quem Parisijs agentem frequenter scripsit, consulens eum per litteras, quibus rationibus in hoc mortalitatis pelago, cœlestem sibi patriam demereri posset. Ioannes inde filiam suam Margaretam, virginem egregia forma, nuptum dedit Henrico Lucemburgensium Comiti, eius Henrici filio, qui in pugna fortiter occubuit, non procul ab arce VVeronc. Iunior hic Henricus, postea factus Romanorum Imperator, in Italiam transcendit.

*Anno 1283.*

*Cap. 43.*

*Cap. 41.*

*De nuptijs filiæ Anglorum regis, & morte Ioannis ducis. Caput XLIX.*

HAud multò post celebratæ magno appatatu nuptiæ Anglorum Regis filiæ. Ad quas Ioannes quoque profectus cũ pulcherrimo equitatu, incredibili omnium lætitia excipitur. Per eos dies, vt in publico gaudio fieri solet, concursum est hastis. In quo certamine Dux idem, dextro an læuo brachio incertum est, lethale vulnus accepit, ex quo paucis post diebus, vita decessit. Cuius morte vulgata, maior quàm credi possit, luctus totam Brabantiam occupauit. Egerat enim clementem, pium, & beneficum Principem. Cuius defuncti corpus aduectum Bruxellam sepelitur in æde sacra Minoritanorum, qui per ea tempora viri erant multum Christo dediti, non conuiuantes, non scortantes, neque miscentes se humanis negotijs.

*De Ioanne secundo duce, & matrimonio eius.*
*Caput L.*

PAtre mortuo, Ioannes secundus Principatum adeptus, filiam regis Anglorum Eduardi primi in matrimonium accepit. Huic nomen erat Margaretæ, ex qua genitus illi filius. Luculentum illud in arce Vuerensi deambulatorium (vulgus aulam dicit) huius Principis est opus.

*De bello regis Gallorum aduersus Flandros.*
*Caput LI.*

IN hunc principatum incidit atrox bellum, quod Philippus, huius nominis quartus, Rex Galliarum gessit aduersus Flandriæ populos. Causa belli fuit, quod Guido eius terræ Princeps, filiam Philippam, quam de sacro fonte leuauerat Gallus, filio Eduardi regis Anglorum nuptum dare statuisset. Agebat ea tum in Gallis apud Regem susceptorem suum. Is igitur cum coniuge, Proceribus, & manu valida ingressus Flandrorum fines, complura oppida expugnat: ac paucis inde diebus, totam Flandriam in suam potestatem redegit, capto prius Guidone cum filijs duobus. Flandriæ sic domitæ atque subactæ, præficit Comitem Iacobum quendam Simpolium. Cuius tyrannidem pertæsi primum Brugenses, deinde cæteri omnes rebellarunt. Brugas venerat Comes, animaduersurus in quosdam, qui grauiter, vt illi videbatur deliquissent, quum subitò ad arma consurgens, multitudo penè omnes occidit. Comes ęgrè cum paucis euasit. Nec multò post apud Regem questus de vi illata, effecit etiam, vt ex toto suo Regno ille ad euertendam Flandriam numerosissimum conscripserit exercitum, cui præfecit Comitem Arthesiæ, virũ acri ingenio & gloria militari florentem. Peruenit is cũ omnibus copijs in agrum Cortracinum, sperans fore, vt breui omnia eius terræ oppida caperet. Sed vt in ceteris rebus ita in bello maximè solet variare Fortuna; duces exercitus Flandrorum, suos hortati, vt pro se, pro coniugibus,

gibus, pro liberis, & bonis suis omnibus fortiter dimicarent, cum hoste confligunt; fit atrox prælium. Flandrica gens pro libertate, pro aris & focis dimicans, aut moriendum putat, aut vincendum. Iis erat iniunctum, vt initio pugnæ fustibus & hastilibus maioribus Gallorum equos occiderent, quod cum strenuè faciunt, adepti sunt victoriam, magna vis Gallorum perempta est. Quidam tradunt hic perijsse totam ferè nobilitatem Gallici regni. Secundum hanc pugnam Flandri multa loca recuperauerunt, quæ antea Gallus ademerat.

*De reditu Gallorum in Flandriam & prælijs cum eadem gente. Caput LII.*

EST non multò post cum nouis copijs Philippus in Flandriam reuersus, vbi circa Insulas oppidum dimicatur, pluresque momento temporis vtrinque cæsi sunt. Rursus eodem ferè loco à prima luce ad vesperam in acie continuit Flandrum Gallus, ita futurum sperans, vt in medijs caloribus æstatis hostem stando pugnandoque fessum vinceret. Interim commisso prælio multo atrociori quam pro numero dimicantium, plurimi sunt in vtroq; exercitu occisi, noctis interuentus pugnam diremit. Inde Flandris alijs alio se recipientibus, vt aquæ potu sedarent contractam labore sitim, Gallus suos in equis manere iussos, noctè concubia eduxit. Hic manum vnam Flandrorum adortus superior fuit. Cæsus in ea pugna Guilhelmus Iuliacensis, quem Flandri aduersus Gallicas acies sibi Ducem elegerant. Hoc successu Philippus elatior factus, obsedit Insulas, adducto secum Guidone Comite, quem captiuum habebat. Quandiu tenuerit obsidio, & quoties oppugnare vrbem sit adortus, non traditur. Quidam scribunt ea conditione pacem factam, vt Gallus tantisper oppidum Insulense, & alia quædam loca sibi seruaret, donec statutum esset, vnde quotannis pactam ex Flandria pecuniam

niam reciperet. Ita dimissus Guido, suis omnibus rediit multum expectatus, sed breuis hæc fuit lætitia. Nam paulò post decessit admodum senex.

### *De motu ciuili Mechliniæ & Bruxellæ.* *Caput LIII.*

VAriis inde motibus agitata Mechlinia, propter sibi ademptas libertates vendendi salis ac piscium, & quoniam Imperatoris Henrici Lucenburgensis fauore Hantuerpia his ipsis postea frueretur commodis, maximo eius vrbis odio Mechliniensis flagrabat ciuitas. Auxit malum quod Ioanni ad obsidendam Mechliniam, quæ prius portas clauserat venienti, Hantuerpienses tulerint suppetias. Exiit hæc obsidio in aliquod septimanas, per occasionem. Interim egressi Mechliniani subitò Hantuerpiensium inuadunt aciem, arrisitque huic Fortuna conatui. Nam & hostes cæsi magno numero, & qui exierant, ad oppidum rediere, vix paucis amissis. Cùm igitur pergerent hunc in modum rebellare, Dux edicto prohibuit, ne quis vsquam illos commeatu impartiret, capitale futurum si quispiam hoc tẽtasset. Sed nec ita quidem subigi potuere, antequam ad fluuium Schaldam haud longè ab arce Reperamunda cum hoste congressi prælio superantur. Tum demùm supplices ipsi, portarum claues Duci tradũt. Quibus acceptis ille partem murorum diruit, habebatq; in animo totam vrbem nudare munimentis. Sed accepta grandi pecunia destitit. Eisdemque ferè temporibus est Bruxellæ tumultuatum, sed multò quam Mechliniæ periculosius. Fabri, textores, sutores, tabernarij, atque omnis illa fex ciuitatis eò insaniæ prolapsa est, vt quorundam primorum ædes diruerit, nõ pauci ex ditioribus metu vrbe excesserant. Princeps eadẽ discordia cõturbatus, Viluordiæ (quod oppidulũ distat Bruxella nostratibꝰ milliaribus duabus) se cõtinebat cũ præsidio. Effusi quodam die Bruxellenses, venerunt in agrũ Viluordiensem. quod videntes quidam, dixere in hoc venisse, vt à Duce veniã pro rebellione peterent; aliis visi sunt hostilia omnia minari,

nari, posteaquam armati & erectis signis venissent. Dux igitur cum paucis obuiam egressus dimicat. Illi subitò hostis occurso vix incœpto prælio, in fugam vertuntur, qua perculsa Bruxellensium ciuitas deditionem fecit.

*De morte Ducis Ioannis. Caput LIIII.*

HIC Ioannes Secundus post nouendecim Principatus annos perijt Vuere, innato vesicæ calculo. Sepultus Bruxellę in templo S. Gudulæ Virginis. Nullus Principum sic abhorruit à bellis gerendis, quæ tamen si effugere non posset, maximo gessit animo.

*De Ioanne tertio & quibusdam alijs. Caput LV.*

BONO patri bonus successit filius tertius Ioannes, natus annos dũtaxat duodecim. Cuius initia Principatus multum turbulenta fuere, nam propter æs alienum quod præcessores maiores eius, pater & auus gerendis assiduè bellis conflauerant, detinebantur passim negociatores, quod non modo priuatum, sed & publicum erat incommodum. Repperit tandem huic malo remedium humana industria. Sunt enim polliciti mercatores si Dux permitteret, se quicquid deberetur adnumeraturos singulis è sua pecunia. Quod vbi est factum, licuit statim vnicuiq; quo vellet, citra vllum vitæ aut bonorum discrimen proficisci.

*Anno 1312.*

*De pluuia decem mensium, & caritate annonæ, & pestilentia & Cometa Caput LVI.*

IN sequenti anno, cui fuit salutis nostræ M.CCC.XV. Brabantia & finitimæ regiones afflictæ sunt maximis malis. Post Calendas Maias orta pluuia, quæ menses durauit plus minus decem. Ex qua intemperie, cum in agris neque frumentum neque alia homini & pecudibus necessaria maturescere possent, summa rerum omnium caritate non vno loco cœptum est laborari. Quæ caritas progressu temporis adeò inualuit, vt quidam prodiderint post homines natos maiorem non fuisse. Mendici in vijs, in portis, pro templorum

1315.

foribus, inedia efflabant animas. Hanc annonam secuta est tanta pestilentiæ vastitas, vt quotidie in singulis penè oppidis sexageni, septuageniue homines efferrentur: quorum alij sexta die, alij tertia, multi secunda, nonnulli statim in ipso morbi aduentu extinguebantur. Multitudo omnis perterrita, in montes, syluas, & loca deuia fugiens, vacuis errabat in agris, alij in templis diuorum aris affixi, diuinam implorabant opem. Hic filios, ille parentem lugebat ademptum; alius fratrem, alius sororem desiderabat. Explicari oratione non potest, quanta fuerit eius temporis calamitas, qui gemitus, quæ lamentationes nocturnæ diurnæque. Per eadem ferè tempora obseruatus est in cœlo Cometes diro aspectu, magna luce radios suos emittens. Vulgo putatur hoc prodigij summis Principibus exitium, aut bellum, aut pestilentiam aliquam populo protendere.

*De bello aduersus Valkenburgenses. Caput LVII.*

IOannes bellum suscepit aduersus Raynoutum Valkenburgensem, ob affectos incommodo Traiectenses ad Mosam: perductoque in agrum Valkenburgensem exercitu, obsedit florentem ac bene munitam vrbem Sitterium, huc accolæ omnes pecuniam, aliaque bona sua, vt in locum tutissimum deportauerant. Et intus præsidium erat militare, Ducesque non pœnitendi, quorum opera & virtute semel à iuuenibus repulsus hostis in castra rediјt. Ad postremum tamen vrbs dedita est mœnibus, quam deditionem sequuti Harlenses vicini, venere & ipsi in Ducis potestatem. His peractis, copiæ in Brabantiam reductæ sunt. Breui post inter Ioannem & Raynoutum pax composita non diu tenuit. Rursus iniuria & damno affectis Traiectensibus, inuenio post longas controuersias Raynoutum Lauanij custoditum aliquandiu, sed libera custodia. Vixit hac tempestate vir ingenio & arte medendi eminens Ioannes Mandeuilius, patria Anglus, qui toto ferè terrarum orbe peragrato, tribus ea linguis

guis peregrinationem conſcripſit.

*De bello inter Flandriæ Comitem & Brabantiæ Ducem Caput LVIII.*

LEodinus Antiſtes quod iuris habere putabatur in Mechlinienſis oppidi Principatu, vendiderat Ludouico Flandrorum Comiti. Huic cùm parere noluent ciues, & legationem miſiſſent ad Brabantiæ Ducem, vna ex parte Principem vrbis, Ludouicus occupatis omnibus bonis, quæ Mechlinienſium erant in Flandria, bellum Ioanni qui armis defenſurus illos videbatur, indixit. Cum Flandro conſpirauerant quindecim alij Principes: qui diuerſis locis Brabantiam ingreſſi, latè omnia ferro & igni vaſtauerunt. Totos decem menſes nihil eorum quæ ad corporis alimoniam pertinent, importari potuit. Sic omnes clauſerat aditus hoſtis. Brabanti viciſſim Flandricum agrum incurſantes, vniuerſam terram, quæ inter Aloſtum & Teneremondam eſt, fœde populati ſunt, abactis boum, equorumque armentis. Contigit poſtea vt quingenti ex Flandria delecti equites, in Brabantiæ fines ſe receperint, Bruxellam, vt dicebantur, obſeſſuri: quo audito viginti ſex viri nobiles cum armatis ciuibus nocturno tempore egreſſi conſederunt, qua Flandris iter faciendum erat. Hic bene gerendæ rei occaſionem adepti, inuadunt hoſtium aciem. Fit inde atrox pugna, ſed vicit Brabantus: capti centum & quinquaginta Flandri, Bruxellam adducti ſunt ad Ducem, quos ille partim Vueram, partim Louanium cuſtodiendos miſit.

*De incendio Mechliniæ, & peſtilentia diuerſis locis Caput LIX.*

IN hunc principatum incidit oppidi Mechlinienſis conflagratio miſerabilis. Arſerunt inſulæ complures, & domus illuſtrium, & quicquid viſendum ac memorabile tum habebat hæc ciuitas. Eſt inde pluribus locis peſtilentia laboratum, qua multa hominum millia abſumpta traduntur.

De

### De filijs Ioannis Ducis, & filia, & morte Ducis. Caput LX.

IOannis huius tres filij, Henricus Godefridus, & Ioannes maximus natu, omnes sine liberis extincti sunt. Filia eius Ioanna ceteris filiabus annosior, defuncto priore marito suo Guilielmo, Hannonię atque Hollandię Comite, nupsit Vuenselao Ioannis Bohemię regis filio Hoc ita curauerat pater, futurũ sperans, vt amicitia magnorum Principum, quibus sanguine iunctus erat Vuenselaus, longam suis relinqueret pacem; quod non ita euenit. Ioannes haud multò post ex humanis decessit, anno Principatus quadragesimo tertiò, à Christi ortu M. ccc. lv. præcedaneis ferijs Diui Nicolai. Nobilitas mœrore affecta, corpus defuncti in Monasterio, quod nostra lingua Vileer, sepulcro multis cum lacrymis intulit. Amiserat enim principem modestum, iusti tenacem, & Reipublicæ gerendæ maximè idoneum.

### De Vuenselao duce, & motu ciuili apud Louanium Caput LXI.

POst obitum soceri Vuenselaus Principatum suscepit, quo imperante Louanium bis in motu fuit. Primum, quia Præfectus vrbis quendam in vinculis detineret, quem Senatus insontem iudicauerat; piscatorio is officio quæstum faciebat. Qui quum die quodam piscium vim conueheret, haud longè à Louanio hærentem fortè in luto rhedam educere non potuit. Acceptum igitur ex circumiacentibus pascuis equum adiunxit, atque ita eduxit. Post equo dimisso & in pascua reducto, ingressus Louanium, capitur à Præfecto, obijcitur ei quod equum illum furto abduxisset. Multum hinc est ortum mali. Pars ciuium secuti præfectum (erat illi nomen petro Coterelio) in domum ciuicam irruentes, Patrum primores captos, in arcem quæ loco vrbis editissimo visitur ad muros, perduxere. Hinc plebeis Magistratibus creatis, Petrus fecit pro sua libidine omnia. Plus biennium durauit hic tumultus, quum facta pace & ad regimen oppidi rursus assumptis nobilibus

libus, qui toto eo tempore in arce captiui manserant, duci multa sunt millia ex ęrario adnumerata, qui & durãte motu haud semel à Cotcrelio pecunia corrupti fuerat. Nonnulli tradunt huius parte pecuniæ ab eo extructam arcem Viluordianam, quæ nunc situ & opere est munitissima. De altero motu ac discordia eiusdem populi suo loco dicetur.

*De Bello aduersus Iuliacenses, & captiuitate Vuenselai.*

*Caput LXII.*

BEllum gessit postea cum Guilielmo Iuliacensium Marchione, ob exutos pecunia negotiatores Brabantos, qui per terram Iuliacensem item fecerant. Congressæ igitur acies maximo ardore conflixerunt. Initio pugnæ confossus iaculo Gelriæ Princeps, ex acie deportatur mortuus. Brabanti victores hoste fugato, quum nihil metuerent amplius, cibo ac potu refectis corporibus, somno opprimuntur; oppressos ac altum dormientes subitò adorti hostes interficiunt. Dux ipse cum aliquandiu se strenuè defendisset, capitur cum plerisque Proceribus. Nunciauit hoc fama vxori, quæ non dici potest quantum ex ea re dolorem animo conceperit. Audiuit & Carolus Cæsar, huius nominis quartus, fratrem suum captiuum esse. Quamobrem conuocatis Imperij Principibus, agere cœpit de Guilielmo, qui captum tenebat Vuenselaum, per iuris sententiam bonis priuando. Qua re territus Iuliacensis, illum custodia dimisit, retẽtis adhuc Proceribus Quos vt redimeret Princeps, ingentem exegit à suis pecuniam, qua impetrata & ceteris compositis rebus, in aliquot deinde annos à bellis quieuit.

*De Caroli Bohemi Cæsaris æduentu in Brabantiã. Cap. LXIII.*

INterea Carolum Bohemum Cæsarem, germanum suum in Brabantiam venientem, multa lætitia & gratulatione Vvenselaus excepit, prandijs ac cœnis exhibitis sumptuosissimis; interim nullo non ludorum genere in eius honorem edito. Discedentem post aliquot

dies

dies in Galliam vſque deduxit, inter valedicendum proſpera & ſecunda omnia precatus, Bruxellam redijt.

*De alia diſcordia ciuium Louanij. Caput LXIIII.*

PEcuniæ exactio, cuius mentionem feci, cauſa fuit motus noui apud Louanium, plebs conſpirans aduerſus primores, omnem mutauit regiminis formam, ex ſuo corpore creatis Magiſtratibus. In quo ſtatu propè exacto triennio, Bruxellæ occiditur inteſtinæ huius diſcordiæ princeps, quum ad conuentum ab Duce indictum eo veniſſet. Auctor cædis fuit Ioannes Caiſterius vir nobilis, qui metu vulgi Louanio profugerat. His igitur accenſa multitudo in Curiam venit, Primores numero ſexdecim (vt quidam tradunt) feneſtris eiectos alij foris manẽtes infeſtis haſtis excepere: cæteri ſine venia, ſine miſericordia, ſine reſpectu interfecti ſunt. Hanc ſæuitiam pertæſus Vuenſelaus, copias Louanio admouit, vt vrbe capta ciuilis motus auctores ſupplicio afficeret. Poſt ſeptẽ verò hebdomadas in vrbẽ quam expugnare nõ poterat, cũ paucis admiſſus, Princeps ſeditionis exiliũ eiecit. Vnus clari nominis Ioãnes Suarterius qui & ipſe plebem concitauerat, gladio ſubiectus eſt.

*De morte Vuenſelai, & eodem cæſo matris vtero. Cap. LXIV.*

HInc Bruxellam dux reuerſus cum aliquandiu ſpectaculis, equorum certaminibus, venatu & pila, qua optimè luſiſſe traditur, atque alijs luſibus ſe recreaſſet, Lucenburgum proficiſcitur, vbi non multò poſt obijt: ſepultus in Oryualenſi Monaſterio, quod illis in locis antea conditum, ipſe quoque prouentibus annuis ditauit. Inuenio hunc cæſum fuiſſe matris vtero, quæ nec vllum inde acceperit corporis incommodum.

*De luctu vxoris eius, & bello quod aduerſus Gelriæ Ducem geſsit post obitum mariti. Caput LXVI.*

BRuxellæ agenti Ioanne renunciatum eſt de obitu coniugis ſui Vuenſelai; quem vt in vita multum amauerat, ita ſibi ereptum atque ſublatum diu multumque

eamque luxit. In tam graui vulnere dolorem haud facilè positura, nisi patriæ sua opera & studio opus esse vidisset. Itaque gubernandi onere suscepto, multa prudenter, multaque gnauiter egit. Indictum sibi à Principe Gelriæ bellum ita gessit, vt quum ille congredi non auderet, victrix abierit. Causa bello prætensa, quod Buscũducensium Præfectus quendam ex Gelrij Ducis familia parricidij conuictum gladio subiecisset. Fato ac naturæ concessit hæc mulier nobilissima, humanæ salutis anno M cccc. vi.

*Quomodo Antonius Philippi Burgundiæ principis filius, ad Brabantiæ principatum peruenerit. Caput LXVII.*

NVnc videamus, qua via & modo ad Brabantiæ Principatum peruenerit Antonius, qui post obitũ Ioannæ administrauit Ioanna tertij Ioannis Brabantiæ principis filia, vxor Ducis Vuenselai, sororẽ habuit Margaretã: quæ nupta Comiti Flandriæ Ludouico, filiam illi peperit sui nominis. Hæc vnũ experta matrimonium, datur postea Philippo audaci Burgundię Principi, filio Ioannis Franciæ regis cognomento boni. Is igitur Philippus ex hac vxore filios tulit, Ioannem, Antonium, & Philippum. Ioanni vtpotè natu maximo Burgundiæ Principatum reliquit. Antonius qui inter Ioannem & Philippum medius erat filius, curante id patre, sufficitur in Brabantiæ Ducatu magnæ materteræ suæ Ioannæ, quæ sine liberis defuncta erat.

*De his quæ initio principatus fecerit Antonius. Caput LXVIII.*

ANtonij patre Philippo Burgundionum Principe geniti maternum simul ac paternum genus ab Regibus ortum. Hic à suscepto Brabantiæ principatu, accerrimus extitit punitor hominum sceleratorum, præcipuè parricidarum, & qui pauperes opprimerent. Floruit, & in optimo statu fuit res Brabantica sub hoc Principe tam studioso æquitatis; qua sublata è medio stare non potest hominum societas.

*De matrimonio eius & liberis.* Caput LXIX.

IN matrimonium accepit Ioannam Simpoliam, in qua muliere cum forma excellenti ac generis claritudine, probitas morum ex æquo certauit. Liberos habuit ex hac coniuge Ioannem & Philippum filios, & filiam, quę iuuenis decessit. Anno gubernationis Brabanticæ primo, vxorem ex valetudine amisit; quam quum vnice ac perseueranter viuam dilexisset, etiam defunctam honorificētissimè extulit. Corpus Vueram deportatum atque ibi loci sepultum.

*De duobus illustribus viris & eximijs Theologis.* Caput LXX.

APud Parisios eadem tempestate claruerunt eximij duo Theologiæ Professores, Petrus ab Aliaco, postea factus Antistes Cameracensis & Cardinalis. Alter Ioannes cognomento Gerson, eius scholæ Cancellarius, vtriusque studiorum piè ac vtiliter edita monumēta ad posteros manarunt. Per idem tempus apparuit stella crinita, inusitata magnitudine, prodigium id portendit cædem Ludouici Ducis Aurelianensis; bellum Leodinum, quæ breui post secuta sunt mala.

*De motu exorto apud Leodinos.* Caput LXXI.

TOta Leodiensium regio maximis de motibus obnoxia fuit, ob duos electos Antistites. Traiectum ad Mosam vbi agebat electus alter bis obsessum à Leodinis. Posterior obsidio hebdomadas sexdecim tenuit. Non multò post magnorum Principum armis ac viribus adiutus, electus qui Traiecti erat, Ioannes à Beyeris contra Leodinos egressus, magno eos prælio superauit, cæsis quadraginta millibus, & in his Theodorico Pervvesio quem altero deiecto, illi ad Episcopatus dignitatem prouehere sunt conati. Victor Ioannes Leodium ingreditur, sumpto de his supplicio qui partis aduersæ fuerant.

De

*De matrimonio eius & dote.* *Caput LXXII.*

DVxit postea Antonius vxorem Elizabetam & hanc excellentissima forma mulierem: Bruxellæ pompa & apparatu planè regali, in ducaria domo celebratæ nuptiæ. Dotis nomine accepto Lucenburgensi ducatu. Antonius cum valido exercitu agrum eius gentis ingressus, eos qui parere nouo principi recusarēt, breui ad obsequium redegit, partim bombardarū ictibus disturbatis castellis; partim armata manu captis, aut igni absumptis. Item cæsis magna copia Ducibus.

*De virtutibus eius in bello, & Sigismundo Rege Romanorum.* *Caput LXXIII.*

HIc Antonius vir acer fuit ac strenus, in excitando milite ad pugnam nulli secundus, & hostiū nullis copijs vnquam deterritus prælium primus inibat, victis indulgeas si veniam petissent in omni re agenda solers, & labore infatigabilis erat. Post domitos atq; subactos Lucenburgenses Aquisgranum venit cum decem milibus equitum. Sigismundus Rex Romanus, vbi corona de more donatus, aliquot mansit hebdomadas, Antonij Brabantiæ Principis congressum operiens. Qui quum non veniret (amici enim dissuadebant) ex Aquisgrano Coloniam Sigismundus proficiscitur. De quo Principe illud in primis dignum memoria, quod ipse studio latinæ linguæ deditus, sæpe grauiter accusauerit Germaniæ Principes qui sermonem latinum odissent aut linguæ pulcherrimæ Gallicum, aut aliud quoduis idioma præferrent.

*De cæde Antonij.* *Caput LXXIIII.*

ANno à Christo nato M cccc.xv. Angli, nescio quam belli causam aduersus Gallum prætendentes, cum valida manu egressi, iuxta Morinum consederunt, nec multò post cum hoste circa Blangiū (viculus hic est, non longè à Morino dissitus) pugnatum vtrinque cruento quidem Marte, sed à Gallis multò magis. Perijt 1415.

 hoc

hoc congreſſu cum multis alijs nobiliſſimis viris Antonius Brabantiæ dux, qui Gallorum regi auxilio venerat, alios in poteſtatem redactos, victor Anglus crudeliter necauit. Antonij corpus tertio die repertum inter iacentium cadauera, deportatur: exceptũ primo honorificè à Tornacenſium Epiſcopo, inde Bruxellã delatum, ponitur in templo Diuæ Gudulæ ſacro. Hic celebratus de more exequijs, non ſine grauiſſimo totius aulici ordinis & patriæ dolore ac lachrymis auehitur Vueram, vbi ſepulturæ datum eſt, iuxta monumentum prioris couiugis Ioanne Simpoliæ, cuius alio fecimus loco mentionem.

*De Ioanne principe Brabantiæ, & coniugio eius.* Caput LXXV.

DVo ſuperſtites liberi Antonio fuêre, Ioannes natu maior, tamen annos duntaxat natus tredecim, Brabantiæ Principatũ adijt. Annum agens ſextumdecimum, vxorem accepit Iacobam filiam ducis Guilielmi à Beyeris, comitis Hannoniæ & Hollandiæ. Fuit aliquandiu inter eos mutuus amor. Euenit poſtea diſceſſio, cuius inuenio cauſam fuiſſe, quod Proceres qui marito adhuc iuueni præerant, ſuo arbitrio mutata omni regiminis forma, & ſummotis, quibus ab ineunte ætate mulier aſſueuerat, pediſſequis, alias illi & ignotas dederint. Quod quam iniquo tulerit animo. ſatis inde colligi poteſt, quod ſub id tempus in Angliam traijciens, illic viuo adhuc Ioanni Duci cuidam Glouceſtrio nupſerit, fratri eius qui tum in inſula regnabat.

*De aduento Glouceſtrij cum exercitibus in Hannoniam.* Caput LXXVI.

TOt inde ſunt orta diſſidia, tot ſequuta certamina, varioque euentu depugnata. Glouceſtrius contracto in Anglia exercitu, Caletum peruenit cum Iacoba. Inde ad occupandam vxoris nomine Hãnoniam proficiſcitur. Et multa iam loca ſibi ſubiecerat, quũ Ioannes Dux Brabãtiæ veritus ne ſimili caſu Hollandiam quoque

quoque & Selandiam amitteret, vndique amicorũ principum fide implorata, præfecit gubernandæ Brabantiæ fratrem suum Philippũ. In rebus gerendis solertẽ, & laboribus infatigabilẽ virum. Ipse inde profectus ab Hollandię, Phrysiæ, & Selandiæ populis ita excipitur, vt tã prompta humanitas & beneuolentia singularis efficere potuerint, vt animo æquiore tolerarer mala omnia, quibus vno tempore circumuallabatur.

*De incursione hostium in Brabantiæ agrum. Caput LXXVII.*

GLoucestrius vbi audisset in Brabanti fidem cessisse, Hollandiæ ac Phrisiæ ciuitates ilicò emisit armatam manũ; quę in Brabanticũ agrum tumultuosè effusa, in miseros agriculas, nullum ferè crudelitatis genus non exercuit. Violata templa, per omnem sexum euagata cædes, ad stuprum raptæ virgines. Facti his de rebus certiores, qui primaria potestate in Brabantia gubernabant, ducis permissu Niuellas cum instructo ad hostium motus inhibendos exercitu miserunt principem Vuensmalium, & Ioannem Glimes cognomento, qui strenuè defensis finibus, interim sæpius leuia quædam prælia cum hoste commiserunt.

*De victoria aduersus Gloucestrium apud Braniam comitis. Caput LXXVIII.*

FIrmauerat Gloucestrius militari præsidio Brauiam comitis (ita enim vulgò nominant id oppidulum) vnde miles subinde excurrens, Brabanticum agrum ferro flammaque fœdabat Itaque die quodam, Vuesmalius & aliquot alij cum suis copijs ad Braniæ muros accessere. Quod videntes Angli, qui locum præsidio obtinebant, plenis repentè portis effunduntur, vix tentato prælio, simulat fugam Brabantus, donec longius ab oppido extractã videt Anglorũ aciem, hic circumacto celeriter, agmine in hostem reuertitur, fuitque id prælium multò prioribus atrocius. Multi quidẽ Angli cœsi sunt, multi grauiter vulnerati, multi etiam capti. Cæteri in vrbem trepidi sese recipiunt.

*Obsidio Braniæ, & eiusdem deditio. Caput LXXIX.*

NOn multis inde diebus interiectis, tota Brabantia in Anglos arma induit. Ab Traiectensibus ad Mosam, à Philippo Burgundionū Principe, qui nepos erat ducis Ioannis, ab Tornacensibus auxiliares copiæ adfuerunt Exercitu lustrato, recensa traduntur, præter Burgundi & Tornacensium appendices, millia hominum sexaginta. Cum his viribus Ducis frater Philippus, rei bellicæ vir scientissimus, Braniam circumsedit, quum omnia prius circa vrbē populatione & ignibus afflixisset. Iam complusculos dies obsidio tenuerat, quum propius accedens oppugnare oppidum est adortus, & si opere ac natura egregiè munitum, strenuè autem se defendentibus Anglis, plurimi è nostris muro deiecti, periêre. Noctis interuentus prælium diremit. Postridiè ab his qui intus erant pax frustra tentata est. Recurrere ad arma cupientibus Brabantis. Et iam atrocior fuisset hostem adorta oppugnatio, nisi vltro positis armis se dedisset. Ita redactum in suam potestatem oppidum, Philippus incendio absumpsit. Ex Braniensibus, qui fuerant defectionis ad Gloucestrium autores, alios laqueo necauit, alios gladios subiecit.

*Eiectus Hannonia Gloucestrius. Caput LXXX.*

DEletæ atque euersæ Braniæ fama, perculsæ Hannoniensiū vrbes aliquot, statim mutatis animis, Gloucestrium eiecere. Quo facto in gratiam sunt à Brabanto recepti. Post tam lætam victoriam egreditur cum suis Philippus ad reliqua Hannoniæ oppida recuperanda. Sed maximo niuiū casu, & continenti pluuia repulsus in itinere substitit. A Gloucestrio venit interim legatus, nuncians mox ad futurum illum, vt cum Philippi copijs dimicet: verùm expectatus quadriduum totum, non venit. Haud multò post abeuntem Brabantum, insequuta est alia manus Anglorum, vt sic improuisum opprimeret. Non est tamen hoc loco dimicatum, fugientibus Anglis, quum primum vidissent hostem egregiè ad pugnam instructum.

Iacoba

*Iacoba ex Hannonia Gandauum deuecta.* *Caput LXXXI.*

ANno Dominicæ natiuitatis M. cccc. xxv. Ioannes Brabãtiæ Dux obſedit Bergas in Hannonia, vbi tũc temporis Iacoba cum ſuis manebat. Adhuc tenente obſidione Philippus Burgundiæ Princeps venit Duacum, vbi colloquutus cum Ioanne Principe, conſilium dedit, vt auctor & cauſa belli totius Iacoba in Burgundiam aueheretur, donec Rom. Pont. decreto ad maritum ſuũ ipſa redire cogeretur. Senſit agi inter Principes mulier de ſe traducenda. Veniens igitur in exercitũ Ducis, Engelbertum Naſſauium lacrymantibus oculis rogat, vt is apud Ioannem Principem efficiat, vt ſibi in oppido aliquo, aut arce Brabantiæ liceat manere: quod nõ impetrauit. Deuecta Gandauum, Valenſenas Dux ingreſſus, magno ciuium fauore, & officiorum frequentia accipitur. Miſit poſtea Bergas Hannonię duos è proceribus, qui ſuo nomine & eius vrbis acciperent Principatũ.

*De prælio memorabili in Zelandia, & quibuſdam alijs.*
*Caput LXXXII.*

EOdem anno, menſe Iulio, allatũ eſt Glouceſtrio ad reparandum bellũ, promiſſa ab Anglis octies centũ millia aureorũ, ad hæc xx. millia armatorũ peditũ. Promiſiſſe ferebatur & Scotus auxiliares copias. Itaque rebus alijs omiſſis Dux Brabãtus, Hãnonię vrbes & arces validis firmat præſidijs, ſimul ad cognatũ ſuũ Burgundiæ principẽ literas dedit, quibus ille certior factus, Glouceſtrium Ducem totis viribus bellum renouare, Ioanni reſcripſit adfuturum ſe cum exercitu, ſi quid Anglus hoſtile fuiſſet molitus. Ioannes quum ſe videret non ſufficere tot gubernandis Prouincijs, Burgundum Hannoniæ præfecit & Selandiæ. Per idem tempus Iacoba clanculum ſe Gandauo ſubduxit in Hollandiam, vbi quum facilè eius terræ nobiles viros aliquot, & nõnulla etiam oppida ad ſui obſequium retraxiſſet, intellecta rem Glouceſtrius, miſit ex Anglia claſſem in Hollandiam (ductu Principis cuiuſdam Filuuaterij, qua claſſe defenderet ſe & ſuos Iacoba. Nõ multò interiecto

1425.

 tem-

tempore, quum Dux Burgundiæ Philippus, quem Ioannes Hollandiæ præfecerat, audisset in Selandiam applicuisse naues Anglorum ad insulam expugnandam, noctes diesque itinere continuato accurrit cum manu validissima. Hic totis viribus vterque Dux in aciem descendit. Fuit ab initio anceps certamen; ad postremũ Burgundus egregiè vicit, cæsis tribus Anglorum millibus: ex omni ætatis flore selectis. Commissum est prælium hoc memorabile in agro pagi percelebris, qui nostrate lingua dicitur Brouvvershauen, ad annum salutis millesimum, quadringentesimum, xxv. Paucis post diebus Romæ declaratum à Cardinalibus, Iacobã sine iusta causa fecisse cum Ioanne diuortium. Quo accepto nuncio Gloucestrius aliam duxit vxorem. Iacobã tamen Ioannes non recepit, posteaquam supremi ordinis Proceribus visum est publicam quietem conducere, vt illa ad certum tempus seruaretur apud Sabaudiæ Ducem cognatum suum.

1425.

*Conditum Louanij Gymnasium. Caput LXXXIII.*

IOannes tot bellis defunctus, quum esset omnis Religionis bonarumque artium vir amantissimus, Louanij Gymnasium, viris vndiq; doctissimis accersitis, instituit. Quidam scribunt eum rogatu Primorum ciuitatis hoc fecisse, ne intestinis aliquot certaminibus diminuto ciuium & artificum numero, vrbs in posterum deserta maneret. A Martino Quinto, ea tempestate Romano Pontifice impetrata Priuilegia, quibus vsque in hodiernum diem vtitur hęc schola. Initio conditi Gymnasij licebat in omni genere disciplinarum profiteri & docere, præterquam in Theologia, sed postea est impetratum, vt & huius studij Professores, in eadẽ schola publicitus docerent. Professio inchoata est Calendis Septembribus, aut, vt quidam volunt, pridie Natalis Deiparæ, Anno incarnationis dominicæ, M.cccc xxvi.

Quibus

*Quibus incommodis Iacoba Hollandiam affecerit.*
*Caput LXXXIIII.*

VNo extincto incendio plerumq; nascitur alterum. Manebat Schoonhouię oppido Hollandię Iacoba, quum & solertia quadã pertractis ad se Goudanis ciuibus armato milite non parum affligeret eius terræ ciuitates, quæ aduersæ partis erant. Iacobę se adiunxerat Princeps Seuenberganus, & ipse terra marique Hollando infestus. Quo audito, Burgundus reduxit ea in loca exercitum, ac Seuenberganos arctissimè obsedit. pecuniæ interim haud paruam summam promittens Seuenbergæ Principi si bello absisteret. Quod vbi constanter negaret se facturũ, & iam propius vrbem cõsideret cum copijs Burgundia, tandem se dedidere Seuenbergani. Princeps, quo inuito hæc facta erat deditio, fugatus est.

*De morbo Ioannis & morte. Caput LXXXV.*

POst hæc Lyræ oppidulo Brabantiæ cõuentus principum habitus, vbi confectis rebus, Ioannes cum fratre suo iuniore Philippo, Comite Simpolio, profectus Bruxellam versus pridie Palmarũ, antequam ad locũ destinatum peruenire potuit, graui morbo implicatur. Postridie quam redijt Bruxellã, nihil prius habuit, quam accersito ad se medico animæ, de contractis per totã vitam noxijs Confessionẽ facere, inde vbi, qua par est, veneratione Corpus ac sanguinem Domini cũ accepisset, paucis diebus mortem obijt ante resurrectionis festum. Anno à Christi regis ortum Millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, ætatis xxiiij, Conditorium optimi huius Principis visitur Vuere ante aram maximã in æde Ioanni Euangelistæ sacra. Fuit Ioannes in rebus aduersis omninò forti & infracto animo, iusti & æqui tenax; nemo religionis studiosior, nemo Dei amantior, nemo affabilior, nemo clementior. Tam munificus in pauperes, vt ij vno ore omnes Ioannem pauperum patrem appellauerint. Ioannis huius temporibus, anno Salutis Millesimo cccc. xxi. nocte quæ præcessit festum Elizabeth, vi tempestatis & aquarum violentia ruptis

 agge-

aggeribus in Hollandia pagi ſeptuaginta periêre. Sunt & in Phriſia, & Zelandia euerſæ domus ac villæ. Perijt ingens quoq; mortaliũ numerus. Fruſtra alia loca editiora camporum, alij turres ac tecta petebant.

*Spumeus amnis*
*Exiens oppoſitas euicit gurgite moles,*
*fertur in arua furens, cumulo camposque per omnes*
*Cum ſtabulis armenta trahit.*

*De primo Philippo Brabantiæ principe.* Caput XXXLVI.

MOrtuo Ioanne, frater eius Philippus gubernationem ſuſcepit. Antequam id fieret, cupidus viſendi Hieroſolymis ſepulchrum Dominicum, Romam proficiſcitur vt à Pontifice Maximo imperrata facultate, quamprimum quod in animo erat, conficeret. Pontifex non ignarus periculorum itineris, exarſerãt enim bella quædam inter Cypri regem, ac Turcam, non eſt paſſus Ducem abire. Sed apud ſe retentum aliquandiu, humaniſſimè habuit.

*Viluordiæ conuentus, & alia quædam.* Caput LXXXVII.

REuerſus ex Italia Princeps: Viluordiæ in Brabantia celebrem habuit conuentum, vbi ſumma cum prudentia leges quaſdam à maioribus ſtatutas, ad vtilitatem communem ſuorum, retractandi author fuit. Aſciuitque ſibi Cancellarium Ioannem cognomento Boutium, qui vir erat grauis, prudens & multis experimentis eruditus. Secundum hæc pagos, arces, & quæ alia ſuperiorum culpa Principum ad priuatos deciderant, recuperare ſtuduit. In hoc à ſingulis oppidis certa eſt pecuniæ ſumma Principi adnumerata. Ioanni Boutio adhuc viuo (ſed cui, vt opinor ætas & valetudo ſuadebant otium) Princeps Louanij in ciuica domo præſentibus ciuitatum Primoribus, dedit ſucceſſorẽ Ioannem Gyllaynum patria Brabantum, qui antea fuerat Leodij Cancellarius. Cuius huius prudentia ac ſtudio factum, vt pax altiſſima fuerit inter Philippum, & Leodinorum Antiſtitem.

### *Bellum Leodinorum cum Namurcensibus.* *Caput LXXXVIII.*

SVb id tempus bello petiti Namurcenses à Leodinis. Qui transportatis in territorium copijs, multas arces ceperunt, captas solo equarunt, propter ademptos sibi pagos aliquot. Mox & Bouinia est atrociter oppugnata. Quibus auditis Burgundionum Dux Philippus, eius ditionis proximus heres, armatos emisit, qui ex Namurco, velut arce quadam, sæpius Leodiensem agrum incursantes, multis eam gentem affecerunt incommodis. Eratq; hic rerum status. Illis in locis quū Philippus Brabātiæ Princeps, nunc p litteras, nūc per legatos ad pacē finitimos hortaretur: quę quum nullis rationibus sarciri posset, mensium aliquot induciæ pactæ. Quibus retinentibus sperabat se Brabantus ad æquas pacis conditiones vtrosq; retracturum.

### *De futura coniuge & morte Philippi.* *Caput LXXXIX.*

MIsit postea è Proceribus Engelbertum Edingum & Boutium principem, cum trecentis equitibus, qui accerserent sibi desponsatam filiam Ludouici Regis Siciliæ: Iolentam nominatam inuenio. Erat ea ventura ad vrbem Remensem, vbi tradita summatibus à Principe missis in Brabantiam deduceretur. Interea Philippus graui morbo correptus, humanis decessit Louanij, quum rerum potitus esset annos tres, menses totidem. Hoc gubernante Philippo, tam horrendè mota & concussa est terra pluribus locis, vt vnquam alias hominum memoria. In Cathalonia hoc tremore viginti vrbes sunt euersæ.

### *Quomodo Brabantiæ Principatus ad Philippum Burgundiæ ducem peruenerit, eiusdem vxores & liberi.* *Caput XC.*

SIne prole iam defunctis Antonij liberis, omne ius Principatus Brabantici deuolutum est ad Philippum Ioannis Burgūdiæ Ducis filium. Is enim Ioannes Antonio fratri Iuniori hac lege Ducatum Brabantiæ cesse-

rat, vt si vel ipse Antonius vel eius liberi sine hæredibus necessarijs decederent, ius rediret ad suum genus. Itaque Philippus patre Ioanne Burgundo natus, ab initio administrationis tam singulari vixit modestia, vt plurimum diligeretur ab omnibus, & in magno etiam honore sit habitus. Obuenerunt ei post cædem patris prouinciæ; Burgundia, Lothoringia, Brabantia, Limburgia, Flandria, Arthesia, Hannonia, Hollandia, Selandia, Phrisia, quibus omnibus summa prudentia præfuit. Vxores duxit omninò tres, vnam Michaelam, Caroli sexti, vt alij septimi, Gallorum regis filiam virginem, ex qua liberos non tulit, quum maximè cuperet. Hæc defuncta sepelitur Gandaui in cœnobio diui Bauonis. Deinde in matrimonium accepit Laudam quādam & nobilem & egregia forma mulierem, quæ & ipsa nihil ei peperit liberorum. Postremò coniugem habuit Ysabelam Portugaliæ regis filiam, ex qua Antonium & Iodocum, quos pueros amisit, postremò Carolum suscepit, qui patri successit in Principatu, de cuius rebus gestis suo loco dicetur.

*Cædes patris Philippi; bellum in Gallia gestum à Philippo, & Anglorum rege.* CAPVT XCI.

NOndum factus Brabantiæ Dux, bellum Philippus gessit cum Gallis, vt patris sui Ioannis indignam cędem vlcisceretur. Quidam hunc tradūt oppido Galliarum, cui Monstriolum nomen est, interemptum. Quo loco dies Principum conuentioni dictus erat. Cædis auctorem fuisse Delphinū, qui postea rex factus, Caroli septimi nomen accepit, Robertus Gaguinus rerum Gallicarum scriptor, refert. Cōuentu (inquit) inito, quum hinc atq; hinc permulta de præteritis iniurijs refricarēt, subitò quidam ex his qui Dalphinum sequuti eo venerant, ira accensus educto gladio Burgundum obtruncat. Innocētiæ Caroli Dalphini argumentum fuisse Robertus tradit, quod ad cædem viri expauerit, faciem à percussoribus auertens. Patre occiso Philippus cum Anglorum

glorum rege Henrico Gallici nominis hoste fœdus & amicitiam iungit. Ab his duobus ea tempestate Galli sunt armis inclementer vexati, adempta oppida, vici concremati, solo æquatæ sunt arces. In quo statu exactis aliquot annis, Gallorum rex Carolus septimus, omnia quę ademerat hostis recuperauit, puellæ cuiusdam auxilio. Hæc dicta Ioanna, viginti annos nata, Regem adiens, ideo se venisse constanter affirmauit, vt eum in Regnum restitueret, Deum ita decreuisse, vt se Duce, Aurelianenses, quos tum arcta premebāt obsidione Anglorum exercitus: liberarentur, & Anglis tota Gallia expulsis, ipsa Remos Carolum perduceret, vbi more maiorum inungeretur: de quibus omnibus oracula diuinitus accepisse se dicebat. Hæc & alia pleraq; Gaguinus. Ego ad ea venio, quæ post Brabantiæ susceptum Principatum memoratu digna Philippus gesserit.

### *De obsidione Caleti. Caput XCII.*

ANno Dominicæ incarnationis Millesimo quadringētesimo tricesimo septimo, ita enim inuenio. Philippus quum non bene cōueniret inter eum & Anglorum regē, Caletū in Flandriæ finibus situm oppidū (quod tum Anglo parebat) valida manu obsedit. Nullū hic inuenio memorabile facinus editum, & antequam vrbs tentari cœpta, obsidio soluta est. Causam eius rei diximus in libello de Hollandiæ omnium principum rebus gestis. Lego hac obsidione irritatos Anglos in fines Brugensium excurrisse populabundos magis quam iusti more belli. Quos adorti Brugenses, fugant, & propè duo millia cædunt.

### *De rebellione Brugensium aduersus Philippum. Caput XCIII.*

HAnc victoriā secuta est Brugensium rebellio ob ademta Priuilegia: quā eo progressam inuenio furoris, vt contra ipsum etiam Principem non solum arma sumpserint, verumetiam gladio subiecerint eos, qui Philippum vrbi exitium minātem iuuissent. In Cōmentarijs rerum nostratium lego, Principem, vbi Brugas ob-

gas obsidere constituisset, simulasse se cum exercitu profecturum aduersus Hollandos, vt eam gentem aliquāto faceret obsequentiorem. Idq; vt facilius vulgò persuaderet, mille, & quingentos armatos præmisit Antuerpiam qui inde statim in Hollandiam traiecturi videbantur. Interea ipse cum cetera manu in Brugēsem agrum egressus, vbi appropinquare oppido cœpisset, adequitanti sibi Principi Lillidamo, bellicosissimo viro, dixisse fertur: Hæc est illa Hollandia quā subigere cōstitui, Brugas digito commonstrans. Quod simul atq; Lillidamus intellexisset, animo exhorrescens, Domine mi inquit, superi prohibeāt: nolim te quicquam tale incipere, & nostro omnium malo experiri tumultuantis vulgi rabiē, si tamen ita fixum immotumque sedet animo, nullum equidem pro tua, hoc est principis mei salute periculum effugero. Hæc ille. Philippus tanquam cum suo milite in Hollandiam profecturus, intra vrbem à Brugēsibus, qui nihil suspicabantur mali recipitur. Verùm nō multò post vbi animaduersum esset omnia minus agi syncerè, Brugenses clam arreptis armis vrbe media sese intra domos occuluêre, certi nihil incipere, nihil mouere, priusquam Ducis miles hostilem ostenderet animam. Erat enim in euētum circa forum dispositi armati cum ingentibus machinis, qui in primum clamorem hostium omnem principis exercitum solo bombardarum sonitu in fugam egerunt. Ipse Dux periculo proximus, operà cuiuspiam fabri, qui à tergo portarum fores effregit, vix elapsus est. Postea verò ne propter vnius rebellionem vrbis nimium effunderetur humani sanguinis, alia via rebellē populū domare ac subigere cogitabat. Vetuit igitur omnib⁹ suis Prouincijs recipi Brugēses, & pro hostibus haberi voluit. Vnde factū, vt qui antea Brugis negociatores, velut emporio nostri orbis, versari cōsueuerant, vrbe relicta alio habitatū concesserint. Hoc vidētes Brugani ciues, rabie tandem posita, pacem petunt. Quā his legibus impetrasse dicuntur, vt octodecim viris, quibus authoribus rebellatum fuerat, supplicio admotis tota ciuitas ad vnam fermè milliari extra vrbem nudatis

plantis

plantis duci supplex occurreret. Quod cum ita factum esset, Dux oppidum ingressus, haud aliter atque numen quoddam cœlo demissum excipitur.

*De expugnato per eum Lucenburgo. Caput XCIIII.*

NOn multò post adfertur Lucenburgensium Principem Elizabetam è vita excessisse sine liberis. Igitur Philippus, ad quem lege rediisse putabatur hæreditas, cum satis numeroso exercitu profectus, irrequieto ductu, Lucenburgum eius regionis primam vrbem venit, quam totos quindecim dies perpetua fatigatam obsidione, tandem cepit opera Cornelij nothi sui bellicosissimi viri, qui scalis in tempesta nocte admotis muros conscendit, & captum oppidum patri aperuit.

*Anno 1288.*

*Constantinopolis expugnatio. Caput XCV.*

HVius Principatu anno quinquagesimo secundo vt Sabellicus; vt Gaguinus tradit, tertio, supra millesimum & quadringentesimum nostræ salutis, à Turcarum rege Machomete capta direptaq; est Cōstantinopolis. Cuius vrbis alienatio, vniuersæ Christianorum genti grauis, Genuensibus verò ac Venetis longè fuit grauissima. Quibus cum erepta Constantinopoli in Pontum & Scythiam nauigandi omnis adempta facultas videbatur.

1452.

*De exactione facta in Hollandia. Caput XCVI.*

EOdem ferè tempore Philippus, nescio quo prætextu ingentem ab Hollandis pecuniam exegit. Quæ primum negata à VVaterlandis (sunt ij populi Hollandiæ) magnos iterum tumultus excitauit. Respondentibus enim VVaterlandis non ita florere sua oppidula, vt ceterarum Hollandiæ vrbium munificentiæ respondere possent. Ilicò missi sunt à Principe Legati, qui vel inuitos ac renitentes eos ad id pecuniæ persoluendum traherent, cumque nec eo modo quicquam proficiscent, iussu Principis eo immissi armati opulentissimos quosque abduxerunt Hagam Comitis. Qua violentia tantum

pecu-

pecuniæ extortum eſt, vt præter eam quæ exigentium & recipiētium ſitim explere potuit, multum etiam ſuperfuerit ad luxum ac delitias aulicorum. Et vtinam à ſuperiorum Principum Conſiliarijs omninò peſtilens inductum exemplum hodie non tanto ſtudio imitarentur omnes.

*De exactione in Gandauenſes, & rebellione eiuſdem populi.*

*Caput XCVII.*

SExennio poſt Philippus quum eſſet adhuc animo ſatis infenſo in Gandauenſes, propter ſolutam nuper horum ambitione obſidionem Caliſiæ, grauiſſimis exactionibus eos diuexare ſtatuit. Proindè cum nihil impetraſſet eorum quę petierat, armis vtrinq; agi cœptū eſt. Princeps apprehendere & in cuſtodiam ac vincula conijcere Gandauenſes ac horum fautores. Ediuerſo illi omnes qui Philippi partibus fauebant, indignis modis tractare ſint auſi. Eſt pręterea ſępius inter eos collatis vexillis acie decertatū, nunc his, nūc illis victoribus, obſeſſum viribus Gandauenſium Audenardū, ſed fruſtra obſeſſum. Prius enim quam in tanto apparatu geſtum eſt quicquam memoria dignum, Gandauenſes in fugam conuerſi, multos è ſuis amiſere. Ad Philippum interim defecerunt omnia penè Flandriæ oppida, quæ rerū mutatio tantū abeſt, vt Gandauenſibus, feroci hominum generi, quicquā animi ademerit, vt non multis poſt diebus etiam Teneramūda Flandriæ ſatis munitum oppidum ſit ab ijs tentatum, ſed infeliciter ( vt exitus docuit rei) tentatum. Illic enim hoſtilibus oppreſſi inſidijs multi occiſi ſunt: qui pugnæ ſuperfuerunt, ij poſtea cū Teneramundanis iterū congreſſi, proſperè dimicauerunt, cæſis hoſtibus. Nec multum inde dierū interceſſit, quū vtrinq; nouo coacto exercitu, iterum infeſtis ſignis concurſum eſt. Quo prælio Cornelius Philippi nothus (cuius alio loco memini) occubuit, ſepulchro illatus poſtea Bruxellæ in templo D Gudulæ. Pater huius tam ſtrenui filij prærmatura morte vehementer commotus, Hollandorum implorauit opem. A quibus Philippo miſſus exerci-

ercitus, primo contemptui fuit ac ludibrio Gandauensibus. Ceterùm vbi seriò agi cœptum est, Hollandi superiores fuêre. Quibus ob strenuè nauatam in ea pugna operam, gratijs actis Philippus ad expugnandas tres Gandauensium arces concessit, quæ natura & opere multò erant munitissimæ. Captis breui spatio duabus, tertiam adoritur. Quod vbi esset Gandaui renunciatum, continuò egressis illis, cum florentissimo exercitu, Princeps improuisus occurrit. Certamen fuit vtrinque cruentum. Sed Philippus egregie vicit, sex decim, vt inuenio, Gandauorum milibus occisis. Hac demùm clade fracti & consternati Gandauenses, pacem supplices petunt; qua data, Princeps vrbem ingressus, maxima cum veneratione excipitur, Gandauiana magnificentia tractatur, sanctissima fide dimittitur.

*De Philippi filio Dauid inaugurato Traiectensium Episcopatui, & obsidione Dauentriæ.*

*Caput XCVIII.*

POst hæc Philippus omnibus modis egregius Princeps de filio suo Dauid Episcopatui Traiectẽsi inaugurando cogitare cœpit. Qua re intellecta Traiectenses, qui Gisberto tum electo magis fauebant, certis argumentis ostendere cœperunt, haud placere sibi quod ageret Philippus. Causabantur enim non esse idoneum Burgundi filiũ, quod constaret eum ex concubina editũ. Quibus cum Philippus respondisset se habere Apostolicam super ea re dispensationem, (vt vocant;) nec sic quidem placare eos potuit. Igitur fit via vi, & armis tentari res cœpta, breui eo deducta est, vt quem Canonici elegerant maximis allectus promissis, Burgundo Episcopatum cesserit, atque ita Traiecti pacatis & compositis rebus omnes belli reliquiæ in Dauentrienses conuersæ, qui noui Antistitis imperium apertè detrectabãt, In hos Philippus educta non contemptibili manu totas octo hebdomadas vrbem eorum frustra obsedit, Pluuio enim cœlo dies complures luculentus exercitus circa fossas & paludes nihil agere insignè potuit. Interea

Ioan-

Ioannes Dux Cliuensium nihil prætermittens eorum, quæ ad pacem inter Principem & Dauentrios componendam attinerent, eo rem deduxit, vt impetrata pace, nouum reciperent Episcopum. Id quod haud grauatè fecerunt, iam incommodis longè obsidionis edocti, infcitiam esse aduersus stimulum calcitrare. Itaque abductis inde militibus suis, Philippus in Brabantiam reuertitur circa festum diem Archangeli Michaëlis.

*De fuga Ludouici Delphini è Gallijs ad Philippum Burgundum, & eiusdem Ludouici in Gallias reductione. Caput XCIX.*

VIX iam redierat, vix iam resperare cœperat à bellicis curis, atque negotijs Princeps, cum Ludouicus Delphinus, cui cum patre Carolo Galliarum rege inimicitiæ erant, nostra loca ingressus, ad eum se contulit fretus affinitate, quæ cum illo intercedebat arctissima. Nepotem igitur destitutum fauore suorum Philippus ea veneratione, eo excepit affectu, vt facile declarauit se in affinem gerere animum parentis propitij. Itaque exacto quinquennio in comitatu Burgundi vsque ad patris obitum, cum ingenti exercitu à Philippo in Gallias reductus, fratre natu minore, cui pater moriens, Ludouici odio, regnum Galliarum testamento reliquerat, vltro annis ac ætati cedente, Rex inungitur. Sabellicus Antonius qui in parte operis sui postrema rerum à Philippo gestarum commeminit, auctor est, apud quosdam in suspicionem venisse, Ludouicum veneno necati fratris iunioris. Quæ quidem res illi & inuidiam cōflauerit, & bellum pepererit, in quo tam infestum habuerit hostem Philippum Burgundum, quàm antea senserit amicum.

*De expeditione eius in Turcas. Caput C.*

*Anno* 1464.

ANno salutis nostræ quarto & sexagesimo supra millesimum & quatercentesimum, Pontifex Pius secūdus, quum nuntios & literas per omnem Europam misisset, quibus ad bellum Turcis inferendum, Reges ac populi

populi inuitabantur. Philippo quoque Burgundo Pontificiæ literæ sunt redditæ, quibus rogabatur, vt ad tam pium, quàm necessarium bellum sese pararet; paratus in tempore adesset vna cum ceteris Principibus Christianis, quàm primum transmissurus in ea loca, quæ per id tempus fidei hostis nostrorum ignauia Principum occupauerat. Acceptis his literis, optimus Princeps non distulit, quantum potuit militum ex omnibus suis Prouincijs conuocare, cum instructo exercitu ipse haud dubiè profecturus, nisi partim senio præpeditus, partim alijs implicitus malis, domi manere coactus fuisset. Emisit igitur Antonium nothum suum, ingenti animo ac fortitudine virum, qui copias duceret. Is ex Brabantia profectus, quum in Gallias venisset, longius procedere non est ausus, propter ostẽsas sibi literas, quibus inerat, iussisse patrem Philippum, vt interficeretur. Hæ literæ, vt postea compertum est, non à patre, cui vnice carus erat Antonius,) sed ab huius Consiliarijs aliquot, scriptæ fuerant in gratiam Ludouici Gallorum Regis, cui soli cum Pontifice parum conueniebat.

### *De noua discordia apud Hollandos.* Caput CI.

ANno post Christum in terris natum M. cccc. xliiij. initium cepisse discordia traditur, quę per longum tempus fuit inter eos qui ab hamo, & alios qui à pisce asello nominati sunt.

### *De morte & moribus eius.* Caput CII.

OBijt Philippus ætatis anno septuagesimo tertio, Regni tricesimo septimo, Dominicę natiuitatis millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo. A D xvij. Calen. Iulij. Fuit hic Princeps, quod non paucis incredibile videatur, pacis ac belli ex æquo studiosus, insignitè pius, in omnes beneficus, humanus, vt superiorum Principum nullus. In re bellica fortior, ne an fœlicior extiterit, nescias. Moderationem & clementiam toto administrationis tempore mirabilem exhibuit, nouitq; iram plerunq; dissimulare ac vincere. Gemmarum, signorum, tabularum, & poculorum ex auro atq; argẽ-

to studiosissimum fuisse legimus: in quibus comparandis ipsum propè superauit Iulium Cæsarem: ditauitque huiusmodi rerum artifices vndiq; ad se accersitos. Principes viros, ac nobiles matronas coluit, & ab his vicissim ipse in honore est habitus.

## CAROLVS BVRGVNDVS.

*De natiuitate Caroli, & parentibus eius. Caput CIII.*

NAtus est Carolus Digij oppido Burgundiæ, anno partus Virginei iiij. & xxx. supra quadringentesimum & millesimum iiij idus Nouembris. Patrem habuit Philippum, de quo proximè dixi, virum longè optimum: Matrem verò Ysabellam, quæ marito suo præter Carolum, duos alios filios genuerat, quorum vnus adhuc infans, alter iam puer extinctus est.

*De studijs eius in pueritia. Caput CIIII.*

CArolus annos natus fermè duodecim, optimis moribus & liberalibus disciplinis traditur instituēdus, vt qui in spem successionis tot prouinciarum aleretur; eoque breui peruenit meditando, exercendoque, vt natu grādior, & Latinè loqueretur, & scriptores veteres, etiam citra interpretem, intelligeret. Quòd certè tam rarum est in Principibus nostris, vt plurimum etiā placere nobis, & cristas erigere possimus de qualicumq; ad summas eius virtutes accessione doctrinæ. Imbutus est & Musicis, olim apud antiquos honestissimo studio, quod hodieque suam retinet laudem apud quasdam nationes. Doctos viros plurimū amauit, & occasione data prouexit; maior haud dubiè futurus ingeniorum Mæcenas, bellicis districtus curis mentem omnem & cogitationem ad arma conuertisset. Ego in Commentarijs rerum Hollandicarum inuenio, Religionem adeò curæ fuisse adhuc penè imberbi, vt preter horarias, quæ Canonicæ vocātur, legerit, nec vnquā omiserit, nisi multum occupatus. His filij progressibus, in tantum est gauisus pater Philippus, vt sæpius dixerit, plurimum se omnium bonorum largitori Christo debere, quòd talem esset illius benignitate successorem relicturus.

*De dis-*

*De Dißidio inter eum & patrem.* *Caput CV.*

CArolus iam primas adoleſcētiæ metas ingreſſus, accepit à patre Comitatum Cadralegij & quędam alia loca, è quibus annuum reciperet prouētum. Accidit non multò poſt, vt Ioannes quidam Coeſteynius à Cōſilijs Philippo patri cogitarę cœperit, quomodo Carolum Principis filium veneno necaret. Erat enim hic illi inuiſus. Vt verò reſciuit Carolus, illicò ad patrem venit, & non ſine lacrymis, exponens quod ægrè eſſet, iuſſu parentis Cœſteynium apprehendit, apprehenſum & nepharij ſceleris conuictum ſupplicio admouit. Ex hac tam iuſta & ſalutari animaduerſione Carolo inexpiabilis conflata eſt inuidia apud eos, ſine quorum conſilio, neque priuatim, neque publicè quicquam agebatur. Itaque his conantibus factum, vt breui pater à filio alienatus, primum omnibus bonis eum exuerit; mox etiam vetuerit Edicto, ne quis illuſtrium virorum aut illi conuiueret, aut prodeuntem honoris cauſa ſequeretur. Hoc in ſtatu cum res patris Philippi repperiſſet Antonius nothus, è Gallia tum reuerſus cum exercitu, poſthabitis rebus omnibus, nihil non tentauit, nihil non fecit quod ad fratrem Carolum patri reconciliandum pertineret. Philippus autem rogatus à multis & magnis Principibus, vt nihil commeritum filium in gratiam reciperet, ſecum cogitans vnicum eſſe illum hæredem ſuum, ad ſe ex Hollandia, quo is durante patris ira profugerat, reuocatum, amplexus in priſtinam dignitatem reſtituit.

*De prima eius expeditione.* *Caput CVI.*

PRimam expeditionem vltrò ſuſcepit in Ludouicum Regem Gallorum, quem ad Mōtem Henrici magno prælio deuicit. Is locus diſtat Pariſijs ſeptem Gallicis miliaribus. Carolus in ea pugna periclitatus eſt, nempe in collo graui vulnere accepto. Rex autem Ludouicus abiectis armis trepidus in arcem quandam ſe recepit. Deinde Pariſij regiam vrbem ingreſſus, plures

dies intra muros se continuit. Interim ad Carolum victorem sæpiùs missi legati, qui pacem peterent, qui omnia victum Regem facturum dicerent, quæ victor Carolus petiuisset. Igitur his legibus tandem pax impetratur, vt omnes eas terras Burgundionum Principi Gallus redderet, quas antea vi tenuisset. His adiectæ tres ciuitatulę, inter quas Perona. Carolus victor Bruxellam reuersus, ingenti patris Philippi, deinde totius gaudio ciuitatis est exceptus: in eo enim congressu omnia spe, votisq́; maiora contigerant.

*De morte vxoris eius Ysabellæ. Caput CVII.*

QVum adhuc in Gallijs Carolꝰ abesset, vxor Ysabella mariti sui longè amātissima, Gorici oppidulo Hollandiæ, in morbum incidit, contractum (vt quidam putant) nimio Caroli desiderio. Igitur conuocati peritissimi Medici, suaserunt, vt relicta Hollandia Gandauum veheretur, fore sperantes vt filiolæ (quæ in eadem vrbe per id tempus educabatur) iucundissimo conspectu recreata, breui conualesceret. Vbi verò Antuerpiam peruentum, mulieri adeò morbus inualescere cœpit, vt in diui Michaelis cœnobium deportata, paucis post diebus expirarit. Sepulta inibi magnificè antè aram maximam. Fuit hæc mulier Christo deditissima. Struunt aliæ magnificas ædes in quibus omni delitiarum genere fruantur, Ysabella pauperibus impendit omnia. Legitur sæpius paucis comitibus, inopum circuisse tuguria, quibus illorum subleuādæ egestati occultè pecuniam intulerit, eximio prorsus atque omni æuo memorabili exemplo.

*De euersione oppidi Dionantensis. Caput CVIII.*

*Anno 1466.*

ANno salutis humanæ M. quadringentesimo sexagesimo sexto, Dionantenses (horum oppidum Dionantum visitur ad Mosę ripas) adiuti Leodinorum viribus latè Brabantiā, Hannoniā, Namurcum, fœdis populationibꝰ deuastabāt. Multa interim contēptim loquētes de Philippo Principe, cui per id tempus aduersa valetudine impedito non licebat patrios tueri fines.

Caro-

Carolus igitur filius iniuriam non ferens, ex Arthesia (vbi tum erat magnis implicitus negotijs) Bruxellā redijt, atq; ibi conscripto statim exercitu profectus in Dionantenses, eorum vrbē validè munitā cepit, captamque euertit. Iuxta Dionantum & Bouiniam ad Mosam Pouluagium oppidulum, tunc etiam deletum & solo æquatum est. Visuntur hodie domus aliquot reliquiæ euersæ vrbeculæ; visitur & puteus insignis. Eodem temporis spacio erat Leodinos quoque magno armorum apparatu inuasurus, nisi vicinæ vrbis euersione perterriti illi, supplices veniam petijssēt: quibus pro ingenita sibi clementia Carolus noxam condonauit, acceptis ab eisdem quinquaginta obsidibus, qui Louanium profecti, tantisper ibi manerēt, quoad Philippo patri (cui fuerat illata iniuria) omni ex parte satisfactum esset.

*De morte patris eius. Caput CIX.*

NOn multò post Philippus pater, ablegato in Angliam Antonio notho suo, qui ab Rege Eduardo quarto peteret, vti sororem suam Margaretam, Carolo daret vxorem, Brugis eodē anno ægrotare cœpit. A proceribus, qui tum aderant illic, fore sperantibus vt breui reualesceret, Carolo filio qui id temporis Gandaui erat, nihil significatum proximo triduo. Verū postea magis magisque inualescente morbo, quum non procul abesse à morte videretur, accersitur filius, qui nocte dieq; continuato itinere profectus, iam quidem grauiter affectū, sed tamen spirantē adhuc patrem inuenit, mansitq; cum eo. Defunctum verò tā pijs est lacrymis prosecutus, vt astantibus ipse lacrymas excusserit. Astantiū quoq; procerum & feminarum illustrium ad Principis casum tanta est orta commiseratio, vt præ nimio dolore parum animi compotes, alij clamorem extollerent, alij propemodum exanimati conciderent. Postquam verò mors optimi Principis fama ac nuncijs vulgata est, maximus repentè luctus omnium occupauit animos, qui Burgundicæ ditionis fuerunt. Annus, quo tam inclytus perijt Princeps, fuit (si commētarij quos sequimur, rectè colli-

Anno 1467.

colligunt) millesimus quadringentesimus lxvij. humanæ salutis. Corpus eius insepultum aliquãdiu seruatum est in eadẽ vrbe. Decreuerat enim filius illud primo quoque tẽpore, in Burgundiam sepeliẽdum auehere. Quod postea factum esse suo loco dicetur. Ysabella mater cùm paucis annis carissimo coniugi superuixisset, mortem obijt Arris, nõ longè ab oppido sancti Odomari. Cuius etiam corpus in Burgundiam est auectum.

*Quomodo Flandriæ & Brabantiæ principatum accepeperit. Caput CX.*

POst summum patris diem, Carolus cum ornatissimo Procerum suorũ agmine Gandauũ properat. Quod vbi esset intellectum, occurritur ei ab vrbis Primoribus, qui nouo & optatissimo Principi aduentum gratulati, eundem introducunt; estq; tunc impunitas concessa plus octingentis maleficis, qui cum Principe Gandauum sunt ingressi. Exceptus igitur omni spectaculorum genere, & vocibus vndiquaque aggratulãtium ciuium, Principatui Flandriæ inauguratur. Sed pompam illam, sed gaudia illa atque tripudia inopinatus luctus inquinauit. Nam tumultus inaugurationem secutus est, petentibus Gandauis omnia Priuilegia sibi restitui, quæ Philippus pater illis ademerat: Estque populi furor eo grassatus, vt ibi Carolus fuerit coactus facere, quæ illi vellent. Sub hæc profectus Teneramundam, missis Gandauum Legatis, omnia rescidit, quæ paulò ante illis metu potius quàm voluntate concesserat. Venit postea Louanium, primam Brabantiæ vrbem, vbi cum simili solennitate eius regionis Principatum suscepit, tanto omnium gaudio, vt beatos sese clamarint, quibus tot animi dotibus excellẽtissimus Princeps cõtigisset. Louanio Bruxellam profectus: in ea quoq; vrbe singulari fauore excipitur, ac festo die Margaretæ miro consensu ciuium in verba noui Principis iuratum est. Huc ad eum reuersis Gandauis, qui paulò ante per tumultum insurrexerant, veniam petentibus ignotum est.

Anno 1471.

De com-

*De composito per eum tumultu Mechliniæ.* Caput CXI.

EOdem ferè tempore Mechliniæ exortus tumultus, qui velut incendium alia atque alia corripiens, eo serpsit, vt furore vulgi expulsis qui Rempublicā administrabant, Præfecti domus solo æquata, bonaq; eius direpta sint. Qua violentia Princeps vehementer commotus, incredibili celeritate eo contendit, vrbem deleturus nisi orantibus multis nobilibus viris, vt sanæ parceret multitudini, hac lege ignouisset admisſū, vt quicquid priuatarum ædium antea vulgus per furorem euerterat, suo sumptu instauraret, numeratis triginta milibus aureorum Præfecto, cuius bona diripuerat. Illud etiam inuenio, multa tum ciuibus adempta ob rebellionem Priuilegia.

*De subactis Leodiensibus.* Caput CXII.

HIS peractis, Carolus iterum bello adortus Leodienses, multas eorum arces vi cepit, oppidū sancti Trudonis (ita enim hodie vocatur) obsedit aliquot diebus. Cuius subacti muros dirui iussit, vt ita rebellādi materiā in perpetuum eis adimeret. Postremò Leodienses quoq; obsessi, vidētes non posse se viribus Caroli resistere, omnes inermes cum singulis vestimētis egrediuntur, atque Ducis genua prouoluti, multis tandem precibus obtinuêre, ne vrbs excidio dederetur, quæ imperata facere non recusaret Princeps verò vtcunque placatus, domitam atq; subactam vrbem non est ingressus, nisi quiequid intus erat armorum ad se deportatum, in sua potestate haberet.

*De nuptiis eius.* Caput CXIII.

DEfunctus hoc bello Princeps, vxorem duxit Margaretam sororē Eduardi quarti Anglorum regis. Hæ nuptiæ Brugis oppido Flandriæ celebratæ sunt tanto apparatu, vt nihil à condito æuo sol viderit splendidius. Primum omnium ad celebrādas nuptias domus à fundamentis extructa incredibili sumptu ac celeritate, cuius parietes, cōclauia, atq; cubicula omnia tapetibus preciosis-

ciosissimis consternuntur. Triclinium, in quo Princeps die nuptiarum conuiuio adhibiturus erat nobilissimos quosq;, ita magnificè ornatũ est, vt cetera omnia quanq̃ preciosissima, nihil tamen fuerint conferenda cum his, quæ ibi visebantur. Erectus eo loco fuit abacus, in quo pulcherrima vasa omnis generis exposita vidisses Hic erant ex auro purissimo emunctoria, cãdelabra, maluuia, pelues, vascula potoria, disci, salina, œnophora, paropsides, gabata. Vox me citius defecerit, quàm nomina tantum dixerim eorum, quæ ad illius magnificentiam conuiuij absoluendam parata erant. Foris quoque nihil cessatum est. Omnes vici, omnes domus qua erat vẽtura sponsa, pulcherrimis aulęis, plateæ floribus omnifariam, quos dabat anni tempus, vestiuntur. Sunt & nobilissimi artifices vndique accersiti, ad excogitanda ea, quæ ingredientium & prætereuntum oculos detinere possent. Iam parata & magno conquisita erant pleraque omnia, quum dies appeteret nuptiarum. Brugas igitur cum trecentis plus minus Equitibus Princeps egressus, Damam venit. Huc enim non multò ante ex patrio solo appulerat sponsa. In hac vrbecula celebrato nuptiali fœdere, illicò Brugas reditum. Margareta ciuium lætis excepta vocibus, gratissima nimirum atque omnibus optatissima aduenie bat. Nunc prætereo edita toto oppido spectacula omnis generis. Prætereo exhibitos ludos tota vrbe regionatim, & quidem per doctissimos histriones. Taceo omnium penè Burgundicæ ditionis oppidorum gratulationes, insignium ingressus Antistitum. Denique celeberrimam hominum frequẽtiam Nuptiarum die in triclinio, vbi cum sponsa & illustrioribus viris discumbebat Princeps, quatuordecim partim ãrgẽteis, partim aureis nauibus, quarum singulę quatuor scaphulas habebant, cibus in mensam illatus est. Quid missus dicam ferculorum? quos fuisse legimus numero circiter quadraginta. Quibus verbis efferam vinum odoratissimum, quod conuiuiis appositum est. Secundæ mensę tragemata, ex saccaro, poma, nuces, lautitias omne genus habuere. Quæ omnia dum fixi, suspensi-

pensique præ stupore conuiuæ degustant, à pueris interea in Cupidinum speciem figuratis, longè suauissimi ad mensas adolentur odores. Nihil ad hanc magnificētiam, egregius alioqui, Antonij & Cleopatræ apparatus. Nihil Heliogabali sexcenta struthionum capita vna cœna apposita. Vt semel finiam, quicquid de dubijs ac pollucibilibus loquitur cœnis antiquitas, hac Burgundica inferius est. Postquam verò exempta fames epulis, mensæque remotæ, oculorum varia sunt exhibita oblectamenta, ex quibus propè innumeris, pauca referam. Illati sunt in triclinium pauones flammiuoni, in quibus tantum artificij, tantum operæ insumptum est, vt à veris internosci vix potuerint. Introductus est leo, cui eximia pulchritudine virgo insidebat, gestans manu insignia Principis Caroli. Ad ostentandam magnificentiam magis quam oblectandi gratia, illatæ sunt argenteæ turres numero triginta, quibus arces totidem significabantur, quarum ea tempestate dominus ac possessor erat Carolus. Postremò introductum est animal (Dromedarium quidam putant fuisse) cuius dorso impositæ sportulæ, vnde omnis generis euolantis auiculæ, haud aliter cantu demulcebāt omnium aures conuiuarum, quam verè nouo ramis arborum instrepitantes vario concentu prætereuntem detinent viatorem. Secundum hæc funambuli, Pantomimi, Aretalogi, saltationes illustrium choreæ fœminarum, & quicquid præterea animi gratia potuit excogitari, exhibebatur. Quod reliquum erat temporis ante cœnam, varijs est lusibus impensum. Carolus autem, cum hæ nuptiæ fierent, annum ætatis agebat tricesimum quintum: primo, secundo, ac item tertio diebus proximè insequentibus ludi sunt exhibiti, & celebrati magnificētissimo apparatu in argumentū publicę lætitiæ, quos Georgius Badenus, Episcopus Metēsis, Ioannes Burgundus Cameracēsis Antistes, Dauid Burgūdus Vltraiectinorū in Hollādia pręsul, Guido Tornacensis Ecclesiæ summus pastor, cū plerisque alijs multò nobilissimis viris Carolo principi & sponsæ admiratione vsq; formosę assidentes spectarent.

*De susceptoper eum principatum Hollandiæ & Selandiæ. Caput CXIIII.*

HIs celebratis nuptijs, cum vniuerso propemodũ flore Procerum Burgundiæ in Hollandiam venit vbi rursus ad singularum vrbium ingressum renouata lætitia, instauratis triumphis, & passim editis magnificentia, splendoreque visendis ostentaculis, apud Hagam Comitis pridie feriorum diuæ Magdalenæ, Principatui eius regionis initiatur.

*De vltima obsidione Leodij, & eius euersione. Caput CXV.*

SVb id tempus rebellatum est à Leodiensibus, qui nocturno tempore ingressi Tongrinũ (olim hęc vrbs Octauia dicta est) Ludouicum Antistitem suũ, Caroli Principis nepotem captum abduxerunt Leodiũ. Huius rei indignitate permotus Carolus, vndique magno studio contractis copijs, mouit Leodinos. Erat tunc temporis eorum vrbs non solum magna & egregiè munita, verùm etiam florentissima & caput eius gentis. Magnitudinis argumentũ fuit, quod in ea tum visebantur templa numero triginta duo, nos vulgò dicimus Ecclesias parrochiales. Ad hanc igitur vrbem castra Burgundus exercitumque partitus, eam non vno loco circumsedit, postridie, vt sperabat, expugnaturus, nisi pluuio cœlo impeditus fuisset. Auxilia ad eius expugnationem oppidi misit Gallorum Ludouicus, qui & ipse magna ex parte gerendis rebus interfuit. Carolus paucis diebus obsessum Leodiũ, valideq; interea ab incolis defensum, nouissimè vi cepit, captum diripuit, direptum euertit; multis prius ac varijs sæuitiæ exemplis à milite ipsius editis. Antonius Sabellicus in opere, cui titulum prætulit, Rhapsodiæ historiarum auctor est, Burgũdum summo id bellum odio suscepisse. Nam expeditionis eius Ducibus ab eo mandatum est, vt vna manu exertum gladium, altera gestarent facem ardentem, ijs nimirum rebus miseræ genti exitium minitantes. Captam vrbem Gallus cum Burgundo ingressus pe-

ctore

ctore non rectam, sed Andreæ crucem habuisse dicitur, vt hoc facto innueret omnem eius belli gloriam ad Carolum pertinere. Incidit autem hoc excidium inclytæ vrbis in tertium Calend. Nouembres, anni Dominicæ incarnationis, millesimi, quadringentesimi, sexagesimi octaui.

*De Aquisgrani incolis à Carolo veniam petentibus.* Cap. CXVI.

Anno 1468.

LEodinos iam obsessos Aquisgrani ciues & incolæ commeatibus iuuerant. Quod vrbe capta iniquiore animo ferens Burgundus, cũ lectissima manu Traiectum ad Mosam proficiscitur, inde quamprimũ in Aquisgranos educturus. Aquisgrani hoc audito, non arma parant, non vrbem muniunt, non ea quæ ad resistẽdum erant necessaria circunspiciunt, sed metu & immodico pauore consternati, primores suos Traiectum misêre. Vbi ad Caroli Principis conspectum humiliter prouoluti, statim & vltro portarum clauibus traditis, oppidi totius imperiũ illi permiserunt. Gratũ fuit Burgundo obsequium, grata humilitas. Proinde venia data, sed hac conditione, vt propter adiutum hostem octoginta florenorum millia, duci intra statutum tempus adnumerarentur.

*De animaduersione in quosdam.* Caput CXVII.

SEcundum hæc Bruxellam, vbi Ducaria sedes erat, reuersus Carolus, & gratiam omnibus retulit, qui superiore Leodiensi bello strenuam operã nauassent; & in eos animaduertit, qui vrbe capta è sacris locis quippiam substulissent. Egregius Princeps hoc facto ostendit, nullum esse tam iustum bellum, in quo non sit à diuorum templis atque aris temperandum.

*De reditu profugorum Leodiensiũ ad suam vrbem.* Caput CXVIII.

EOdem tempore Leodinis, qui Caroli victoris metu profugi incertis sedibus vagabãtur, permissum est, vt ad sua loca redirẽt, instauraturi, si vellẽt ea quę paulò

antè

antè militum rabies, deformauerat. Vndique igitur in vrbem omni propè desertã humano cultu immigratur. Nec sine lachrymis immigratum: præsertim quum incendio miserabili, propemodum solo æquata ædificia præterirent, in quibus aliquando lætos dies inter sanguine coniunctos exegissent.

*De seueritate eius in iure dicendo.* *Caput CXIX.*

IVs dixit postea in omnibus suis prouincijs, haud minore seueritate quam diligentia Non est passus vlla grauiora scelera impunè fieri. Nullus vnquam Principum in iure dicendo minus dedit amicitiæ, pecuniæ, sanguini. Quibus rebus nimium solent quidam commoueri: neque interim esse memores, iustitiæ primum munus esse, ius suum vnicuique tribuere.

*De Phrisijs quædam: & motu secuto expulsionem Eduardi Anglorum Regis, qui socer Caroli fuit.* *Caput CXX.*

PAucis post annis Phrisiæ orientales populi, quum Burgundionum Ducis imperium detrectarent, missi sunt hinc inde Legati, per quos de pace & parendi conditionibus ageretur; quanquã libertatis gens amantior, nullas nisi multò æquissimas conditiones admissura videbatur Carolus animaduersa gentis pertinacia, terribili armorum apparatu mox erat fines eorum ingressurus, nisi ad tempus dissimulandum ratus, alio mentem conuertisset. Circa eadem tempora maximus armorum motus in Britannijs extitit, pulso & eiecto nobilium coniuratione Ednardo Rege, Caroli Burgundi socero. Neque resedit hic motus citra humanum cruorem. Ante Calisium, & alia quædam loca ingenti edita cæde. Cuius rei nobis est auctor Sabellicus, veteris ac recentis historiæ serutator, meo iudicio, non indiligens.

*De stella comata visa Caroli temporibus.* *Caput CXXI.*

*Anno* 4721.

ANno Dominici natalis, Millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, mense Ianuario, sub festum diem Agnetis, exorta est crinita stella. quæ maximo horrore mortalium visa, fulsit per continuos

tres

tres menses. Multa hunc Cometam secuta bella, atque ingens hominum cædes & pestilentia, quæ pluribus locis atrociter sæ[illegible]it.

*De Arnoldo Gelriæ Principe carcere educto, & Adolphi filij huius per Carolum apprehensione, & de bello Gelrio.* Caput CXXII.

PEr idem ferè tempus, opera & studio Burgundi, custodia dimissus est Arnoldus Gelriæ Princeps, quem filius Adolphus septennium totum in vinculis detinuerat. Quam causam huic in parentem violentiæ prætenderit non tradunt, quibus curæ fuit nostratiū Principum res gestas conscribere. Illud reperio Adolphum postea accersitum ad Carolum Principem, vti de communibus rebus inter se commentarentur. Sed quum impius ille multa eo congressu se digna, Caroloque indigna locutus esset, primo diebus aliquot seruari iussus, mox Viluordiam (& hoc Brabantiæ oppidum) abducitur, vbi custodiæ traditus mansit vsque ad obitum Caroli. Duplex deinde fama est, quomodo accesserit Burgundo Gelriȩ Principatus. Quidam eum emisse scribunt à duce Iuliacensi, qui tum verus esse credebatur hæres eius terrȩ. Alij tradunt Arnoldum paulò antequam vita decederet Adolpho filio infensum, exhæredato eo Principatum cessisse Burgundionum Duci Carolo: qui defuncto iam Arnoldo, misit ilicò ad singula penè eius regionis oppida Legatos, qui monerentur, vt si rebus suis consultum vellent, Caroli imperium reciperent. Quod si facere recusarent, haud dubiè futurum, vt egregius Princeps armis repeteret suam terram. Legatis superbè responsum, neminem esse tota Gelria, qui magnoperè Caroli minas pertimesceret. Si acie certare vellet, non defuturos qui patriam defenderent. Hæc vbi renunciassent Legati, statim cum exercitu profectus in Gelriam Carolus, primum à Ruremundanis recipitur; atque his initijs perterriti vicini, vltrò deditione facta in gratiam sunt accepti. Oppidum Venlo diebus aliquot obsessū est, ac nouissimè, apertis Principi portis omnia

sunt

ſunt illi in manum tradita. Poſtea & Nouiomagum, clariſſimum Gelriæ oppidum, viginti quinque diebus variè oppugnatum ad deditionem compellitur. A cuius ciuibus ingenti lætitia introductus Carolus totius Gelriæ Principatum ſuſcepit. In eadem vrbe ad ſe adductos mortui Arnoldi ex filio nepotes, primum eſt oſculatus, deinde è conſpectu ſummotos iuſſit auehi Gandauum ad vxorem ſuam Margaretam. Sic reperio apud quoſdam. Alij dicunt pueros illos non Gandauum miſſos, ſed vna cum Principe auectos eſſe in Brabantiam, vbi ſint plures annos honorificè habiti. Nouiomagi Principatu Gelriæ (vt dixi) ſuſcepto, à ceteris quoque eius terræ oppidis Burgundus recipitur, ac poſtremò comitatui (vt vocant) Surphaniæ, ſolennibus etiam cæremonijs initiatur. Aeſtas qua ſubacta eſt à Caroli armis Gelria, fuit citra omnem hominum memoria calida; diuerſis, locis & homines & bruta animantia intolerandis periêre caloribus

*De congreſſu duorum Principum potentiſſimorum Friderici Imperatoris & Caroli Ducis. Caput CXXIII.*

ANni huius autumno Fridericus Imperator pulcherrimo comitatu, in quo multi egregij Præſules, multi inſignes Duces, ac illuſtres erant optimates, venit Treuiros (eſt hæc ciuitas ad Moſellam fluuium ſita) vt cum Carolo Burgundionum Principe de multis ac varijs rebus coram loqueretur. Carolus verò vt veniſſe audiuit Imperatorem, compoſitis in Gelria rebus, eo confeſtim eſt profectus, longè pulcherrima comitante pompa. Inuenio Principi non longè diſſito à Treuiris obuiam itum ab Imperatore. Tum vrbem tubis, alijſque id genus circunſonantibus inſtrumentis pariter ingreſſi, diebus aliquot vnà fuerint. Interim Carolus nihil non opum, nihil non ſplendoris effudit, ad decorandum Imperatoris aduentum. Conuiuium, cui per eos dies Imperator eſt à Carolo adhibitus, eiuſmodi fuit, vt propemodũ nuptias illas (de quibus alio loco diximus) apparatu, & magnificentia

ficentia æquauerit De hoc Friderici Imperatoris, & ducis Caroli congressu extat, & circumfertur pulcherrima epistola, eximiè docti viri Rodolphi Agricolæ.

*De Parlamento Mechliniæ per Carolum Ducem instituto, & sepultura parentum eius. Caput CXXIII.*

REuersus ab Imperatore Carolus, Mechliniæ Curiam instituit, quæ non erat alia in orbe Christiano celebrior futura, si feliciter inchoatum à Carolo Principe consilium insequentes Duces pari cura fouere, ornare, atque ampliare studuissent. Hæc curia prælata cæteris, constituta erat causarum omnis generis iusta ac legitima disceptatrix, omni adempta prouocandi potestate litigantibus. Conciliarij numerum tricesimum explebant, omnes viri docti, perspicaces, circumspecti, acri iudicio, iusti & sobrij. Dixisses Areopagitarum concilium illud esse, ea grauitate, doctrina, prudentiaque lites dirimebat, suum cuique reddentes. Ad locum audiendis controuersijs destinatum equites ibant, aliter enim non licebat. Curiam ingressis, paratum erat sacrum. In hoc precabatur sacerdos, vti optimus Deus eiusmodi suis mentem daret, vt eo die Consilio prodesse alijs & possent & vellent. Sacro facto, locum tractandis reipublicæ negotijs constitutum ingrediebantur. Vnde post horas aliquot sub meridiem egressus eos excipiebat. Iterum sacrificus alterum facturus sacrum, in quo Deum precaretur, vt eius diei Consilia, commodo esse vellet Reipublicæ. Ad hæc honoris ademptionem his fuerat interminatus Carolus, si quid per socordiam præterijssent, quod ad Reipublicæ commodum pertinere videretur. Adeò nihil hic Princeps, nisi de publico cogitabat. His itaque sic ordinatis, ad parentum suorum sepulturam animum adiecit. Vtriusque igitur patris matrisque corpus, longis itineribus in Burgundiam deportatum, sepelitur in Carthusiensium monasterio, quod extra Digium vrbem visitur, non incelebre. Singulis peaè oppidis, qua erat

iter

iter faciendum, celebratæ exequiæ nullo adhibito honoribus modo.

*De obsidione Nouesij, vulgò Nutia dicitur.* Caput CXXV.

PEr id tempus Ruperus Beyeren Coloniensium Archiepiscopus, multum est apud Carolum Burgundum cognatum suum questus, magno conatu obstare Colonienses, & oppida circumiecta, quo minus ipse debitos sibi annos prouētus ex locis illis reciperet. Quo audito Burgundus, vt Rupero (alij habent Roberto) præter cognationis vinculum, etiam carissimo subueniret, conscripto ingenti equitum ac peditum exercitu, fines ditionis suæ egressus, ad bellum Coloniensium, & finitimis inferendum properat. Nouesium Coloniæ vicinum (dicitur vulgò Nutia) cœptum est obsideri medijs Iulij caloribus. Aduxerat secum Princeps immensę molis bombardas, quibus non vno loco disiecta murorum parte, multum & vrbis ædificijs damni illatum, & magna incolarum facta strages. Lego vrbē multa vi oppugnatam aliquanto etiam maiore præsidio à ciuibus defensam. Erat præsidij Pręfectus Hermannus quidam Comitis Hessenij frater, cuius virtute oppidum incolume mansit, inter maximos terrores. Nam cetera obsidionis mala prætercam, ab his etiam qui intus erant fame, ac rerum omnium tanta inopia laboratum est, vt equi instrumenta militiæ, pluribus victui fuerint. Apud quosdam inuenio, paucis diebus in alimoniam ciuium absumptos cccc. equos. Hic nihil dico de prælijs quæ durante obsidione inter obsessos, & Burgundum fuēre. Ex multis enim duntaxat insignia consector. Obsidebant nostri Nouesium, quum Imperator Fridericus Agrippinam venisset, vt cum Burgundo vel confligeret, vel obsidione Nouesium liberaret. Hoc audito Carolus, tantum abfuit, vt fugam circumspexerit; aut desoluenda obsidione cogitarit, vt instructos suos etiam produxerit, auidus certaminis. Verùm continuit sese intra septa Fridericus Imperator, vel non ausus dimicare, vel quia speraret futurū, vt Imperatoris aduentu perterritus

stus Burgundus, inde subitò discederet. Quum nihil tale post dies aliquot euenisset, videreturq; Dux in incœpto bello perseueraturus, est inter eum ac Imperatorium militem satis atrociter pugnatum, vicitque Burgundus tanto gloria maiore, quanto bellicosiorem fuderat hostem. Et hanc victoriam potius Virtuti quàm fortunæ debuit; nam & aciem peritissimè instruxerat, & promptissimè omnes pugnauerant. Non est post eum diē Romanus Princeps ausus cum Carolo manum conserere. Itaque de pace agi cœptum per summi Pōtificis Legatū Alexandrum Antistitem Foroliuiensem, qui noctes diesque Principes hortari, vt arma exuerent, Burgundus Nouesio discederet, quoad de re maturius cognosceretur, essetque Pontificis Maximi ea cognitio. His vtrinque acceptis, pax sancita est; quam excepit Gallicum bellum.

*De bello aduersus Gallorum Regem. Caput CXXVI.*

NAm Ludouicus Rex Gallorum Arthesiam & Picardiam ingressus, plurima Caroli ducis oppida vi capta, diripuit. Quo successu elatus, de Atrebato etiam oppugnando cogitauit. Verùm huc tempestiuè missum præsidium, Galli conatus irritos fecit. Prius tamē quàm Ludouicus ex his locis militem abduceret, pugnatum lego inter eum, ac Duces, quos miserat Carolus ad tuendum Atrebatum. Vicit Gallus, qui vt erat numero militum superior, ita cum longius abesset Carolus, multò etiam plus animi secum attulerat.

*De aduentu Eduardi Regis Angliæ ad Carolum Ducem, & de induciis cum Gallo. Caput CXXVII.*

SVb hanc pugnam, ab Nouesij longa obsidione domum reuerso Carolo nunciatur, appulisse Calisiam Eduardū Anglorum regē. Cui eius tam laboriosi itineris causa fuit, vt cum Carolo, qui rursus ingentē contraxerat exercitum, suas copias iungeret. Ita enim prius inter eos conuenerat. Vna igitur Galliam ingressi, tantum terroris Ludouico incusserunt, vt is repentè con-

uocatis Regni Primoribus, eos veluti in re trepida anxius cõsulerit, quo pacto esset infestissimo hosti resistendũ. Placuitque tum Legatos mitti, qui pacem peterent. Auditi Legati, non pacem, sed nouem annorum inducias impetrarũt. Hic tam insperatus rei exitus, vt incredibili Gallum lætitia affecit, ita Anglorum Principes male habuit, quibus immodica vastandæ Galliæ cupiditas incesserat.

*De bello gesto in Lothoringia. Caput CXXVIII.*

EDuardus vndecim hebdomadibus in Caroli Prouincijs cõmoratus, ad suos transmisit mense Septẽbri, quo tempore, & Carolus Namurcũ venit: vnde cum ingenti militum numero ante exitũ eius mensis in Lothoringiã, ob fœdera sibi non seruata, profectus, impetu primo vrbeculas aliquot vi cepit, captas præsidio muniuit. Quo successu Ducis perterritus Renatus eius terrę Princeps, annos natus circiter viginti, cum aliquot nobilioribus viris in Galliam fugit, ne viuus in hostium potestatem veniret. Fuga Principis adeò fracti sunt omnium animi, vt effusus Caroli exercitus, paucis diebus loca plurima occuparit. Nouissimè obsessum Nantium longè munitissimum oppidum tenuit obsidio illa nouem hebdomadas. Vrbs interea multum strenuè defensa, tandem fame domatur. Itaque facta deditione, ciues vita donati, præter duos tresve, qui vltimo sunt affecti supplicio. Adnimaduersionis huius causa non traditur à scriptoribus. Vrbem deditam Carolus præsidio firmauit, atque inde digressus, totam Lothoringiam breui ad obsequium redegit. Fuit hæc vltima eius victoria. Vulgò creditum est, omni fauore numinis destitutum eum, postea nunquam fœliciter pugnasse cum hoste; quod eodem tempore multò grauissimis exactionibus clerum onerasset, quanquam expedit nonnunquam quosdam ad frugalitatem vocare, modo satis iustæ ad id faciendum rationes accesserint.

*De bello eius contra Heluetios. Caput CXXIX.*

SVbactis Lothoringis non diu in ocio fuit Carolus, sed bellicam gloriã augendi cupidior, transtulit inde bellum in Heluetios; quod hi populi non multò antè Sabaudiam (vbi præerat neptis eius) tumultuosè ingressi omnia terroris ac prędæ compleuerant. Itaque primum sunt missi ab Heluetijs Legati, quos princeps Carolus vix auditos iussit confestim abscedere, atque ipse eodem tempore sequutus in vrbe Gransonia, quã nonnulli dicunt ab eo tum expugnatam, plures Heluetios in crucem sustulit. Quo facto commota & irritata gens pugnatior, contracto exercitu hostem Burgundum adoritur, certa spe & occidendi eius, aut fugandi. Heluetiorum impetu degrauatus Caroli miles primo auertitur, inde fusus fugatusq́ multa cũ cæde dissipatur. Fuisset in eo prælio captus Princeps, nisi relictis suis loco discessisset fugienti similis. Sunt qui scribant hic perijsse opes Caroli ducis, tantum vasorum aureorum argenteorumque ac vestium omnis generis ab hoste deportatum, amissus & omnis bellicus apparatus.

*De ijsdem. Caput CXXX.*

EXprimi verbis non potest quantum ex hac inimicæ gentis victoria dolorem animo conceperit victus Burgundio, qui vincere semper antea consueuerat. Vir alto spiritu, ac nimium quietes impatiens, neq; die, neque noctu somnium capere potuit. Itaque reparato exercitu iterum Heluetios adoritur, cum quibus infœlicissimè nuper dimicauerat. Hic quoq; vicit ac superior fuit Heluetius; quippe qui numero militum præstabat. Pars multò maxima Burgundionum aut capta aut cęsa, nullus ferè clari nominis fuit ex nostris, qui non illic ceciderit, præter ipsum ducem: qui re perdita ac profligata cum paucis fugæ comitibus, fuga seruatus est. Ioanni Baptistæ dies fuit quo Heluetij & Burgundiones tanta animorũ pertinacia cõflixere, qui huic proximus dies illuxit facilè declarauit, quam tetra sit ibi loci edita cędes. Numerata ei sunt à quibusdã, xxvi. M. occisorum.

 De re-

*De recuperato Nuntio per Renatum, & eiusdem vrbis obsidione per Carolum Ducem. Caput CXXXI.*

HAc clade suorum consternatus Carolus in maximum luctum ac mœrorem incidit; nunc secũ reputans quantum hominum proximis duobus prçlijs, sua temeritate Orco demisisset; nunc existimans nihil esse turpius, quàm vinci eum Ducem; qui toties ipse fortissimos populos ad obsequium redegisset. Ceterũ Caroli malis & tam nobili Heluetiorum victoria erecti plures populi consociatis viribus, vt vnum hominẽ extinguant. Ad arma concurrunt, ac ductu Renati Principis Lothoringiæ, Nantium, vbi à Carolo præsidiũ fuerat relictum, obsidione cingũt; nec multis interpositis diebus idem oppidũ prius expugnat, quam Burgundus eo cum suis copijs accurrere potuit. Expectabat enim ex Brabantia, & finitimis locis nouum exercitum, quo accepto properans in Lothoringiam, Nantium iterum obsedit. His locis ab hoste (quod minimè futurum verebatur) circumclusus, tanta rerum omnium inopia laborauit, vt in eius exercitu plures fame sint extincti. Itaq; indignantium militum voces passim exauditæ, satius fuisse dictitantium, in patria manere, vbi coniugibus suis ac liberis assidentes, nulla interim neque cibi neq; potus inopia premerentur. Abductos se in ea loca quibus aut procul à patriæ conspectu moriendum sit; aut, quod morte miserius est, ac tristius, in seruitute viuendum. Hæ militum querelæ non dubium est, qui Principem suorum amantissimum commouerint. Verùm in eo statu res erat, vt mederi tantis malis non potuerit.

*De prælio ante Nantium & cæde Caroli Ducis. Caput CXXXII.*

HAud multò post Lothoringus ad pugnam euocat Burgundum, qui vna parte copiarum in obsidione relicta, statim venit ad locum certamini constitutũ acie dimicaturus cum paucis aduersus tam multos. Hic suos perterritos hortatus dicitur, vt alacres irent & gloriam à maioribus acceptam posteris relinquerent, adeò

non

non esse formidandum hostem. Heluetium, qui pauore Burgundici agminis haud sua virtute bis fœliciter antea dimicasset, numero militum vincere Heluetium, sed nō rarò modicis copijs præpotentes fusos esse exercitus. In hanc sententiam vbi pauca, nequicquam dixisset, canē-tibus signis Renati miles cum tanto fremitu & clamore in hostem procurrit, vt statim turbatū eum loco summouerit. Neq; difficilè admodū, Pugnabant enim cum recentibus & integris, debiles macie confecti. Primum igitur facta fuga, deinde innumeri cæsi ac primo impetu obtriti ex nostris Quis tam beata rerū ac verborum copia instructus, vt cladem eius multiplicē, deuictorum fœdissimam fugam, cędem nunc singulorum, nunc vniuersorum meritò deploret? Vidisses alios, qua breuissima patebat via trepidos fugere, alios per præcipitia nūç saxis aspera, nunc obducta sentibus, loca petere, quæ hostibus ignota putarent. Fatigata, siti propemodum enecta & saucia passim corpora iacebant E proximis verò locis, virorum clamor & fœminarum vlulatus audiebantur. Hac pugna Carolus ipse qui eo die & sæpe alias, maiore animo quàm cōsilio dimicauerat, tribus plagis media iacentium strage confossus interijt, pridie Epiphaniæ. Hic finis fuit principis omnium qui ea tempestate fuerunt, bellicosissimi. Annus ille, quo Dux tam nobilis ante Nantium cæsus est, fuit humanæ salutis M.cccc.lxxvi. ita colligit Sabellicus. Alij duos adijciunt rursus alij quinque subtrahunt annos. Varietatem hanc demiror in re adhuc recenti. Cum Sabellico vulgus consentiunt natu grandes, quorum memoria res accidit.

*De Caroli sepultura, & sermone qui de eo iam mortuo fuerit. Caput CXXXIII.*

AB illa pugna exacto iam triduo, Caroli corpus certissimis signis agnitum sepelitur Nantij in æde S. Georgij. Quum sepeliretur, intuentibus qui ex clade illa supererant, obortę lachrymæ, non erant enim ignari qualem patria ducem amisisset. Obuersabatur oculis multa viri virtus, hærebat fixus in pectoribus adstantium

vultus militem in prælium educendis. Occurrebat quo animo vrbes oppugnare, muros conſcendere, hoſtem loco ſummouere conſueuiſſet. Cæterùm proximo ſeptennio quod eſt viri cædem inſecutum, omnibus locis multus & varius de illo iactatus eſt ſermo, affirmantibus quibuſdam viuere eum Bruxellæ oppidulo Sueuiæ: Alijs contradicentibus, non interemptum ante Nantium, ſed captum & abductum in Gallias, ibi in conſpectu regis Ludouici gladio admotum perijſſe. Spes de Caroli vita quæ poſtea vaniſſima comperta eſt, in cauſa fuit vt pauciſſimis locis celebratæ ſint eius exequiæ.

*De triſtitia & lætitia in morte eius.*
*Caput CXXXIIII.*

MOrte Principis huius, plurimi triſtati, quidam lætati ſunt. Oderant ij impendio pugnacem: oderant ob aſſidua bella pecuniæ exactorem. Defuncto tamen eo, in Brabantia & Flandria exorti, & ſequuti maiores motus fecere, vt reuiuiſcere Carolum omnes cupierint. Adeò ſtolidum vulgus nonnihil mutatis rebus ea probat, quæ antea damnauit.

*De filia, & eius vxore. Caput CXXXV.*

FIliam reliquit hæredem Mariam, excellenti forma virginem. Quæ illi ex Yſabella, coniuge ſecunda (tres enim duxerat) ſuſcepta, nupſit poſtea Maximiliano, Frederici Imperatoris filio. Vltima eius vxor Margareta defuncto marito, pluribus annis ſuperuixit. Certè multorum bono; ſuis enim facultatibus interim præclara fouit ingenia, ſtuduitque modis omnibus partim culpa temporum, partim Principum negligentia ac vitio iacentes literas præcipuè ſacras excitare. Nulli vnquam attribuit ſacerdotium, niſi prius & eruditionem, & vitam inſpexiſſet. Quod vtinam & hodie facerent Principes, non tam multos paſſim videremus idiotas in eccleſia Dei quos fortaſſe præſtaret defricandis Principum matulis, quam hominum con-

conſcientijs præeſſe Mechliniæ ſepulta eſt hæc nobiliſſima fœmina, in cœnobio Minoritarum: Ex qua Carolus nihil liberorum tulit. Vnde miror, quidnam Raphaeli Volaterano in mentem venire potuerit, vt referet in literas Mariam (de qua diximus) huius filiam Margaretæ fuiſſe. Non debuit, meo iudicio, vir tantus; & is Italus, in rebus noſtratibus conſcribendis, potius hominum ſermonibus, quam libris credere.

*De præliorum aſſumptione. Caput CXXXVI.*

HActenus de geſtis Caroli Ducis: nunc ſummatim exponam quæ de ingenio & moribus eius habeó comperta. Prælia multa ſic aſſumpſit, vt militem ſæpius nihil tale cogitantem, iuſſerit acceptis armis in hoſtem ire, pluuio interdum cœlo, & grauiſſimis tempeſtatibus, quum minimè educturus putaretur. Et quod mirum videri poteſt nec prouectior quidem, ad conferendas cum hoſte manus cunctatior factus Quo ſæpius victor abijſſet, hoc magis incertum pugnæ euentum experiundum opinabatur. Nullo vnquam prælio vicit, quo non ſtatim ſit fugientem hoſtem inſequutus. Adeò nihil ſpatij datum ab eo perterritis.

*De probitate & diſciplina eius in milites.*
*Caput CXXXVII.*

INter milites ſuos, neque morum, neque fortunarum, ſed virium reſpectu alium alij præferebat. & erat in his tractandis nunc ſeuerus, nunc facilis. Haud enim omni loco ac tempore, ſed quum non procul abeſſet hoſtis, coërcere eos & comprimere ſolebat. Ita factum, vt nunciato in prælium exeundi tempore ſemper eos & paratos & intentos haberet.

*De coercione militum eius, & amore in eoſdem.*
*Caput CXXXVIII.*

DEſertorem ac furacem militem acerrimè puniebat, cætera plerumqúe diſſimulans. Quendam

patibulo ſuffixit, qui aniculæ gallinam ſubtraxerat. Amabat etiam ſuos vſqueadeò, vt nullo non beneuolentiæ officio proſequeretur. Aduerſa valetudine laborantes, & ſaucios Medicis committebat fideliſſimis.

*Quomodo non ſit paſſus militem luxuria diffluere.*
*Caput CXXXIX.*

IN hoc Cæſarem illum Dictatorem aut Africanum Scipionem, aut Metellum præclarum Ducem referebat, quod in ſuo exercitu nihil eorum paſſus eſt eſſe, quibus corrupti & effeminati militum animi à ſtudio rei militaris auerterentur. Aberant enim adipata obſonia & bellaria. Exulabat comeſſatio. Exulabant reliqua omnia ad luxuriam pertinentia. Vulgari cibo contenti, procul à fame ſeruabantur, adque obeunda militaria officia hoc pacto expeditiores ibant.

*Quantus fuerit æmulus Alexandri Magni.*
*Caput CXL.*

CArolus rebus gerendis natus, iam inde ab obitu patris ſui Philippi, tantum ſe præbuit Alexandri Magni æmulum, vt penè ille ipſe factus. Nihil audire libentius, nihil maiore animi voluptate ſolebat legere, quàm authores qui de Alexandro quippiam ſcripſiſſent. Vndè factum eſt, vt omnia illius egregia & laudabilia facinora, memoriæ mandauerit, oblataque occaſione, nunquam non ſtuduerit imitari.

*De conſilio eius præferoci.*
*Caput CXLI.*

VNum erat in quo meritò culpari potuit, præcipitatum conſilium. Nam & bella quædam ſuſcepit, nullo prudentium, quos ſecum habebat, in conſilium adhibito.

*De celeritate eius in faciendo itinere, & patientia in labore. Caput CXLII.*

HVnc tam præcipiti, ac præferoci consilio virum, in castris Hannibalem, in conficiendis itineribus Iulium, aut Alexandrum quendam dixisses. Algoris enim, & solis iuxta patiens fuit. Tot illi frigidæ hyemes ac torridæ sub pellibus actæ æstates. Itinera verò tanta celeritate confecit, vt sæpius de suo aduentu, præmissis nuncijs, anteuerterit, sæpius hostem de improuiso oppresserit.

*Patri mortuo succedit filia Maria. Caput CXLIII.*

POstquam Carolus in humanis esse desijsset. Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ, aliarumq; Regionum finitimarum principatus in Mariam filiam eius vnicam recidit. Quæ Gandaui agebat, cum tristissimum de cæde parentis acciperet nuntium. Venerunt illuc haud multò post illustres viri complures, partim consulaturi fœminam, quę parentis obitum, vt par fuit, grauiter molesteq; ferebat. Partim cum ea de Reipub administratione colloquuturi. In his erant Ludouicus Borbonius, Leodinorum tunc temporis Antistes, Dauid Burgundio Traiectensium in Hollandia Episcopus, Mariæ patruus (Hic enim Caroli frater, sed nothus erat) Ioannes Dux Cliuensium, & Adolphus Rauesteynius fratres, Vuolphardus Veriensium Princeps, Ludouicus Comes Vuintesteynius, Hollandiæ, Selandiæ ac Phrisiæ Præfectus, Gualrauius Brerodius. Quibus Gandauum ingressis, statim in eadem vrbe Maria Principatum Flandriæ suscepit, ac priuilegia ciuibus reddidit omnia, quæ pater ob excitatum se præsente tumultum illis ademerat.

*Legati in Galliam missi, & magni aliquot viri supplicio affecti. Caput CXLIIII.*

SEcundum hæc, Maria ad Regem Galliarum Ludouicum Legatos misit: Guolphardum Veriensem, Ludouicum Gruythusium, & Guilielmum Hugonetum,

qui Cancellarius fuerat Caroli, vt hi ſuo nomine regi præſtarent Homagium: (vulgari vtor voce, vt nemo nō intelligat.) Legatos priuſquā à ſe demitteret Ludouicus, duo ab his Mariæ cognatæ ſuæ renunciari voluit: vt orbata parente, ſe tutorem illa rerum ſuarum accipere, eademq; filio ſuo Carolo, qui tum annos natus erat duntaxat ſeptē, nuberet. Ad Principem ſuā reuerſi Legati, hæc ita vt iuſſi fuerant renuntiauerūt. Primū nihil reſpondit Maria. Patris interea mortui Cancellarius ſuadere vt id faceret, ad poſtremum etiam dicere, minimè eam rebus ſuis conſulere, vt quæ has nuptias, & illum tam potentem, & ſanguine iunctum Principem tutorem recuſaret. Quodam igitur die ſub veſperā ad ſe ingreſſo Adolpho Raueſteynio Principi, multis cū lachrymis queritur, nimis ſibi moleſtū eſſe Hugonetū, qui nō deſiſteret inſtare, vt quæ rex Ludouicus proxima legatione petijſſet, ea faceret, quādoquidē haud alia via pacē ab illo impetratura videretur; exierāt enim induciæ. His auditis, Adolphus paucis eā, vt potuit, conſolatus, abijt, ac re cū Tribunis populi Gandauenſis cōmunicata, effecit vt ſtatim apprehēderetur Hugonetus, & cū eo Protonotarius quidam Pontificius Qua nocte hæc acciderunt, clanculum fugit Princeps Humbercurtius. Is cū dies aliquot latuiſſet in Cartuſiaco extra Gandauum cœnobio, apprehēſus & ipſe in oppidum retrahitur: ita his tribus viris in vincula coniectis, populus aliquandiu in armis fuit. Hugonetus quæſtioni admotus, tandem cōfeſſus, traditur à ſe ſuppreſſas literas Caroli principis, quas ille ante Nantium inopia rerum omniū laborās, quæ ad belliū gerendū neceſſariæ eſſent, ad ſuos conſcripſerat hoc argumento: Niſi pecunia & commeatus, belli ſubſidia mitterentur, actum de ſe ac ſuo exercitu eſſe. Rabies igitur ac vulgi furor inuito magiſtratu, inuito etiam Principe, Hugonetū, Humbercurtium, & Ioannem Mel cognomento, Equitem auratum gladio ſubiecit. Protonotarius in carcerem cōiectus, vbi poſt annos aliquot expiraſſe creditur.

*Maximi-*

*Maximiliano desponsa Maria, Gallus Atrebatum obsidet: Alia quædam occupat loca. In his & Burgundiam, Flandri educunt in agrum Tornacensem.*

*Caput CXLV.*

TReuiris in Germania Frederici Imperatoris filio, Maximiliano filiā vnicā Mariam desponderat Carolus, anno salutis humanæ, Millesimo, quadringētesimo, septuagesimo quinto. Nec multò post ante Nantiū cæsus princeps nobilissimus. Gallorum itaq; Rex Ludouicus quū audisset futurum, vt Maximiliano Frederici filio nuberet Maria, plenus irarū subitò cōtractis viribus Atrebatum venit, quā vrbem dies aliquot assiduis bombardarum ictibus oppugnatam, ad postremum in deditionē accepit, pluribus eiectis, quibusdā etiā occisis qui Mariæ fauebant. Ingressus Arthesiam, vi cepit oppida, quæ Burgundo cesserant, quo tempore pugnatum est ad Montem Henrici, vt alio diximus loco. Sub idem tempus & Burgundiam nostratibus ademit, existimans eam iure hæreditario mulieri accedere non posse, nam virilem stirpem nullam reliquerat Carolus. Videbantur Galli & alia occupaturi loca, nisi resisteretur. Itaq; conscriptus exercitus mittitur Auennas in Hannoniam. Huc cum armata manu accurrens hostis, oppidum expugnat, Capti Duces copiarum nobiles ac generosi viri omnes magno sunt postea redempti. Tornacum eodem tempore à Gallis præsidio firmatum, vnde, quotidianis propè incursionibus factis, in Flandricum agrū irritati Flandri copias contrahunt. Copiarum imperiū defertur Adolpho principi Gelriæ, qui per id tēpus attētè custodiebatur in arce Cortraci. Hanc verū custodia eductum, sequuti milites, vastato latissimè Tornacensium agro, ad ipsa vsq; mœnia vrbis accessere. Amisso duce, Flādri retrò abiere, vbi nullo adhuc memorabili ædito facinore, Dux Adolphus in viridi quodam pratulo, ab his qui se partis effuderant, occiditur; frustra eum defendente Ioanne Grachio, qui & ipse loco eodem confossus est. Mortui Ducis corpus auectū, honorificè funeratur apud

Tornacenses. De hac victoria suorum factus certior Ludouicus, venit in spem totius propediem in suam potestatem redigendæ Flandriæ.

*Deficiunt Gelrij à Maria. in Buscoducenses educunt. Brabanticum agrum latè vastant.*

*Caput CXLVI.*

OCciso ante Tornacum Adolpho, desciuerunt & Gelrij à Maria. Cuius auctores defectionis fuisse traduntur Nouiomagenses & Sutphanij. Catharinæ sorori nuper cæsi Adolphi tradita administratione, Gelrij ex nostris ceperunt claris ornatos natalibus viros, Fridericum Iselsteynium, & Guilielmum Egmondanum, cum pactæ familiæ vtriusq;. Hos Nouiomagum perductos, triennium perpetuum vinctos seruarunt. Postea suarum imperium copiarum Friderico Bruunsvvecensium Principi in Gelriam accersito, decreuerunt. Quo Duce freti, in agrum Buscidueensem incursionem fecêre. Sed hi resistentes, multò plus damni Gelrio intulerũt, quàm antea accepissent ipsi. Obsiderunt & Grauiã oppidulum Hic omnibus clausis itineribus, qua commeatus ad obsessos inferri potuisset, breui ad deditionem compulsi ciues Gelrij Sub id tempus & in Brabanticum agrũ & Cliuiensem tumultuosius euecti, pluribus locis atroci excitato incendio, multos ex vtraque gente captiuos abduxerunt.

*Tumultus ciuium Bruxellæ. Ex plebe creati magistratus.*

*Caput CXLVII.*

NOuis postea motibus, discordiaq; per Brabantiæ & Flandriæ oppida laboratum est. Bruxellæ, vulgus cum impetrasset, vt summotis magistratu, qui ex illustribus aliquot familijs complures annos summæ rerum præfuerant, sibi liceret quotannis ex corpore ciuitatis totius renouare. Senatum auxit hunc tumultum noua creatio. Creati xv viri ex eodem corpore, quorum studio ac diligentia breui temporis spacio factum, vt grandæ æs alienum dissoluerint, et vrbem pristino restitue-

ſtituerint vigori. Poſt aliquot inde annos mutatis in diuerſum rebus, permiſſa, eſt iterum adminiſtratio familijs magna certè iactura Reipub.

*Conſpiratio plebis aduerſus primores Louanij. Apprehenſus oppidi Præfectus conſpirationis dux Pauwel Luenken, in Selandia decollatur.*

*Caput CXLVIII.*

PEr eadem tempora fuit & Louanium in motu conſpirante plebe aduerſus Senatum ac Primores ciuitatis, qui Gallorum Regi, cum quo tum acre diſſidium erat, fauere dicebantur. Conſpirationis Dux erat Lanius quiſpiam Paulus, cognomento Luenken, vir non peſſimus omninò, ſed lingua promptus. Hic apprehenſum oppidi Præfectum Ludouicum Pinnoc, & Principes ciuitatis aliquot gladio, vt cupiebat, ſubijcere non potuit, quod lictorem non haberet. Thenenſium, qui vicini ſunt populi, accerſitus lictor non venit. Et Louanij in tanto vulgi tumultuantis aduerſus magiſtratum odio, nemo tamen reperiri potuit, qui lictoris fungi miniſterio vellet. Durauit hoc malum quoad Naſſauius Princeps, cum armato milite in Louanienſem agrum ad cōprimendos motus irrupit. Hic veriti auctores tumultus futurum, vt ſi vrbem expugnaſſet, capitali ſuplicio afficerentur, alijs alio clam dilapſis, Paulus omnium princeps in Selandiam applicuit, vbi Cruningæ, qui pagus eſt eiuſdem inſulæ, apprehenſus decollatur. Vrbis enim Præfectus Ludouicus, quem durāte motu captiuum habuerat vulgus, ad ſingulorum penè magiſtratus locorū inſignium ſcripſerat de Pauli fuga.

*Maximiliani aduentus ex Germania ſuperiore: Quanto idem gaudio ſit exceptus Gandaui, in qua vrbe duxit vxorem Mariam.*

*Caput CXLIX.*

CIuiles in Brabantia & Flandria tumultus (nam per ſingulas penè vrbes ea peſtis vagata eſt) conquieuerunt aliqua ex parte aduentu Maximiliani archiducis

Auſtriæ,

Austriæ, quē pater Fredericus Imperator miserat in hæc loca, vt vxorem duceret Mariā, Caroli nuper ante Nantium cæsi Ducis filiam vnicam. Hæc agebat id temporis Gandaui, quo per Louanium & Bruxellam Brabantiæ oppida, cum ornatissimo agmine Procerum Germanorum, quos illi proceritate insignes, vestituque eleganti, auroque exornatos, equis atque lanceis cōspicuos parens Fredericus adiunxerat, proficiscitur. Iam Teneramundam venerat, cum Gandauum allatus est nuncius aduentare Principem. Senatus statim vniuersus, multique alij eiusdem vrbis clari ciues, ad portam Bauonis occurrentes, felicem Archiduci aduentum gratulati sunt. Ad ingressum noui principis vndiq; procurrere pueri, prosilire adolescētes, effudere sese iuuenes, senes, gratulari atq; applaudere, omnes sublatis in cœlum manibus immortali Deo gratias agere. Ducalē aulā ingressum, nobilis illa virgo Maria spōsum optatissimū obuijs vlnis excepit, ac lachrymis gaudio manantibus est exosculata. Accedens deinde Tornacensium antistes, præsentibus & aulicæ nobilitatis, ecclesiasticæ dignitatis summatibus, stabili eos iungit cōnubio. Fuit hic annus, quo Archiduci Maximiliano nupsit Maria, millesimus quadringentesimus septuagesimus nonus ab eo, qui primus exordium dedit nostræ saluti.

*Traiectenses bellum Hollandis inferunt. Hollandi pagum Emissam incendunt. Traiecti ciues cum Hollando pugnant & vincuntur.*

*Caput CL.*

AB Hollandis bello postea Traiectensibus inducto: Selādos inuenio rogatos vt socijs Hollandis adiungerent sese, negato auxilio, medios ac velut Tragœdiæ huius spectatores sedisse. Multū est vtrinq; acceptum incōmodi. Euersæ sunt arces, incensi pagis, alia nefanda perpetrata. Nardinum Hollandiæ oppidulum à Traiectensibus captū atq; direptum est. Quam iniuriā dimicaturi Hollandi cum exercitu haud contēptibili equitū pariter ac peditū profecti, venere ad Eminissam. Hic pagus & amplissimus & munitissimus erat. Huc abegerant pecus

pecus omne suum finitimi, omnes accolæ, & alia pleraque lectos, vestem, aurum huc importauerant. Hos adorti Hollandi, quũ aliquandiu oppugnassent, vicerũt, victos, ad vnum omnes trucidarunt. Postremò direptis omnibus ædificia & publica & priuata incendio consumpta sunt. Lego in commentarijs quibusdam rerum Hollandicarum nostrate lingua conscriptis, hunc pagũ fuisse miliaris vnius longitudine. Hollandi post victoriam Eminissensem longius euecti, festo die protomartyris Stephani incenderunt pagum Vuestbrunc, credõ, vt sic ad pugnam Traiectinos euocarent, qui è portis ac munitionibus suis conspecto incẽdio, arreptis armis, cum Hollando temerè congressi, magna suorum strage fusi fugatique sunt. Fugientem hostem insequuti Hollandi, parum abfuit, & quin vrbem ipsam ceperint. In hac pugna cæsus est Consulum alter eius anni, multique alij & probi & opulenti ciues, quos non spes prædæ, sed patriæ amor ad arma conciuerat.

*Maximilianus in Arthesiam cum exercitu proficiscitur. Idem ante Morinum à Gallo victus, apud Lucenburgos vincit. Per Cardinalem Ostiensem pax frustra tentata est.*

*Caput CLI.*

ANno à Christi incarnatione, Millesimo quadringẽtesimo, octuagesimo primo, venit Maximilianus in Arthesiã bello recuperaturus oppida, quæ Gallus occupauerat. Subsedit exercitus apud Lentium, id enim nomẽ loco. Inde nec procul aberant Gallorũ copiæ. Sed nec vllã tentauit Archidux obsidionem, nec se loco mouit Gallus. Inuenio de inducijs aliquot annorum inter eos conuenisse. Eodem ferè tempore laboratũ est nostris in locis maxima annonæ caritate, quæ multos durauit annos. Sub exitum induciarũ Maximilianus Arthesiæ contra hostium incursiones tuendæ præfecit Comitem Romontensem. Cuius solertia Ducis Cameracum eodẽ tempore est occupatũ. Flãdriæ gubernatio tradita Petro Comiti Brianio, quãquam podagra ferè perpetuo laboranti.

Comiti Brianio quãquam podagra ferè perpetuo laboranti, Vir enim erat prudentia singulari, qua nihil est magis in bello necessarium, quum omnia prius consilio quàm in armis experiri oporteat. Ita ordinatis rebus, Archidux ipse cum ingenti armatorum manu, ad obsidendum Morinum est egressus, fecitq; castra non longè ab oppido. Hic certior factus de hostium aduentu, obuiam processit, aciem disposuit, subsidia locauit. Sed Gallorum qui numero præstabant, tam celeri incursu atq; impetu, nostrorum signa turbata, cædes ędita, & amissę machinæ, sed paucæ. Eodem momento per occasionem erumpens Morino præsidium Flandrorum munitiones adoritur. Vbi cæsis, quos inuenissent multa, vestes (credo) sericas, aurea & argentea vasa, quæ Archiduci magno constiterant, secum deportarunt. Pertraxit eo spes prędæ & aliam Gallorum manum, quos insequutus Archidux ad quinq; milia traditur occidisse. Inde Aream se recepit Arthesiæ oppidum Quæ res eum à Morini obsidione retraxerit, non reperio in Commentarijs. Comes Romonstensis postea missus ad oppugnandam arcem Malonnoy, paucis diebus eam cepit. Præfectũ arcis, nobilem virum ad se perductũ, Maximilianus laqueo necari iussit, quinquaginta alijs, sed ignobilibus, adiunctis. Qua de re quum certior factus esset Gallus, vt indignam tanti viri sibiq; carissimi necem vlcisceretur, ex Burgundis quos à prælio ante Morinum captiuos habebat, conplures eodem genere supplicij è medio sustulit. Per eadem tempora Flandris atq; Hollandis plurimæ sunt ademptæ naues, totum mare infestantibus Gallis. Ijdem postea Lucenburgensem agrum incursantes, ferro & igni vastarunt. Cuius fama belli excitus Archidux, Brabãtia educit exercitum. Acie cõgressus cum hoste primum infeliciter pugnat, donec opem ferentibus Alemannis, Gallorum agmen terga daret. Non multis post diebus iterum agi de inducijs cœptum, quas inuenio vtrinque pactas in Calendas Apriles proximè sequentes. Erat autẽ Mensis Augustus, quum hæc agerentur. Octobri proximo agitatum de sarcienda pace inter Gallum & Archi-

ducem

ducem, maximè adnitente Iuliano Cardinale Ostiensi: qui nostra memoria Pontifex Iuliani Apostatæ fugiens appellationem, duabus extritis è nomine suo literis, Iulium vocari se iussit, Iulij Dictatoris illius nomē clatura delectatus: cuius & mores eum in quibusdam retulisse accepimus. Is inquam Ostiensis, in hoc Tornacum venerat, vt Principes, inter quos acre dissidium erat, in gratiam redigeret. Verùm vt nihil se vidit proficere, in Gallias primum, inde Romam est reuersus.

*Induciæ inter Principes. Quædam de Ioanne Burgundo, & Henrico à Bergis, Cameracensium Episcopis. Caput CLII.*

TEnentibus inducijs neuter alterum infestauit Calēdæ Apriles quum iam adessent, prolatum est tempus induciarum vsq; in Iulij mensis initium. Hoc Aprili Mechliniæ diem obijt Ioannes Burgundus Antistes Cameracensis. Deus hominum sceleribus iratus tales dare solet ouium pastores, hoc est libidini, comessationibus & auaritiæ deditos, nōnunquam etiam pueros moribus & ætate. Qui suffectus est Ioanni Henricus à Bergis, vir fuit nulli optimorum Antistitum pietate aut alio virtutis genere secundus. Victum impartiebat egenis, succurrebat laborantibus, orabat frequenter. Docebat etiam. Quod enim docendi genus salubrius, ac optimo illi & vni Deo gratius quàm aberrantes rectè monēdo concionandoque ad viam reducere virtutis; quod ille strenuè faciebat. Adijciam quod & studia coluit, studiosos amauit, fouit, prouexit. Multorum qui ad communem vtilitatem aliquid conscriberent portus, sinus, præmium; ipsius deniq; Latinæ rei tunc temporis ruinosæ & nutantis reductor ac reformator.

*Maximiliani in Hollandiam nauigatio ad extinguenda mala, quibus tum ea Regio laborabat. Caput CLIII.*

MAximilianus eodem mense nauigat in Hollandiam, extincturus pernitiosissimam illam dissensio-

nē, quæ populum in duas factiones diuiserat. Alteri ab hamo, alteri à pisce asello inditum erat nomē. Ciuitati cum ciuitate non conueniebat, frater fratri minabatur exitium, filius patrem suis manibus extinctum cupiebat. Vtrinque cædes, vtrinq; innumera sunt ædita latrocinia. Sæuijt multos annos tota Hollandia hoc malum longè teterrimum, ac nescio an etiamnum reliquæ restent pestis huius.

*Missi Legati ad prorogandas inducias. Edictum Gandauensium ob rei frumentariæ inopiam.*

*Caput CLIIII.*

APpetebat iā mensis Iulius, quo tempore missi sunt aliquot è Proceribus, Atrebatum vbi cū Regijs Legatis egerūt, vt rursus in annum vnum induciæ fierent. Laborabatur fame diuersis locis. Edicto imperatū Gaudaui & Brugis, ne quis frumentum pluris venderet, quàm statuisset Senatus. Qui domi habebant plura modiorum milia, in publicum ferre ac vendere sunt compulsi.

*Mariæ casus ex equo. Eiusdem obitus. Et proles.*

*Caput CLV.*

AGens in Flandria coniunx Archiducis, quum die quodam leuandi animi gratia venatum exisset, (venādi enim studio tenebatur) ibi vel equo in pręceps abeūte, vel alio casu (certum enim non traditur) ad terram excidit. Grauiter læsa, Brugas defertur. Ad eam curandā accersiti vndique Medicæ artis sciētissimi viri, sed malo artem superante, haud multis post diebus vita decessit, quum annos nondum quinque Archiduci nupta fuisset, gubernasset autem quinquennium, hebdomadas xi. & dies quatuor. Ita colligit, qui nostrare composuit sermone nostratium rerum Commentarios. Vulgato Mariæ obitu incredibilis omnium luctus occupauit. Defuncta fato tam nobilis, tam proba, tam inculpatæ vitæ mulier, magnum sui desiderium reliquit omnibus eius ætatis hominibus. Liberos ex ea tulit Maximilianus, Philippum de quo principe dicendum est alio loco. Deinde Margaretam, cuius nutu ac voluntate fœ-

minæ,

minæ, noſtratium quinque Prouinciarum reſpublicæ gubernantur. Digna prorſus hæc mulier eſt quam inter priſcas illas Heroidas omnis referat poſteritas. Franciſcus vltimo loco natus infans extinguitur.

*Maximilianus vxore defuncta liberis ſuis tutor dari cupit.*

*Caput CLVI.*

POſt exceſſum chariſſimæ coniugis, Archidux modis omnibus operam dedit vt liberis ſuis nondū puberibus, ipſe tutor daretur. patriam defenſurus armis aduerſus Gallum qui ab obitu Mariæ Flandrorum fines ingreſſus, omnia cæde & incendio fœdabat. Conuocati ſunt igitur Gandauum poſtridie Calendas Maias eodem anno Primores omnium ciuitatum. Hic placuit non permittere Maximiliano gubernationē, niſi ad certum tempus, & vt ipſe iuſiurandum daret ſe nihil ſtatturum niſi prudentum iudicio comprobatum. Erat enim iuuenis ipſe, & nimium his tribuebat qui aliorum incōmodo ſuis conſulerent rationibus.

*Quos iuſſerat occidi innoxios Archidux.*

*Caput CLVII.*

NOn multò poſt, ex Louanio, Bruxella, Antuerpia ciues aliquot, viri prudentes Mechliniā miſſi, vt hic liberius inter ſe conſultarent his de rebus, quas Louanij paulò ante conuentu Primorum indicto, Maximilianus propoſuerat, vt liberis ſuis qui nodum pubertatis annos attigerant, quod modo diximus, tutor daretur. Itaque Mechliniæ trium Primores vrbium cōſultantes, Archidux quorundā, qui ſibi non patriæ cōmodis ſtudebant, ſequutus concilium, apprehendi, apprehenſos in arce Viluordiæ loco munitiſſimo, cuſtodiri iuſſit. Obiectum eis, qnod clam principe ſuo Mechliniæ modo, Aluſti alias cum Flandris collocuti, res nouas molirentur. Qui apud Ducem erant homines inexplebili auaritia, conſuluerunt, vt de his ſupplicium ſumeret, ita futurum rati, vt exemplo deterritæ vrbes, liberorum tutelæ adminiſtrationem patri deferrent, ipſique tunc omnia pro ſua libidine adminiſtrarent. Princeps iuue-

nis huic consilio accedens, ferè omnes gladio subiecit. In quibus fuit Nicolaus Heetueldius, cuius viri & multum illustris & optimi & egregiè prudētis mortem plurimi defleuerunt.

*Liberorum tutela Maximiliano defertur. Caput CLVIII.*

POst longas vrbium consultationes tandem suorum factus tutor Archidux apud Louanium inauguratur; sed his legibus, vt non diutius præsit, quam id visum fuerit ciuitatum Primoribus expedire. Plena erat hominum rapacium aula Principis: ij non dicendis exactionibus ditionem præmebant. Miles, cui stipendia soluta non erant, omnia in agris absumere. Plures hoc pacto ad mendicitatem adacti agrestes. Non paucos furta & latrocinia tentare coëgit egestas. Quo rerum pessimo statu ob crebras ventorum in tēpestates, & fulmina, tonitrus, pluuias, calores, & frigora tempestiua, nec seges in agris maturescere potuit. Credo has minas fuisse numinis irati sceleribus hominum.

*Leodiensium Episcopi Ludouici Borbonij indigna cædes, atque inde secuta mala. Caput CLIX.*

PEr eadem ferè tempora non vulgaris exemplum sæuitiæ Leodij est æditum circa loci Antistitem. Guilielmus Arenburgus homo insolens, ambitiosus, & vt paucis dicam, eo ingenio, vt quicumque ipsum ad crudelitatem, ad scelera patranda exacuebant, rabiem innatam, quasi signo dato prouocarent, is inquam talis in Ludouici Borbonij Antistitis caput coniurauerat. Ob id exul postea declaratus, cum sceleratorum manu, qui numero leguntur fuisse duo millia, venit in agrum Leodiensem, oppugnaturus Ludouicum Burgundicarum partium hominem. Contra Arenburgum educturus Antistes, priusquam egredi vrbem potuit, occiditur, angustias fortè quasdam ingressus, vbi adorti sunt eum scelerati aliquot latrones, quos ad facinus perpetrandum ab hoste conductos fuisse, vero simile est. Secundum hæc Arenburgus Leodium hostiliter occupatum

totius

totius Burgundicæ familiæ odio grauiter afflixit. Cæsi Ludouici amicos & fautores bonis ac fortunis omnibus exutos, eiecit oppido: Quosdam etiam occidit Huius rei fama statim ad Brabantos finitimā gētem serpsit. Qui metuentes ne Gallorum Rex, occiso iam Antistite, Leodiensem agrum ingressus, Brabantiæ quoque loca vastaret: Simul vt tam indignam episcopi cædem vindicarent, arma sumpsêre. Primi omnium Louanienses, posthabita etiam annua supplicatione sua, quæ in primos dies mensis Septembris incidere solet, egressi cum armata manu, insequentibus statim & alijs oppidum sancti Trudonis adorti, in deditionem acceperunt. Captum postea eodem Carole Hasletum; trucidato militari præsidio, quod illuc ad tuendum locum Aremburgus miserat. Tongri quoque se dediderunt. Iam Brabanti ad Leodium etiam obsidendum magnis copijs excurrebant. Vnde Aremburgus, videns imminere sibi, ac suis periculum, si vrbem hostis expugnasset, Brabantici Ducem exercitus ad colloquium pertraxit Atque ita cum eo locutus est, vt subitò mutatis rebus, iussi sint domum redire nostrates. Apud quosdam Scriptores inuenio promissa Nassauio, penes quem fuit copiarum imperium aliquot aureorum millia, si domum reduxisset exercitus. Occiso Borbonio, per electionem primum, deinde Romani Pontificis accedente confirmatione, fit Leodij Episcopus Ioannes Hornius, principis Hornij frater. Vt hunc excluderet Aremburgus (nam in locum cæsi Antistitis, filium eligi & surrogari suum volebat) Tongrorum vrbem occupat, eiectis inde Brabantis Nouum hinc exarsit bellum Gens Brabantica largo stipendio contractis copijs eo redijt. Cum hoste totis viribus descensum est in aciem, fuitque prælium ingens. Vicit tandem Brabantus, cæsaque sunt ad tria milia hominū. Nec multò post Aremburgus, sancti Trudonis oppidum egressus, dubium laxandi animi causa an ob alia negotia, capitur à Frederico, qui Ioanni Hornio antistiti frater erat. Inde Traiectum ad Mosam perductus gladio subijcitur, vniuersa id vidente ciuitate, luitque me-

 ritas

ritas suæ pœnas insaniæ. Hanc eius mortem postea vt vindicarent amici, & nouum Antistitem & Traiectinos vehementer afflixerunt, euersis eorum castellis, agro latè vastato, incensis pagis, trucidatis colonis.

*Maximilianus Rex Romanorum declaratur. Idem cum patre in Brabantiam redijt.*

*Caput CLX.*

ANno partus Deiparæ M cccc lxxxv. Frācfordiæ nobili emporio superioris Germaniæ, Maximilianus Frederici imperatoris filius, Rex Romanus declaratur, permittente id patre Hermolaus. Vnde Barbarus in oratione quadam ad Fredericum. Hūc tamē, inquit, opinione nostra. fructum anteactæ vitæ tuæ maximum cepisti, quod filium Generosissimū, qui nobilissimas gentes, ferocissimos populos, bellicosissimas nationes non minus armis, quā sapiētia vicisset, Regē Romanū, te viuo renuntiari permiseris. Hactenus ille. Non multò post Fredericus vna cū filio Brabātos & Flandriēses inuisit, à quibus exquisitissimis est acceptus honoribus. Redeuntem in Germaniā Fredericum partē comitatur Maximilianus. Vnde postea cū satis numeroso exercitu, ad hæc loca reuersus, mouit in Picardiam, aliquot eius terræ vrbeculas oppugnaturus quæ Gallo cesserāt. Quidam scribunt ab eo, qui per id tempus Gallicis præerat copijs, pecunia & largitione corruptum militem, detractasse pugnam. Itaq; rex pudefactus, nullo hic ædito memorabili facinore, abijt.

*Brugis tumultu exorto Maximilianus capitur. Pontifex Innocentius anathematis fulmen auctoribus facti minatur. Fredericus imperator cū exercitu venit; iratus in Gandauenses educit. Flandricus ager latè vastatur.*

*Caput CLXI.*

IAm Brugis & Gandaui duarum in Flādria maximarum vrbium ciues detrectabant imperium Romani. Non quod huius maiestatem contemnerent, sed in causa erant Cōsiliarij, multa inclementer extorquētes à

bonis

bonis ac Principi suo impensissimè deditis ciuibus. Præter cæteros multum erat suspectus quidam Petrus cognomento Longocollius, Regi à thesauris factus. Igitur his de rebus certior Maximilianus cum omni procerum ordine & consilio Brugas venit; vt à se alienatos, ad imperium retraheret. Verùm euenit longè aliter. Senatus Brugensiũ Regij Concilij postulationes reiecit, reiecit & populus. Vnde confestim nouis motibus vrbs exerceri cœpta est Medio tumultu Rex ipse, & Lõgocollius cum aliquot alijs apprehensi, custodiæ traduntur. In tantis malis ad Pontificẽ Innocẽtium, huius nominis octauũ, datæ literæ, quibus significabatur captiuum esse Brugis Romanum Regẽ. Pontifex re intellecta nihil cunctatus, scripsit Coloniensiũ Archiepiscopo, vt Brugenses, Gandauos, cum Iprẽsibus (nam & hi populi tam audacis facinoris autoribus iunxerãt sese) anathematis fulmine defigeret, nisi mandato obtẽperantes, intra certum tempus custodia Romanum emitterent. Secundum hæc venerunt Brugas vndiq; primores oppidorum de pace acturi cum Rege. Cui multa sunt aureorum promissa milia à Flandrensibus, si noxiam condonaret. Priusquam exiret custodia Romanus, obliterata superioris iniuriæ memoria, cum Brugensibus ac ceteris captiuitatis auctoribus stabilem & mansuram pacem sanxisse traditur. Cæterum præter obsides datos, etiam creati nobiles viri aliquot, qui omnia quæ Flandricæ ditionis essent, iure armisque defenderent ac tuerentur, donec Philippus Romani regis filius per ætatem admoueri gubernaculis posset. Rex ita dimissus incolumis abijt Mechliniam ad patrem suum Fredericum Qui paucis ante diebus eo ex Alemania venerat cum exercitu, factã vlturus iniuriã filio. Hic Maximilianus & gratias egisse patri, & supplex orasse dicitur, vt omnem vim bellicam à Brugensibus abstineret. Sed ira accensus Fredericus, reiectis filij precibus, hostiliter Flandriam vexare est adortus. Gandauenses venientem velut hostem, non hospitem, suis mœnibus excluserunt. Videbatur venisse Fredericus, vt vrbem caperet, sed ingenti eius magnitudine, terri-

tus & telorum multitudine, quæ è muris in appropinquantem coniecta est, vim inhibuit. Ita exclusus indeque repulsus Germanus, omnem circumiectam vrbi regionem hostiliter incursauit. Tam subitò in agricolas nihil meritos versa est omnis illa in Gandauensium inuidiam, armorum tempestas.

*Bellum ciuile in Brabantia. Pestilentia ingens Bruxellæ & Louanij. Caput CLXII.*

Euersis postea in Alemaniam Frederico & Maximiliano, populus in diuersas voluntates ire cœpit. Nam erant, qui, ductore Philippo Cliuensi, Brugis cum Maximiliano sancitam pacem tam diu ratam habere sancteque custodire vellent, quoad sua sociorumque salus pateretur. Contra nitebantur alij, qui se iunxerant Alberto Saxoni æduci. Hunc Fredericus & Maximilianus abituri Philippo Brabantiæ Principi adhuc impuberi custodem, & nostratium constituerant Gubernatorem Prouinciarum Louanium, Bruxella, Thenæ. atque alia quædam oppidula cum Philippo Cliuensi, Flandrorum defensore fœdus percusserunt. Buscoducenses medij & neutrius partis esse maluerunt. Cęteræ maiores vrbes Antuerpia, Mechlinia, Lyra, secutæ Albertum leguntur. Hoc ciuili & intestino bello, non dicenda sunt vtrinque data & accepta mala. Bruxellensis miles Viluordiam aduersæ factionis opidulum cepit, captum incendio deleuit. Saxo Louaniensibus ademit Arschotum. Hic priuatis ædificijs, non ab hoste sed alio casu iniectus ignis, adeò peruagatus est longè lateque, vt & loci templum sit incendio consumptum. Postea rursus erectum, aliquanto magnificentius. Ab eodem duce Alberto sunt & Thenæ occupatæ. Huc multi mortales bona sua, vt in locum tutiorem initio belli conuexerant: quæ omnia direpta penitus à militibus, & alijs facinorosis, qui rapiendi studio, vt fit, armatis se immiscuerant. Per hos motus pestilentiæ morbus locis aliquot sic atrociter sæuijt, vt rarò alias hominum memoria sit atrocius laboratum hoc malo.

Bruxel

Bruxellæ xxxij. apud Louanium xx. hominum milia extincta loquuntur natu grandes viri, quorum memoria hoc gestum est bellum. His igitur locis vehementius sęuientem pestilentiam, conficiundæ pacis causam fuisse existimo Louanienses enim & Bruxellenses diurnis nocturnisque suorum funeribus exhausti fractique, Legatós ad Albertum miserunt. Quibus Romani regis nomine pax data est his legibus, vt ingentem pecuniæ summam Duci adnumerarent. Hæc sub festum absumptæ Virginis mense Augusto gesta sunt, anno post Christúm in terris natū millesimo quadringētesimo lxxxix. quum annum vnum & plus eo durasset hic motus Ciuilis.

*Conflagratio insignis monasterij Præmonstratensis Middelburgi in Selandia. Laus Abbatis eiusdem loci.*
*Caput CLXIII.*

CIrca annum M quadringentesimum, xcii. Middelburgi in Selandia conflagrauit Præmonstratensis ordinis monasterium Quo incendio absumpta est etiam bibliotheca libris omnifariam referta. Visitur hodie domus eadem multò magnificentius instaurata. Diceres Palatium aut Regiā esse quampiam. Illic nunc præest vir, vt clarissimis optimisque maioribus, ita optimis moribus ac multa eruditione & facundia præditus Maximilianus à Burgundia: Quem iuuenem quidem, sed tot naturæ dotibus eximium Abbatem gratulor Selandiæ terræ mihi natali.

*Philippus Brabantiæ Principatui inauguratur. Carolus Gandaui nascitur. Caput CLXIIII.*

POst aliquot annos, defuncto in Allemania Friderico Cæsare, fit noster ctia loca Maximilianus, vna cū coniuge sua, quam recens duxerat filiam Ducis Mediolanensium. Hunc cum multis aulicæ nobilitatis primatibus, Traiectum ad Mosam ingressum Philippus, & Margareta florentes ætatibus liberi salutatum venêre, & felicem optimo patri aduentum gratulati, abeuntem

inde Louanium comitantur. Hic præsente patre Philippus annum agens ætatis sextum decimum, Brabantiæ principatui inauguratur In cuius verba tanto consensu ac studio ab vniuersa multitudine iuratum, vt nunquam alias maiore. Fuit hic annus redemptionis millesimus quadringentesimus nonagesimus quartus. Anno postea quingentesimo, sub exitum Februarij mensis, Gandaui oppido Flandriæ, natus est Duci filius: Cui ad sanctum Ioannem baptismo in eadem vrbe admoto, Caroli nomen est inditum à susceptoribus. Vidi ego puer, hoc nato puero Gādaui (in quatum vrbe Latinas discebam literas apud virum doctissimum) ad omnes ciuitatis angulos, ad omnia compita parari spectaculorum miracula.

*Harderwici conflagratio miserabilis, & terræ motus in Brabantia. Caput CLXV.*

IN annum Seruatoris nostri Millesimum, quingentesimum tertium, incidit miserabilis conflagratio oppido Gelriæ quod Hardervvicum nominatur. Pridie Calendas Augusti spatio trium horarū templa, cœnobia, & priuata, publicaque ædificia, multis arduisq. tabulatis edita omnia cōflagrarunt. Hic res accidit miseratione digna. Multi homines ruina tectorum oppressi; in penarijs multi fumo enecti, ad quæ loca vt tutiora metu ignis se receperant. Hic postridiè pueri bini, trimi, infantés quoque cum matribus reperti exanimes. Tam latè hoc est euagatum incendium, vt toto oppido vix quinq; aut sex priuatæ domus reliquæ manserint. Eodem ferè tempore Gorici oppidulo Hollandiæ subitò igni ducentæ, & pago quodam Vuestflandriæ, domus quadringentæ arserunt. Anno insequenti post cōflagrationem Hardervvicam, Dauentriæ mulier quædam enixa est filias duas, ventre vno, & corporis medio à pectore coniunctas. Cæterum capitibus duobus, brachijs quatuor, ac pedibus totidem. Eodem anno in Brabantia & locis finitimis vesperi sub horam decimam pridie Bartholomæi accidit motus terræ, qui tamen

populis

populis nostratibus nullam cladem attulit. Nemo extra domos vitæ periculum adijt: Nusquam radicitus euulsæ arbores: nusquam corruerunt ædificia: nemo oblæsus, nemo oppressus tectorum ruinis.

*Philippus in Hispaniam proficiscitur. Eiusdem mors. Caput CLXVI.*

PHilippus nostra memoria bis abijt Hispaniã, semel itinere terrestri per Gallias. Iam primum huius ditionis limen ingresso, Ludouicus Picardiæ Præfectus, vir clarissimus vna cum proceribus eius regionis obuiam procedens, Regijs verbis salutẽ impertiuit, & fœlicem aduentum gratulatus est hospiti optatissimo. Parisijs non vt hospes verùm vt numen quoddam cœlo dimissum excipitur. Nullũ vnquam suorũ Regem regalius accepit Gallia, quàm Philippum hospitem. Magnificentissimi sunt in vrbe exhibiti ludi Occurrit venienti Senatus: occurrit scholæ Princeps & Rector: occurrit totus Ecclesiasticus ordo. Et vt omnia essent vbique in Philippi aduentu gaudiorum plena, impunitas concessa est maleficis, In eius gratiam aperti carceres. Tota Gallia venia donata sontibus. Cumque res mandasset, vt Philippum nihilo secius quàm semet exciperent, plusquam iussi fuerant, facientes, studio hunc illi prætulerunt. Ipse Rex eundem summa cum veneratione excepit in Regia sua Blesensi. Illud memorabile, quod Turonis abeuntem ad quingentos ferè passus deduxisse, & sumptus omnes, quos numerosus ille Ducis comitatus fecerat, in se recepisse traditur. Apud Nauarros quoq; Regali munificentia est exceptus Philippus. Gallia sic peragrata, Hispaniã ingreditur. Quis hic triumphos recenseat Principi singulis regionibus, singulis vrbibus, singulis vicis exhibitos. Rex Ferdinãdus, viuida adhuc viridiq; senecta socer, genero ætate florenti inter Oleas viculum & Toletum vrbem occurrit, salutatumque in Regiam suam Toletanam induxit. Post dies inde quindecim Castellæ Principatui inauguratur. Nec multò post Arragoniæ principatum accipit

in vrbe

in vrbe Cęsaraugusta, ad sextum Calendas Nouembres. His peractis, vxor Ioanna filium ei peperit, cui nomen indidêre susceptores aui materni. Obita igitur ad hunc modum Hispania, peragrato iterum pari cum splendore Galliorum regno, Philippus in Sabaudiam venit, vbi à sorore sui amantissima Margareta, incredibili est magnificentia tractatus. Postremò in Germaniam proficiscitur, vt, quod sorori præstiterat, idem præstaret & parenti. Sororem salutauerat, nunc & parentem salutaturus venit. Qui non dubium est, quin lætitiam animo persenserint longè maximam, quum Philippum vnicè charum filium, tantis rerum successibus auctum, ex Hispanijs reducem conspiceret. Patre salutato, in patriam redijt. Vbi ad singularum vrbium ingressum instaurati triumphi, quanquam vetuerat ipse, & ne officio ciuitates grauarentur, nōnunquam data opera, subitus & inexpectatus aduenire voluit. Vidi ego tum puer Louanium ingredientem, vrbis senatu, ornatissimi Gymnasij Principe & Rectore, totidem ordine Ecclesiastico obuiam procedente. Doctissimus extat Panegyricus Erasmi de hac Philippi in Hispaniam profectione. Altera illa profectio est mari suscepta ineunte Ianuario. Vix mediū iam classe tenebat, quum subitò coorta est tempestas multò sæuissima. Inuenio naues aliquot subuersas pelagi sæuitia. Philippo interim, & ceteris, quos eadem nauis habebat, in singulas horas mortem expectantibus. Tandem munere diuino, cum reliqua classe in Angliam Princeps eiectus, præter spem à Rege magnifico apparatu, alacritate incredibili, magno eius insulæ hominum concursu & applausu excipitur. Hic commoratus aliquot dies, postea secundo vento in Hispaniam contendit, vbi rursus nulla oratione explicandis honoribus cohonestatus, moritur sexto Calendas Octobris anno ætatis xxviij. Incidit obitus tanti Principis in annum Natalis Dominici millesimum quingentesimum sextum. Postquam huius viri mortem fama vulgauit incredibilis repentè Brabantiam, cæterasque regiones socias luctus occupauit. Neque vlli sanè Bur-

gundicæ

gandicæ ditionis mortales fuerunt, qui non eiuscemodi nuncium multis lachrymis exceperint. Erat enim omnium bono natus Princeps. Omnibus prospicere, omnibus consulere huic vnum erat studium. Patriæ commodum suum ducebat esse lucrum. Libertate ciuium delectabatur. Nihil æquè studebat, quàm pacem publicam reddere perpetuam. & rectè. Nam ex bello semel omnia Reip. mala proficiscuntur. Mortem Philippi stella crinita præcessit, quæ mense Augusto per dies fermè octodecim visa est. Ego fabulosum esse existimo, quod quidam scripsit per idem tempus accidisse apud Hollandos in puero, qui materno adhuc conclusus vtero, dies plus duodecim fleuerit. Quo prodigio demonstrata sint mala, quibus Hollandiam postea Gelrus afflixit.

*Philippi expeditio in Gelros. Caput CLXVII.*

Idem Princeps antequam iterum in Hispaniam abiret consilium secutus Procerum suorum statuit armis repetere Gelriam, haud ignarus per eam accessionē hostium opes vbique suis impares fore. Cum florentissima igitur equitum, peditumque manu profectus Arnemium Gelriæ oppidum subita vi adoritur; cuius incolæ ad postremum metu subacti, portas Burgundo patefecerunt. Qui ingressus præstitit fidem deditis, neminē violans, nihil cuiquam adimens, neminem suis fortunis despolians. Quæ res effecit vt continuò alia pleraque oppida ad Philippum defecerint. Videbatur paucis diebus vniuersam Gelriam subacturus, nisi in Hispaniam redire cupiens, pacem cum Gelro fecisset. Ea traditur his propè conditionibus data, vt quæ in deditionem Philippus accepisset, ipse sibi haberet. Et Carolus Gelriæ Princeps vnà cum Burgundo in Hispaniam proficisceretur. Verùm hoc ad iter iam accincto, Gelrus mente mutata, excusauit nescio quas occupationes. Vnde factum, vt quæ pollicitus fuerat, non præstiterit. Sub hoc tempus fato cessit eximius Antistes Leodinorū Ioannes Hornius, cui Galliarum regis opera ac studio successit

Erardus

Erardus à Maca nunc Cardinalis, & Carolo Cæsari à consilijs, vir & consilio & facundia maximus.

*Gelri Campaniam nostratem vastant. Thenas capiunt: ijdem cæduntur apud Arduennam. Caput CLXVIII.*

DEfuncto iam, vt dixi, in Hispania Philippo, Carolus Gelriæ Princeps non seruata, quam prius cum Burgundo fecerat, pace, nostratis Campaniç fines cum prædabundo exercitu ingressus. Turnoutū peruenit eiusdem Campaniæ insignem pagum. Hic offensus miles virorū fuga, correptas fœminas in prædā abducit. Anno proximè insequenti, hic septimus erat salutis humanæ supra millesimum quingentesimum Septembri mense; idem Carolus & Robertus à Marca, nunc Leodinorum Episcopi frater in Brabantiam venere Diestensium vrbē oppressuri, à cuius mœnibus Nassauij principis & ciuium virtute repulsi, alio signa contulerunt. Hala oppidulo incenso, Thenæ obsessæ sunt & captæ, festo die Michaelis. Quam vrbem hostis ingressus, ita diripuit, vt nec templis quidem, nec sacris locis imperatum sit. Multi præterea omnis sexus & ætatis, sine discrimine, partim contrucidati, partim Ruremondam Gelriæ oppidum abducti sunt in omne genus malorum. Quod mirum videri potest ita in totam illam regionem grassanti per dies complures hosti nullæ sunt obiectæ ex Brabantia copiæ. Louanium quod tribus inde miliaribus distat, præsidio firmatum fuit. Quam vrbem nulla extraria ope adiutam, antea facilè cepisset Gelrus, si tentasset. Sub finem Octobris vrbem Thenensium captam, hostis reliquit. Sexcēti equites Gallici nominis, aut plus eo in sylua Arduenna, instante nocte cōsederunt; quos itinere fessos, prædā onustos, & somno vinoque sepultos, viri Namurcenses aliquot, prius neci datis vigilibus, adorti partim trucidāt, partim in fugam vertunt. Quingenti equi in prædam abducti Namurcum, publicè sunt diuenditi.

Legati

*Legati ad Maximilianum missi. Oppidum Venlo Margaretæ iussu obsessum.* Caput CLXIX.

GElro nunc in Hollandos, nunc Brabātos grassante, missos in Germaniā superiorē Legatos inuenio, qui Romano Cæsari Maximiliano Brabantiæ, & aliarū Regionū finitimarū administrationem deferrent. Erat enim Carolus Philippi filius puer adhuc annū agēs ætatis fortasse octauū. Cæsar igitur quum statim accurrere propter imperij varia & ardua negotia non posset, filiā Margaretā præfecit, donec ipse in hęc loca reuersus Principatū susciperet. Verū ante aduētū Principis ex Allemania, bello repetiti sunt Gelri. Quū eius terrę Dux, Antuerpiensiū negotiatoris Francfordiā ad mercatū euntes apprehēdisset, iussu Margaretæ Principis cōscriptus atque eductus exercitus, oppidū Vēlo in Gelrijs obsidione cinxit. Verū strenuè agens, quæ intus erat, multitudo, irritos reddidit omnes nostroiū conatus. Tenuerat aliquot hebdomadas obsidio, quuū noster exercitus haud sine magna inertiæ ac desidiæ nota retrò abijt. Gelrus vbi finibus suis excessisse hostē videret, ouanti similis cū paratissimis copijs Mosam transgressus, Buscoducensium ciues, qui & ipsi cum armata manu exierant, captiuos abduxit, magna etiā pecunia mulctauit. Postea in Hollandos vertens omnem belli impetum, grauissimis eam gentem incursionibus infestauit

*Maximiliani ex Allemannia reditus.* Caput CLXX.

CVm talis esset nostratiū rerū status, redijt ex Allemania Cęsar Maximilianus: qui Louanij Brabantię gubernatione suscepta, Bruxellę cōuocat vrbiū primores. Hic prætextu Gelrici belli rursus ingenti pecunia plebs mulctatur. Busciducenses à Gelro hostiliter anteà vexatos, maximisque affectos incommodis, literis tantū sterilibus consolatus, opemq; pollicitus. Cæsar Coloniā ad cōuentum Germaniæ Procerū recurrit. Absente Cæsare, latrocinantiū magis q̃ belligerātium more in Busciducensum agrum reuersi Gelrij; ad ipsas vsq; portas vrbis omnia fœde vastarunt, incēsis etiā ligneis illis, & versatilibus ædificijs, quæ vulgus molendinas appellat.

*Anglorum Rex Caletum venit cum exercitibus: Morinum occupauit, & Tornacum. Caput CLXXI.*

ANno à virginis partu, millesimo quingentesimo decimotertio. Henricus Octauus Angliæ rex cum valida bellatorum manu Caletū in Flandriæ fines traiecit, bello adorturus Galliæ populos. Huc argento & auro, quod ingens secum aduexerat, non modo Cæsarem Maximilianum, sed omnem quoque Brabantiæ, Flandrię & Hollandię nobilitatem ad se iuuandū pertraxit. Lectissimum equitatum, ac pedites complures è Gallia missos, qui Morinum, quod obsessurus hostis putabatur, commeatu leuarent, Maximilianus partim occidit, partim in fugam compulit; ex quibus trecenti l. capti. Inter quos & nobiles aliquot Regni Gallorū fuerunt. Signa bellica nouem amissa. Currus onerarij centum quinquaginta abducti. Post hæc Romanus & Anglus magnanimi Principes duo, Morinum, quod præsidio firmauerat Galliæ Rex Ludouicus, omni armorū genere oppugnare adorti, murorum partem deiecere. Atque hinc quum ingens terror ciuitatem inuasisset, facta deditio est hac lege, vt miles vi abstineret. Ingressus Cæsar, Anglo cessit vrbis imperium. Postea deditum est, & Tornacum. Huius oppidi ciues permulti, ne militarem diutius feritatem pati cogerentur, nouas sedes in Flandria & Brabantia quæsiuêre. Henricus & huius vrbis à Cæsare imperio sibi relicto, incredibili sumptu arcem intra muros extruxit, multis inclusis ædificijs. Hic præsidium habuit perpetuū, donec post aliquot annos Gallo vrbs reddita est: Quæ nunc paret Caroli Cæsari, adempta iterum Gallo per nostrates exercitus.

*Scoti in Anglia cæduntur. Caput CLXXII.*

QVo tempore Morinum & Tornacum vrbes in hostium potestatem venêre. Scotorum rex Iacobus infestis copijs Angliæ fines inuasit, futurum sperans, vt rege absente, totam insulam paucis diebus subigeret. Vbi verò id nuntiatum Reginæ est, mulier animumque

mumque gerens, curamque virilem mira celeritate contracto exercitu, infestis hastis, clypeis, armis cum hoste concurrit; fuitq; hac pugna superior ipsa. Scoti fusi fugatique sunt. Multi ex his cæsi. Periit hoc in prælio Rex ipse Iacobus adhuc ętate florens, & cum eo nobiles plurimi. Tradunt quidam venisse in Angliæ fines Scotum, vt in nostris locis aduersus Gallos belligerantem Henricum auerteret, adque regni sui defensionem reuocaret, hoc pacto Gallorum regi Ludouico gratificaturus.

*Caroli educatio. Caput CLXXIII.*

QVia nullum tam fœliciter natum est ingenium, quod peruersa nō corrumpat educatio, & nihil referat filiū genuisse imperio, nisi eundē cures educandum imperio; vt pijs & integris nutricibus comitteretur, Gandaui natus filiolus, pater Philippus curauerat. Quo in Hispanijs mortuo, Cæsar annus magna cura dispicere cœpit, quibus viris primam nepotis mellitissimi ætatē, Principe dignis moribus & literis instituendam traderet. Ex vniuersa patria delecti sunt Guilielmus Ceuerius Princeps, & Adrianus Florentius, qui tunc erat Louaniensis scholæ Cācellarius; ambo viri & sapientes & incorrupti, quos in rectè instituendo adolescente, frequenter fidelem audiui ac strenuam nauasse operam, nec priuatum emolumentum, sed patrię spectasse vtilitatem.

*Carolus Brabantiæ Principatum suscipit. Caput CLXXIIII.*

SIc educatus, sic institutus noster Carolus, anno ætatis quintodecimo, Louanij, quemadmodum pater, auus, & proauus fecerant, Brabantiæ Principatū suscepit, non vnius tantum vrbis, sed & omnium nostratium Prouinciarum gaudio incredibili. Carolo enim conspecto, & in administrationem imperij iam solenni ritu inaugurato, non Traianū dico vel Antonium piū, vel Epaminundā (quos ita fuisse bonos existimo, vt tamen vitijs magnis nō caruerint) sed qualē Deus ipse in

libro Deuteronomij describit, hoc est, optimum & sanctissimum Principē sibi omnes homines pollicebantur; sub quo quasi fatali sydere afflati, ad meliorē se frugem conuerterent. Creditum est enim nullum Cometā, fatalem vim nullā sic res moraliū afficere, vt vita Principis rapi ac transformari mores & animos ciuium. Incidit hæc inauguratio in eum humanæ salutis annū, qui fuit quintusdecimus supra millesimum quingentesimum.

*Carolo Middelburgi apud Selandos agente, Gelrij Hollandiæ oppida quædam capta diripuerunt.*
*Caput CLXXVI.*

Biennio post, durante adhuc bello Gelrico, Fœlix Comes incēsis Gelriorum nauibus, arcē quandam munitissimam vi cœpit, vnde nostratibus hostis multum antea incōmodauerat. Sub idem tempus, Carolo Principe agente Middelburgi in Selandia, vt inde secundo vento in Hispaniā traijceret, Gelrij cū equitatu validissimo, pedestribus etiam copijs Hollandiā ingressi, oppidum Medelblicum vi captum, diripuerunt hostiliter. Processum est inde Alcmariam. Qua vrbe occupata immensum argenti pondus & auri, vestes preciosas aliaque permulta secum auexerunt. Hinc Sparēdamum, hinc & alia quædam loca sunt incendio absumpta. Postremò ad oppidum Asperam ductus exercitus, mœnia ter conscendit, toties repulsus à ciuibus. Mille iam & quingenti in Gelriorum copijs desiderabantur: quum occupata & vi capta vrbecula, viros cū vxoribus, & liberis, alios ferro super alios confecit hostica rabies. Sunt & templa Diuorum ad quæ plerique confugerant humano fœdata sanguine. Pueruli in scholis reperti suis crudeliter necati. Quibus æditis in oppidanos crudelitatis generibus, infœliciter natas virgines mulieresque, etiam in propatulo constuprauerunt. Hic te rogo, Carole Egmondane, cuius hæc iussu & mandato fecisse militem constat, num te postea flagitio orum pœnituerit? Si magnanimus haberi volebat non ita sæuire debuisti in victos. Aliena est ab officio magnanimi

nimi Crudelitas. Omninò fortis animus & magnus, parcere multitudini innoxiæ. In omni fortuna, recta atque honesta retinere solet.

*Caroli in Hispaniam profectio. Caput CLXXVI.*

CArolus cum egisset fermè tres mẽses in Vualachria Selandiæ insula, tandem, flantibus ventis nauem ascendit. ac mare ingressus, horrendũ vidit spectaculum, ante suos oculos pereuntem nauiũ vnam incẽdio. In qua combusti & homines & equi complures singulari forma ac magnitudine. Post dies inde octenos gaudio ineffabili conspectus Hispanis, & singulis penè oppida summa cum veneratione faustis acclamationibus exceptus; totque pulcherrimis ac florentissimus regnis est inauguratus: Populis quoquo se contulisset studium in eum propensum, atque egregiam voluntatem pollicentibus.

*Cæsaris Maximiliani obitus, & quædam alia de eodem memoratu digna. Caput CLXXVII.*

ANno salutis nostræ M. D xix. mense Ianuario, Cæsar Maximilianus fatalem diem obijt in Germania superiore, quum esset ingressus annum ætatis lxiii. Quod vt palam factum est hac nostra inferiore Germania, luctus ingens atque mœstitia per omnes fuit ciuitates. Quibus ob clementiã, placabilitatẽ, voluptatum omniũ abstinentiam, virtutesq; alias fuerat longè carissimus hic Princeps. Cuius vt vitæ, velut summã partem proponam, cõtinuos nouem annos in castris agens, difficillima quinque bella proffligrauit, Gallicũ, Eburonicum, Sicambricum, Batauicum, Morinicũ. Hic nobilissimę gentes, hic scientissimi bellicę rei populi, hic vrbes opulentissimæ ad deditionem & pœnitentiam ab eo compulsæ sunt. Quale nihil socer Carolus, nihil prosocer Philippus excellentissimi Duces vnquã consequi potuerunt. Quot hyemes cum cætero milite sub pellibus egit? Quot sudauit æstates? Quis vnquã eo solertius castris locũ cepit? commeatus expediuit? hostẽ ludificatus

est? Nullum huic Castrense munus sorduit. Quoties pro signis ipse stetit? Quoties egit forte excubias? Quoties vallū tulit? Quoties speculatū egressus est? Neq; verò postremum inter huius laudes viri ponendū, quod literas & ingenia tā impensè dilexerit, quodq; bonas artes nō fouerit modo, sed alluerit, atq; promouerit. Iuuentutem nemo religiosius, nemo innocentius, nemo vnquam sanctius exegit. Nemo fuit vnquam patri obsequentior filius. Auxit huius matri desideriū Principis, atrocitas insequentium temporum.

*Carolus Romanorum Rex eligitur. Eiusdem in Germaniam profectio: Hæresis Lutheranæ damnatio Caput CLXXVIII.*

In Maximiliani locum Carolus, huius nepos, Principum suffragio Imperium adipiscitur. Agebat is tum in Hispanijs. Vnde per Legationē euocatus, anno redempti orbis M. D. xx. in Flandriam applicuit sub Calendas Apriles. Partim hic, partim Bruxellæ, & Mechliniæ exacta æstate, cum omni fortunæ suæ strepitu mense Octobri Louanium venit. Qua in vrbe dies circiter viginti commoratus, Aquisgranum proficiscitur. Vbi exquisitissimis honoribus acceptus, & Imperij donatus insignibus, Coloniam, inde Vuormatiam Vangionum se contulit. Nullus vnquam Principum studio maiori, & ciuitatum luxu cultus est: nulli plura exhibita sunt spectacula. Vuormaciæ celebri conuentu Germaniæ Principum, qui ad eius Edictum huc conuenerant, damnata est Lutherana hæresis. Testaturque id eiusdem Principis Edictum Imperiale.

*Obitus Cardinalis Croy, & Guilielmi Ceuerij, Bellum inter Cæsarem & Gallos ortum. Caput CLXXIX.*

Durante conuentu Vuormatiensi duo amisit Aulæ suæ præcipua ornamenta Carolus Imperator, Guilielmum Croiū Archiepiscopum Toletanū, & Cardinalem, qui ex Louanio Carolū Cæsarem electum in Germaniam secutus, iuuenis Vuormatiæ decessit, mēse

Ianua-

Ianuario, ætatis anno xxviij. Louanij in templo Diui Petri è regione macelli feneſtra vitrea huius eſt opus. In eadem vrbe Vuormatienſi Guilielmus Ceuerius, Toletani patruus, vir conſilio magnus, ægrotare quum cœpiſſet menſe Maio anni eiuſdem, non multò poſt naturæ conceſſit. Cui viro ſi longior vita contigiſſet, aut nunquam ſuſceptum fuiſſet (erat enim pacis amantiſſimus) aut iam confectum eſſet bellum, quod exarſit poſtea inter duos potentiſſimos Chriſtiani Principes, Carolum Cæſarem, & Galliarum regem Franciſcum. Cuius initio belli noſtrates ſubitò acceſſu occupatis Gallorum aliquot oppidulis, cum ingenti exercitu ad Maceriam vrbem armis vindicandam profecti, locum capere non potuerunt, quem natura munitiſſimũ Gallica inſiderant præſidia. Quidam putant hoc conſilio à noſtris obſeſſam fuiſſe Maceriam, ne Gallus Mediolanum properaret, quod tum Cæſar Carolus maximis viribus obſidebat.

### *Mors Leonis Papæ decimi. Electio Hadriani Sexti, & eiuſdem obitus. Caput CLXXX.*

ANno inſequenti, menſe Decembri Leo huius nominis decimus Pontifex Maximus Romæ moritur.

In cuius demortui locum, Anno Chriſtianę redemptionis milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo, menſe Ianuario cœli Prouidentia orbi Pontificem dedit Hadrianum Florentium Vltraiectenſem à Vltraiecto inſigni Hollandiæ oppido Cardinalem Sanctorum Ioannis & Pauli, eximia ſacrarum Literarum doctrina, atque omni virtutum genere ornatiſſimum virum, quẽ adhuc in minoribus agentem Cæſar Maximilianus Caroli nepotis pueritiæ formatorem ex Louanio aſciuerat. Habuit orbis noſter hunc primum Pontificem Romanum à Petro, eſtq́ue vocatus Hadrianus ſextus, nomine ſeruato, quod olim in pabtiſmo acceperat. Cum Romæ eligeretur magno Cardinalium conſenſu, agebat is tum in Hiſpanijs, regnorum Caroli Cæſaris gu-

bernator: aberat enim Carolus ob negotia Imperij. Post octo deinde mẽses Romam veniẽs, maximo totius vrbis gaudio pridie Calend. Septemb coronatur. Sub cuius appulsum ingens exorta pestilentia, durauit ac sequit hyemem vnam. Rhodos quoque à Turcis capta. Cuius oppugnandæ hostibus occasionem præbuisse existimo, has intestinas Christianorum Principum discordias. In hoc etiam viro nominis illud verũ ostensum est. Omnia in humanis quo meliora, eo minus diuturna esse. Nam vt optimus eius Pontificatus futurus, ita breuissimè effluxit. Moritur enim altero suæ administrationis ineunte anno. Extincti corpus illatum templo Petri Apostoli sepelitur, medium inter duos Pontifices appellatione Pios, Secundum, qui Aeneas Syluius antea dictus, & Tertium, quem Alexandro suffectũ, viginti sex dies, non amplius Pontificem nostra vidit pueritia. Hadrianus domum suam Louanij magnificè extructam, in vsum vertit sanctis literis studentium, ijsdem in alimoniam relictis etiam prouentibus annuis. Nunc ad bellum recurro, quod alio dixi loco exortum inter potentissimos Principes.

*Memorabilis obsidio Ticini siue Papiæ, Quæ anno post Christi ortum M. D. XXIIII. sub Calend. Octob. à Francisco Christianissimo Galliarum Rege aduersus Carolum Cæsarem inchoata, exijt in Calend. fere Martias insequentis.*

*Cap. CLXXXI.*

ADuersus Carolum Quintum, Hispaniarum Regem, & iam electum Romanum, terra marique præpotentem Principem, spiritus erigere est ausus rex Galliarum Franciscus eius nominis primus, vel quia prælatum sibi in imperio Carolum ęgre ferret: Miserat enim & ipse non vnam Legationem ad Electores sacri Imperij) vel quia illustrandi nominis occasionem quæreret Siquidẽ persuasum est, nescio quomodo Christianis Regibus haud fieri posse, vt alia via quàm bellis inter se gerendis, imò fortasse verius dixerim, exercẽdis

latro-

latrocinijs, immortalitatem parent. Itaque belli huius initio Gallus quædam loca nostratibus, nostrates Gallo ademerunt. Vtrinque à belli Imperatoribus res curatæ haud segniter. Quid casu, quid industria parari possit, hinc atque illinc prospectum est. Tandem & Mediolanum Gallo adiuit Carolus: Eratque supra millesimum quingentesimum, vigesimus quartus à Christi natale die annus, cum Septembri mense exercitus Cæsarei Massiliam obsiderent vrbem insignem & antiquam transalpinæ Galliæ. Duces exercitus erant Carolus Borboniæ Princeps; qui nuper ob causas multò iustissimas, à Gallo ad Cæsarem defecerat & Marchio Piscariæ vulgò sic nominatus, ambo viri ad omnia vel excogitanda, vel explicanda consilia prudentissimi. Gallorum Rex Franciscus per idem tempus ex diuersis Europæ locis acri delectu vndique habito, magnos contraxerat exercitus ad soluendam Massiliæ obsidionem. Huc iri, huc properari, noctes diesque cum audissent Cæsareæ Duces militiæ relicta Massilia, copias alio suas abduxerunt. Erat enim viribus longè superior Gallus: Cui cum renunciatum esset totam fermè Insubriam pestifero morbo vastatam, grassari, sæuireque indies hoc malum inclementius, cum tam instructo exercitu Italiam petere constituit. Cuius bonam magnamque partem se sperabat facilè & paucis quidem diebus in suam potestatem redacturum. Is mira igitur & incredibili celeritate superatis alpibus, ineunte Octobri agrum Mediolanensem attigit. Interea pari studio est eo properatum à Cæsareanis Ducibus. Hi Papiam aut (vt veteri dicam nomine) Ticinum, illius Duces cum equitibus aliquot Mediolanum ingressi sunt, Regi & copijs eius hospitia petituri. Hæc agitantes subitò oppressit ferdinandus Archonus, qui Præfectus erat castrorum Cæsaris. Intra mœnia occisi aliquot, cæteri qua poterant fuga dilapsi. Haud multò post Neapolitanus Vicerex cum suis & ipse copijs eo properauit. Cuius aduentu Principis dictu mirum, quàm tota exultauerit ciuitas. Ducibus in animo erat,

huc

huc vniuersum traducere exercitum, vrbemque defendere, si quid Gallus moliri vellet. Sed dum neque muro aut vallo satis munitam, neque in turribus & propugnaculis quicquam bellicarum vidissent machinarum, relicta ea, Laudem Pompei venerunt. Deinde Papiam (sic enim nunc libet notiore vulgò appellare vocabulo) d x concessit Cæsarius Antonius cognomento Leyua, vir imprimus strenus. Quanquam æstate quæ præcesserat, ingentē ciuium vim absumpserat morbus pestifer. Antonius tamē oppidum hoc defensurum se facilè sperabat aduersus gentē Gallicam. Sub Calend. itaq; Octob. hostium exploratoribus in Papiensi agro cōspectis, Dux ipse vna cum Præfecto castorum Cæsaris mœnia obequitans muniri loca omnia , ferrea & ænea tormenta, lapidesque tormentarios subuectari, aggerem intus substrui. Denique nihil non eorum parari iubet, quod ad arcendum hostem pertinere existimaret. Dum hæc Papiæ aguntur , à ciuibus & milite qui intus erat Gallorum Rex cum suis proceribus, ad Carthusianorum haud longè ab oppido dissitum cœnobiū, venit quinto Calend. Nouemb. Eodem tempore & ab huius exercitibus obsideri atq; oppugnari cœpta est Papia. Hic Cæsareani, vna atq; vltra impressione sustentata, Gallos aliquam multos trucidant, alios in fugā agunt. Postridiè vniuerso Ticini occupata suburbio, Galli molendina (sic enim vulgus nominat, quibus ad victū quotidianuū paratur farina ciuitati) partim ferro subuersa in flumen præcipitant, partim ignibus dedunt: Ita futurum sperantes, vt his sublatis, propediē panis laboraret inopia ciuitas. Verùm huic malo statim occursū ac inuentum est remedium, factis intra mœnia ligneis huiusmodi molis, quas æqui pariter ac homines in gyrū ageret. Hic passim in Sa ellis, iu Scholis Legum ciuilium (est enim hæc vrbs Gymnasio quoque insignis) farinam parari vidisses. Turricula erat in ripa Ticini haud longè à mœnibus . Vnde Hispanorum armata manus facilè Gallum prohibebat , ne ad vrbis murum accederet. Hic certatum aliquandiu cum esset, neque

rebus

rebus indies pessum eũtibus amplius ferre vim hostiam possent, Hispani corporum pacti incolumitatem, se dedunt. Victor Gallus contra fidem datam omnes, qui eũ paulò ante locum tutati fuerant, suspendio necauit. Quam rem, vt parerat, iniquissimo tulit animo dux Cæsarius. Turrim Papiẽsibus ademptam Gallorum aliquot pedites conscendunt, omni telorum genere diuexantes Germanum, qui ea parte ad tuenda mœnia dispositus erat. Iussu Ducis Antonij tandem eo aduecta machina, quæ huic finem incommodo maloque fecerit. E muro enim ferreis iniectis globis non sine Gallorum strage corruit turricula. Octauo Idus Nouembris de communi sententia ad oppugnandam vrbem totus fermè exercitus rapitur: magnoq; bellicarum rerum apparatu instructus, ad ipsas quoque fossas admouetur. Qui intus erant vasa lignea, terram, alia multa cõportare, aggeres erigere, nihil hosti opportunũ relinquere, nihil sibi quod idoneum ad depellendum esset neglectum permittere. Hoc statu rerum Hippolita Malaspina, singularis animi mulier, nunc plures Germanos, Hispanosq́ue nunc singulos coram benignè appellasse, fortes confirmasse, timidos erexisse, alios alia ratione cohortata, & vt bonum haberent animum iussisse traditur. Biduo post disiectis primum haud vno loco muris bombardarum ictibus, acerrimè pugnatum est, dum neutri cedere loco volũt. Tandem strage multa superati Galli, alij interficiuntur, alij in fossas præcipites dantur. Hoc nondum peracto prælio, Galli alia vrbis parte ciues multa vi oppugnãt. Sed maiore aliquanto ijse defensitantes resistunt. Interea Antonius Leyua Cæsareanorum Dux exercituum suos admonere, Pulchrius esse nihil, quã pro gloria certare. Meminisse eos debere cum hostibus rem geri, quos sæpè alias vicissent ipsi. His vel paucis accensi milites, ferocius multò ad pugnam processere, victoriam sibi certam promittentes. Fusus tandem sub vesperam Gallus, multi cæsi, multi in fossas præcipitati, & lapidibus obruti, quorum casu cõsternati, alij deserta oppugnatione trepidi se in castra recipiunt. De hac victoria Antonius

ſtatim datis ad Viceregem Neapolitanum literis,fatigatum militem paſſus eſt conuicijs ac luſibus ſe reficere & quietem capere. Interim ipſe haud decere exiſtimans Principem virum,cui exercitus commiſſi ſunt, in cuius cura pendent rerum tanta momenta ſolidam dormire noctem.Qui fracti erant aggeres inſtaurandos, trabes, grandia ſaxa in munitiones deferenda curat. Vrbemque obequitans,nihil vſquam neglectum patitur. Vrbe tota ſupplicationibus decretis immortali Deo ſunt actæ pro victoria gratiæ.Per eoſdem dies apprehendit equitem quendam Antonius, qui Gallorum Regi ſignificaſſe dicebatur in vrbe multam eſſe pulueris tormentarij inopiã, Vigilare & ipſe haud fieri poſſe, vt obſeſſi reſiſterent diutius. Hic talis quæſtioni ſubiectus, crimen cõfeſſus eſt, ac publicè exenteratus membratim diſſecatur, ad omnem proditionis materiam in futurum tollendam. Sub exitum menſis Nouembris Galli animaduertentes qua parte oppidi labitur Ticinus amnis(vnde vetus vrbis nomen) ſine foſſa & vallo eſſe mœnia ſtatuerunt ab alueo veteri in aliam partem, aquas deducere,vt ita facilius ad patientia vrbis mœnia peruenirent. Res tentata, coniectis in alueum trabibus, ramis, & arborum Truncis maximarum. At non ſuceſſit,impediri enim haud potuit ne in conſuetum recurreret locum Ticinus. Hic dum Gallus in caſſum per dies aliquot laborat, Cæſariani interea totam eam quæ fluuium ſpectat, partem excitato aggere muniunt. Secundum hæc milites Germani,cateruatim ad Ducem cõcurrentes,ſtipendia ſibi debita exigere,vnde ſe veſtiant,vnde ventri quoque ſatisfaciant. Dux Antonius audita militum querela,vt nihil ſupereſſet nummorum,animo vehementer anxius diuerſa ſecum & cum ſuis conſilia agitare cœpit. Decretum eſt tandem, vt mercatores pannarij militem veſtirent, ſoluta obſidione à Cæſareo Quæſtore pecuniam accepturi: Nummos exteri mutuo darent. Verùm hinc modica coacta ſumma eſt. Rari enim ciues, rarus erat in vrbe mercator. Bonam namque ciuium partem ſuperior aſſumpſerat peſtilentia,

lentia, multi quoque iam impendente obsidione, Papiā reliquerant. A Præfectis igitur oppidi magna salis quātitas, & quod mutuum ab Alexandrinis quibusdam negotiatoribus, qui eo venerant accepissent. Venditum publicè frumentum. Sed vbi nec his quidem modis tantū contrahi potuit signatæ pecuniæ, vt militi solueretur, nobilis Dux Antonius sua argentea vasa omnia cōflari & in nummos conuerti iussit, vnde stipendium est militi subministratum. O virum cantari dignum. Hic argenteam suppellectilem, vt bellum gereret, vt ciues defenderet, conflauit; Alij vt ciues suos expilent, vt aurea & argentea vasa comparent, bella gerunt. Crescere cœpit hoc tempore obsidionis calamitas. Tāta enim laboratum est inopia rerum omnium, quæ ad victum pertinent, vt equinæ carnes & asininæ obsessis pro cibo fuerint. Mali huius datā causam existimo, quod vbi haud multò ante allatus intra vrbem nūtius fuisset, Caroli Cæsaris propediē vētura auxilia, in magno & publico gaudio exercituum duces, prandijs aliquot nimis opiparis militem adhibuerant, vnde penuriā absumptis omnibus nasci fuit necesse. Per eosdem dies etiam lignis ad cibum coquendum deficientibus, miles pulcherrimas ciuium ædes diruit. Tam durum est telum necessitas. In his malis iterum lacessere obsessum Gallus; Germano excubias agenti, asininæ carnis esum exprobrabant. Quibus commoti per castellum protomartyris Stephani vicinum ædiculæ, se proripientes, Gallorum vnam cohortem fudere. Hic addunt quidam hominem Minoritam, cui Antonius Leyua quotannis cōfessionem facere solitus erat, ad hunc à Francisco Gallorum rege extrusum vt de tradenda sibi in manum Papia cum eo ageret, futurum vt à Rege magnam auri vim, atque annuos acciperet prouentus amplissimos. Primum Dux egregius, quique fidem muneribus anteferret. Te, inquit, Monache cum tua isthac præclara legatione laqueo vitam hodie finire iuberem, nisi cognita mihi esset in te morum probitas, vitæque sanctimoniā. Proinde abi, neque de re huiusmodi post hac me adeas.

Regi

Regi tuo, qui huc te misit renunciabis Papiam Cæsaris esse; quam si suam esse velit, armis & suorum sanguine nobis adimat oportet. Nihil remisit per hos dies rerum omnium caritas. Iam Philippeo vna emebatur gallina, eoque paulatim res inualuit, vt vix iam equinæ & asininæ reperirentur. Quum obsessi penè quotidie in hostium castra excurrerent, eosque sæpius nihil tale metuentes adorirentur, Gallus ambitum vrbis quantus esset, fossa & vallo cingere festinat. Simul ne Papiensium exploratoribus, si quando exissent, facilis esset in vrbem reditus, neque auxiliares copiæ ad obsessos ingredi sine pugna valerent, Rumor enim in castra Gallica manauerat septem Germanorum milia aduectare subsidio Cæsareanis, easq; copias ad ciuitatem Laudēsem profectas, partim intra muros, partim sub mœnia consedisse. Hac itē causa Rex Galliarum magnis stipendijs, maioribus pollicitis, ad se accersiuit Ioannem Mediceum, bellicosum, acrem, atq; in victorijs enutritū virum. Qui in Regia castra cum armata peditum, manu peruenit pridie Nonas Decembres. Huius aduentus spem victoriæ magnā Gallorū Ducibus, maiores Regi spiritus excitauit, qui sub appulsum candida vexilla quindecim haud lōgè à ciuitatis muro disposita ostentat, ita futurum ratus, vt nouitate rei & spectaculo insolito perterrefaceret hostium animos. Dehinc eiusdem pedites, admotis ad vrbem schalis, eam capere sunt conati. Sed accurrens tēpestiuè Germanus impetu facto, militem Mediceum facilè deijcit. Iterum stipendia efflagitare Germani, quibus & strenuis, & in eo rerū statu necessarijs militibus, vt per omnia satisfieret belli prudentissimus, Imperator Antonius pecuniam quantam posset publicè, priuatimque vt corraderet, à canonicis templi maioris mutuum accipit. Fasces, insignia, vel argenteos, vt puto, baculos, qui Ticinensis scholæ rectori ad comitia vel eunti alio præferri consueuerant, etiam mutui nomine acceptos in nummum conflat. A singulis quoque ciuibus aliqua pecuniæ portio data est. Acceptis hinc stipendijs Germani, quocūq; res vocaret, alacriter ire, nusquā imperia detrectare,

detrectare, nulla non in re officij memores esse. Per hos dies multò erat annona carior, & cibariorum inopia maior. Nusquam nunc vidisses in foro venales perdices, turtures, & fasianos. Porrum & cepe in horum successerant locum. In macello tantum equina & asinina, panis furfuraceus per omnia vrbis loca venundabatur. Iam Dominici natalis aderant festi dies, quo tempore Alphōsus Ferrariæ Princeps magnam tormentarij pulueris copiam transmisit ad regem Gallorum Frãciscum. Hic puluis vt tuto castris inferri posset, Ioannes Mediceus cum satis magna equitum manu ad septuaginta passuum milia contendit obuiam. Aducto puluere, Gallus exultans minitabatur se colubrinis, Bombardis, omni armorum genere Papiam breui oppugnaturum. Hic ingens terror ac trepidatio ciuitatem inuaserat. Virgines matronæ, sacerdotes templa adire ac Diuorum opem implorare iussi, pacemque per aras exposcere. In tanto metu valdè confirmati sunt militum pariter & ciuium animi, quum insignis Dux Antonius in Senatu literas recitasset, quibus à Vicerege Neapolitano certiores fierent, cum octo Germanorum milibus, & sexcẽtis è Burgundia equitibus in Veronensem agrum venisse ducem Borbonię, adfuturumque eum propediem. Extitit paulò ante hos dies frigus atrocius, vt rursum necesse fuerit ex ciuium ædibus, ligna ac trabes ad ignis vsum reuellere. Nonis Ianuarijs Galli turrim quandam in mœnibus sitam, machinis & tormentis æneis quatere incipiunt, biduo tamen continenter quassata, partim concidit. Hosti præter spem hæc res euenit. Constituerant enim si tota corruisset, per ruinas eius in vrbem ingredi, id quod factu non difficilè fuisset. Nulla enim fossa ad eam erat vrbis partem. Haud multos post dies arcem quandam strenuè magis quàm feliciter oppugnare adorti magna suorum strage è fossis mœnibusque sunt repulsi. Quanquam nec Germanis, qui arcem defensitabant incruenta hæc fuit victoria. Postridie Hispani cũ Germanis vallum conscendunt, magnoque impetu in tormentorum custodes illati, prælium committunt. Cęsis ple-

ſis plerisque, alios in vrbem captiuos ducunt. Hic edocti à Gallis & Italis, Gallica ſigna ſequentibus, Regem de oppugnanda iterum Papia mutaſſe ſententiam: Conſtituiſſe tamen in obſidione cum omnibus copijs totoq; apparatu bellico perſeuerare. Quod per exploratores quum intra vrbem norit copias militares rei frumẽtariæ, & extrema penè cibariorum inopia laborare. Decreuit hac ratione comeatu interclůſo ad deditionem illos cogere. Narrant quidam hoc eodem tempore in ſtabulo quodam Papiæ inuẽtos equos, qui quum nihil haberent, quo latrantem poſſent placare ventrem. Ligna comederint, lapides roſerint, Hoc vt parum credibile, adſcripturus non eram, niſi in eius Commentarijs reperiſſem qui ipſum per totum hoc tempus Papiæ fuit, quo obſidebatur Iam tertium ſtipendia petentibus, Germanis decretum eſt, vt cupediarij ſanii, pharmacopolæ, ceterique ciues, qui opificio manuario quæſtum facerent, aliquam darent æris portionem. Antonius ipſe vt nuſquam non eſſet ſui ſimilis, quod geſtabat aureum monile conflauit. Hiſpani armorum Duces quidam opulentiores, mutuum dederunt. Hac pecunia placatus miles, Ducibus ſuis per omnia paruit. Hic taceo crebras Ticinenſium in Gallos eruptiones & pugnas, & leuia pleraque inita certamina, quibus nunc cæſi multi, nunc multi etiam capti. Sexto Calend. Februarias dux Borbonius, vir fortis & multis rebus geſtis clarus, repentè cum valida manu apparuit in agro Laudenſi. Hæc res ad Gallum vbi manaſſet, poſtridiè mane tormenta omnia, quæ vrbis mœnia ſpectabant, auehẽda curauit ad locum qua venturas putauit hoſtium copias; ita prohibiturus, ne proprius accederẽt. Militẽ quoque in vrbeculas, quas occupauerat hyemantem, ad caſtra vocauit. Quæ per totum Februarium menſem & Ticini, & in hoſtium, caſtris acta ſunt, non tam prætermitto, quam ad maiorem ſcribendi reſeruo diligẽtiam. Borbonius verò, & vicerex Neapolitanus, vbi iam Gallos adoriri ſtatuiſſent, rati quod poſtea ſucceſſit, ſuperiores ſe futuros, cũ ſuis propius acceſſerant exercitibus. Iamque dies venerat, qui

ſextus

ſextus eſt ante Calend. Martias, quo tempore ex loco caſtrorum eminentiore Papienſibus, qui plus quatuor iam menſes incluſi tenebantur, belli data ſigna. Quod vbi intellexit copiarum Cæſaris in vrbe obſeſſa, Præfectus mire exultans: bona enim ſpes habebat animum eius futuræ victoriæ, conuocatis ſuis: Nunc animis opus eſt milites, inquit, vocati nos Fortunam ſequamur. Nacti virtute eſtote; qua me euntem videtis, ſequimini ducem. Hæc vbi dixit, relictis qui vrbem tuerentur, copias educit. Primum omnium tribus locis effracto arietibus caſtrorum muro qui Gallicas acies egregiè tuebatur, Cæſariani vallum irrumpunt. Rex vbi hoſtem intra munitiones eſſe audiuit, ſub auroram (erat enim dies Matthiæ Apoſtolo ſacer, qui eſt Februarij quartus & vigeſimus) iubet vna cum bellicis machinis obuiam ire armatos qui reſiſtunt & Cæſareanos prohibeant? Itur, pugna committitur varia, atrox, cruenta. Et iam Galli noſtratium bellica inſtrumenta maiora obtinuerant. Cæſariani cedem retrahebāt, quum Alphonſus Marchio Vaſtienſis, vir conſerendis manibus audacior, in Gallicas penetrauit acies. Cuius aduentu reſumptis animis, noſtri in hoſtem (erat hic Heluetius) redeūt. Voces pugnam inſtaurantium Cæſareanorū exaudiebātur: Cædite gladijs, figite haſtis, ſternite iaculis, Hactenus ita prælufum eſt futuræ pugnæ. Iam Borbonius ſingulari prudentia vir & bellicis rebus cuilibet ferè veterum comparandus, ita ſuos paucis quidem, ſed efficacibus verbis hortatus dicitur. Nihil refert, viri fortiſſimi, quot peditum, quot equitum milia Gallus ad Papiam adduxerit, quando cum longè maioribus copijs ſæpius ac proſperè ſemper conflixeritis. Adhibere modo animos alacritatis ac fiduciæ plenos. Haud enim in limine veſtrorum laborum, ſed in exitu ſtatis, Gallorum (vt ſpero) victores domum reuerſuri, ſi paulum adhuc niti volueritis. Credite, vos ad prædam & gloriam, non prælium vocatos, Digni eſtis qui talibus, quibus abundant hoſtium caſtra in patriam onuſti redeatis. Ad quæ ducis optimi verba ſequutus ingens militum clamor

ſe omni-

se omninò paratos esse, dicentium Imperatorem suum per æqua et iniqua sequi. Libenter ituros ad vnum omnes quo ipsius Fortuna duceret. Iam enim Mingaualius aderat Vicerex Neapoli. Is quoque militem hortari, vt acriter pugnaret, sciret illius victoriam diei Galliarum maximas opes Cæsareanus in prædam daturam. Hæc ille, & alia similia, quæ in tali discrimine à facundis Imperatoribus adhiberi solent. Ex aduerso stabāt & instructæ aduersarum partium acies. Et iam signis canere incipientibus, renouatum est prælium, magnis & infensis vtrinque animis, nec spe militum dissimili, Cæsareanis sua virtute, hostibus militum copia fretis. Marchiæ Piscariæ Cæsareanus, ante suorum nunc ora ferri, nūc hostem inuadere, peditem immittere, hortari voce, manibus significare socium adesse se periculorum omnium atque adiutorem. Vidisses & hic Borbonium ferientem, cædentem, in hostem incurrentem, vulneratos ex acie subduci iubentem, integros submittentem. Multi vtrinque vulnerabantur equi & viri, pediti pedes, equiti eques, singuli penè singulis aut ense aut hasta sibi aduerti pugnabāt. Rex Galliarum, vir militari disciplina, tum corporis, tum animi viribus æquè clarus, & ipse fortiter dimicans, vnius vexiliferum legionis Germanicæ an Hispanicæ incertum est, sua manu confodit. Horā ferè vnam dubius fuit, & anceps pugnæ euentus, quum repentè suorum casu pedites Galli consternati, primum loco cedere, mox terga simul vetere cœperunt. In prælio trucidati à Germano milite Sueui propeomnes, & qui pro Gallo steterant Itali. Ex Heluetijs mille quingenti; Duces quoque Francorum exercituum præstantissimi. In quibus classis Præfectus vnà cum filio, dux Monfortius, Princeps Tremolius, Busius, Caiamonius, Bubansius. Iacebant humi passim equis effusi nobiles pariter atque ignobiles. Quidam adhuc palpitantes alij vt suo vestitu obriguerant aut ensem aut parmam tenentes. Crudelis vbique luctus, vbiq; pauor & plurima mortis imago Stabat iā rex Galliarum vndiq; telis expositus, quum suis hortantibus, vt re iam inclinata in prælio excederet,

Non,

Non faciam, inquit. Hic extingui pulchrum mihi & laudabile existimo. Ea sum stirpe, ijs maioribus ortus, vt non tam longam vitam, quàm nominis æternitatem optare debeam. Hæc ita loquutus, cum suis iam ad salutem magis, quã in spem victoriæ, aduersus hostem dimicat. Verùm vbi extrema acies à Cæsarianis est Equitibus circumuenta, & à fronte alij vrgebant infestius rex Franciscus viribus, auxilioq; destitutus, capitur, & cum eo Rex Nauarræ, alijque plurimi nobiles viri, Pontificis Romani legatus, Princeps Mamoransius, Florenges, Lescũ, Bonaualle, Durantius, Bosula, Brion, Valmontius, Obenignus, Santememius, Camesiensis, Lorges, Naures, Riaus, alijque permulti. Ex militibus gregarijs, qui profligata acie effugere sunt conati, multos cum totis armis in Ticinum desilientes, rapidus amnis absorpsit. Alij, ab occursantibus media planicie equitibus interfecti, capti sunt alij Horum tanta multitudo, vt capientium numerum vicerint. Quos omnes postea armis exutos, Borbonius incolumes dimisit. Cæsarium in prælio numerum, quidam ad septem, quidam ad decem millia redigunt. Nec tamen incruenta hæc stetit victoria Cæsari, in cuius exercitu præter insignes aliquot Duces octingẽti ferè desiderati. Alãzonius Princeps Gallicarum partium videns suorum stragem, quadringentis cum equitibus è manibus hostiũ elapsus, Galliam versus quam maximè citato cursu, contendit, & Lugduni febricula correptus, perijt. Hanc victoriã cum qua nullius vnquã veterum Imperatorum, nec laureas, nec auratos currus posse comparari existimo. Cæsariani adepti cum præda, captiuisque Regibus, ac tota ferè Galliarũ regni nobilitate, Papiam ouantes repetunt, magna ciuiũ quoq; lætitia & gratulantiũ acclamationibus, vrbem, longa iã obsidione liberatam ingressi. Hic si vnquã alias, nihil omninò esse res hominũ cernere licuit. Quũ rex paulò ante copijs egregiè ad belli vsus, tum armis, tum exercituum ductoribus, ac bellandi peritia instructissimus, Italiam ingressus, repentè omnibus, & copijs, & armis exutus in potestatem hostium venit.

*Tumultus Germanorum.* *Cap. CLXXXII.*

Dicam nunc de rebus Germanicis, quæ per idem ferè tempus acciderunt. Lutherus palam in concionibus, ad quas audiendas semper confluebant ingens turba mortalium, multa in Principes, in prælatos, in Episcopos quũ diceret, Cæsarem vermiũ saccũ, Principes tyrannos, Prudentiorem esse Turcam, & meliorem quã Christianæ Reipub. gubernatores, & alia id genus permulta, scriberetq; in opusculis & libris: Deus libera nos ab his tyrannis. Tolle quæso è medio amarissimos pariter ac superbissimos Ecclesiæ Proceres. Populus his accensus dictis, tandem insurgere ac tumultuari cœpit, & conspirare aduersus eos, qui principatum aliquem intra superiores fines Germaniæ obtinerent.

Anno restitutæ salutis Millesimo. Quingentesimo, xxv. Calend. Ianuarij, vulgus hastis, fustibus, gladijs, securibus, & quæ præterea furor in arma conuertere solet, direptis, in Abbatem dominum & gubernatorem suum ferociter inuehitur. Principes alij hos placare & compescere conati, omninò nihil effecerunt. Magis magisque sæuit animis ignobile vulgus. Iamque faces & saxa volat, furor arma ministrat. Ab his initijs adeò breui temporis spatio creuit hoc malum, vt nullus postea mensis fuerit, quo non alijs atq; alijs locis rebellatũ sit. Lutheranæ hæresis veneno imbuti homines ad libitum euagantes monasteria diruebant eiectis, aut in cruciatum arreptis monachis. Templa donarijs, & præciosissimo rerum apparatu spoliabant. Ad eundem modum occupatis, aut vi captis secularium domibus. Principum, aut etiam oppidis: (Nam & hæc tentare sunt ausi), crudeliter diripiebant omnia, vt facilè appareret prędandi magis studio quàm aliam ob causam plurimos excurrere cœpisse. Nunc mihi dicendum est, qui duces insaniẽti seobiecerunt multitudini. Vtinam dicere possem oppresserunt.

*Quarta Aprilis.*

Pro Leipeim ad Danubium cæſa ſunt iiij. hominum milia per Sueuicum exercitum. Permulti quoque in amnem præcipitati. Quidam gladio ſubiecti cum Parocho ſuo, Lutheranæ factionis homine.

*XXII. Eiuſdem.*

Marchio Caſymirus occidit milia duo, multos cepit captiuos, pleroſq; decollauit, nonnullos cum pago vniuerſo concremari iuſſit.

*Maij XII.*

Iuniores Palatini vulgus adorti, interfeciſſe ex his traduntur quadringentos. Ex captiuis gladio ſubieciſſe xxiii.

*XIX. Eiuſdem.*

Dux Ludouicus Comes Palatinus ex Heidelberga eductis copijs recepit à vulgo ſibi ademptos pagos. Recuperauit Bruſellã oppidum Spirenſi Epiſcopo fratri ſuo germano, decollatis è vulgo, quos in poteſtatem redegerat.

*Eiuſdem menſis XXVIII.*

Ab eodem iuſſi ſunt gladio colle ſubijcere tumultus autores xi. in quibus presbyteri erant Lutherani duo, & apoſtata monachus vnus Eodem menſe perierunt circiter mille, occiſi à Diepoldo Steynio.

*In Alſatia xviii. eiuſdem menſis.*

Prophana multitudo vrbes indifferenter ſiue expugnatas, ſine ſponte deditas, hoſtiliter diripuit, direptas ruinis & incendio vaſtauit. De Lothoringia quoque iã occupanda cogitabatur, quum prouinciæ Dux Antonius, contractis exercitibus egreſſus quatuor milia occidit. Poſtridiè alios adortus (rapinis enim & latrocinijs paſſim fœdabant omnia) confecit milia ſex. Menſis eiuſdem die xx. Inter Tambachum & ſkouylerum complures ab eodem fuſi, fugati, cæſi. Poſtremò apud

mo apud Sletstadium & Ortembergium eosdem prælio vicit memorabili. Qui primi de hoc tumultu Commentarios emiserunt, ab Antonio colligunt interfecta xxvi. milia aut plus eo, & trecentos ex captiuis gladio percussos.

*In Thuringia.* *Caput CLXXXIII.*

IN Thuringia quoque tumultuatum est à prophana multitudine. Ad cuius infringendos conatus, Fredericus Saxoniæ princeps, dum & ipse validas cõtrahit copias, moritur die Maij xii. In cuius funere habitam vidimus elegantem orationem. Hassiæ Princeps (Lantgrauium vocant illi) centum homines Lutheri dogma secutos ferro confecit, qui & oppidum vnum ceperant, & cuiusdam Abbatis dirupuerant bona omnia. Idem alia quoque strenuè perambulans oppida, quotquot huius factionis viros inuenit, gladio traditur admouisse Sed nulli hominum generi infestior, quam Lutheranis Concionatoribus, quorum nonnullos, vt audio, fuste capitibus illiso mactauit. His ita peractis, ad postremum cæteris iunxit se Principibus. Itaque sub diē decimumquintū Maij cum prophano vulgo, quod in agro Frankēhusen (ita enim nominãt illi) tumultuosè cõsederat, congressi, sex milia interimerunt, captis plurimis aliquot etiã securi percussis. Oppidum quoddam celebre (Mulhusen loco nomē est) vulgus occupauerat. Quod diuersis locis à principibus Germaniæ oppugnatū recuperatur, Ciuibus ignotū his legibus, vt Clerum in omne ius, Censusque pristinos restituãt: muros, turres, aliaq; vrbis propugnacula solo æquent: arma bõbardas pulucrē tormentarium Principibus tradant. Sunt & alij plerisque locis à Palatino electore, cæterisq; rei militaris longè peritissimis ducibus, rustici velut vilissima pecora ad facietatem cæsi. Milia centum & amplius soli principes, quos Germani ligam vocant, occiderunt. Sic stultitia, imò veriùs amētia vulgi tam grauiter est hoc anno afflicta Germania, ac maioribus etiam deformata, fœdataq; cladibus, quã vnquã à Gothis & Vandalis Italia.

Tantorum

Tantorum te causam esse malorum, sunt qui dicant, Luthere. Vidi libros eorum etiam, qui sunt tibi conterranei, quorum alius te monachum infamem, alius seditiosum, alius Cacodæmonem, nemo Christianū vocat Ego tantum oro, vt resipiscas. vt in viam redeas, vt eorum omnium, quæ contra Euangelicam veritatē inconsultè scripsisti, Palinodiam canas, vt sanctè & religiosè viuendo ad vitam illam perueníias, qua melius, felicius optari nihil potest.

*Mors clarißimi viri Martini Dorpij.*

*Caput* CLXXXIIII.

SVb hos Germanicos tumultus, graui morbo correptus Louanij Martinus Dorpius, insignis Theolog⁹, pridie Calend. Iunias vita defungitur. Plus in vno hoc viro amisit schola Louaniensis, quàm dici, aut æstimari potest. Mirè poetarum omnium fabulas tenebat. Oratorum & historicorum libros omnes excusserat. Dialecticorum argutias callebat: Phisices arcana peruestigauerat. In sacris literis nihil tam arduū & difficilè, de quo nō subtiliter & accuratè disputarit. Quam Latinus & elegans, planeque Romanus illi sermo? Quanta diuinorum eruditio? Solebam ego illum officij causa nonnunquam adire, ac ferè pomeridianis horis, nunquam non studentem ac libris immussantem inueni. Sereno cœlo descendebat mecum in pomarium, quod ædibus suis adiectum habebat. Nec vllus interim dum ambulatur, nisi de literis, & rectè instituenda iuuentute illi sermo erat, non ignaro id ætatis velut totius reliquæ vitæ iaci fundamenta. Quid de singulari eius dicam innocentia? Neminem sciens læsit vnquam. Nulli hominum inuidit. Nihil quod non sanctum & honestum esset appetiuit. Mortui corpus cœnobio Carthusianorum illatum, ibique sepultum est.

*Tumultus popularis apud Buscunducis.* *Caput* CLXXXV

NOn multò post apud Buscumducis tumul[illegible] rium à plebe aduersus magistratum. Exegerat ab oppidis

oppidis Brabantiæ pecuniã princeps. Hanc quum ciues Busciducenses neque ex publico ærario dare vellent, neque futurum putarent, vt ad publicam vtilitatem daretur, impetu facto in opulentiora sui oppidi Monasteria, ab his extorquere quod principi darẽt, conati sunt. Tenuit per dies aliquot hic tumultus, qui tandem, in vrbem admissa gubernatrice Margareta, resedit. Neq; inde abijt princeps ipsa, nisi omni sublata materia. Vnde in futurum aliud excitari posset incendium.

*Rex Galliarum captiuus in Hispaniam auehitur.*

*Caput CLXXXVI.*

AD captiuum regẽ Galliarum nũc reuertor, qui menses aliquot in Italia custoditus ad Imperatorẽ auehitur in Hispaniã. Vbi non multis interiectis diebus quum in febrim incidisset grauiterq; discumberet, venit ad eum Carolus Cæsar. Quibus tum de rebus sint collocuti, nescio. Cæsar captiuum & ægrotantem consolatus, iussit bono esse animo; se curaturum, vt quæ ad recuperandam valetudinem necessaria essent, haberet omnia. Scio præterea tentatam esse pacem, magnorum interuentu Principum. Sed res ad exitum perduci nondum potuit, Gallus ad ea quæ repetit Carolus, minimè inclinantibus.

GER-

# GERMANIÆ INFERIORIS VRBIVM, ET ALIARVM QVAE FINITIMAE INFERIORI Germaniæ nunc parent Carolo Imperatori, huius nominis quinto, Catologus per Hadrianum Barlandum.

## COLONIA.

DE inferiore Germania quæ frugiferarum aut lætarum arborum ferax terra est, magnisq; & nauigabilibus fluminum alueis irrigatur, & quibusdam alijs finitimis vrbibus, literis aliquid mãdaturus, incipiam à Colonia Agrippina, quæ & sinu & flumine & populo clara est, & magnificenter ædificata atque elegans. Hic vrbe media templum videtur magnificum, vbi triũ corpora Magorum seruantur, qui Christo in Bethleẽ recens nato munera obtulerunt: Habet Archiepiscopũ, qui sit vnus è septẽ Principibus, ad quos electio pertinet Romani imperatoris. Habet Magni illius Alberti sepulchrum. Tot habet sanctorum reliquias. Hic Vrsula ictu sagittæ transuerberata cum tot virginum milibus, cum tot victricibus turmis ad cœli palatium purpureo sanguine laureata migrauit. Hic gymnasium est liberalium artium, in quo permulti & eloquentes & docti viri bonas literas sunt professi.

### *Aquisgranum.*

DIstat hinc aliquot milis Aquisgranum insigne oppidum, monumento Caroli magni Imperatoris quod in templo illic marmoreo visitur. Est & venerabile sanctorum reliquijs, quas idem Carolus ex diuersis locis hic esse voluit.

### *Leodium.*

DEſcendo nunc Leodium, quæ vrbs amœniſſimo extructa loco, & ſacris ædibus & Canonicorum Collegijs longè ſuperat alias omnes, quæ ſunt in noſtra Germania. Ad hęc ornamenta Epiſcopum habet quo nõ alius eſt locorum, quibus imperat multitudine potentior. Præcipuè bonitatis eſt & vini ferax Leodinorum ager.

### *Traiectum.*

TRaiectum quod ſuperius nominant, ad eius differẽtiam diuitias quæ in Hollãdia eſt eiuſdem nominis oppidum & natura loci, munitionibusq́; & populi frequẽtia, & ædificijs & Canonicorum collegis duobus nobile, ſpeciem præbet vrbium duarum coniungente eas ponte lõgiuſculo. Huius incolæ, quamquã Leodinis vicini, tamen Burgundicæ domui mire fauent.

### *Namurcum.*

NAmurcum ad ripam Moſæ ſitum arcem habet munitiſſimam, qua bellorum temporibus in captiuis ſeruandis vti conſueuerunt Principes noſtrates. Populus hic non dici poteſt quam ſit amans Burgundiorũ, pro quibus aliquando etiam ſuis militaſſe ſtipendijs leguntur. Ferri fodinas habẽt & in montibus oppido adiacentibus vinaria amœniſſima. Horum tritici & ſiliginis fertiliſſimus ager eſt.

### *De Brabantia.*

NVlla eſt natio, cui vel humanitate, vel bonitate ceſſerint Brabãti, nulla gens, quæ minus grauẽ ſenectutem ſentiat. Hoc illis perpetua præſtat hilaritas. Vnde videtur manaſſe iocus ille: Brabantus quo natu grandior, hoc ſtultior. Horum regio tota amœniſſima eſt, nemoroſa pleriſque locis, ac multijugis ferarum generibus abundans. Aëris tanta præſertim

circa

circa Louanium, & Mechliniam oppido puritas, vt circumiacentibus regionibus, non raro sæuiente pestilentia Brabanti immunes à lue perseuerent. Terra hæc vbique herbida, rerum omnium ferax quæ blandiuntur naribus, quæ palato sapida sunt. Quæcunq; oculos pascunt, quæcunque ad nostratia medicamenta conueniunt largissime effundit.

*Louanium.*

LOuanium caput est vrbium Brabantiæ, cœli & aëris benignitate nulli cedens aliarum. Hic intra muros libera prata, vineæ, horti spatiosi, agri, pomaria, cãpi, dumi, saltus, pascua, paruæ syluulæ, parua nemuscula, vt meritò hanc sedem ac domicilium optimarum artium delegerint maiores nostri. Habet enim scholam, qua non sit alia secundum Parisiacam numerosior, neque ornatior. Multa sunt passim toto orbe Christiano gymnasia, sed in alijs alia videas desiderari. Aureliæ in Gallijs solæ leges Ciuiles. Parisijs Theologia, ius Canonicum & sophistica traduntur. Sunt aliæ quędam scholę vbi sola in precio est Medicina. Louanij omnes scientiæ docentur. Habet hæc vrbs sacras ędes plurimas. Vnã diui Petri structura tam eleganti, vt architectorum iudicio, nullam pluribus locis inuenias pari politie. E conspectu templi apostolici visitur domus ciuica operosissima, & quæ non vna re testetur olim florentissimam vrbem fuisse Louanium. Hanc artificij plenam structuram mirantur Galli, Germani, Britanni, & Itali. Schola Louaniensis vnum habet caput, vnum principem cui omnes pareant, hunc rectorem vocant. Cuius officium est ius dicere, priuilegia tueri, & maleficij reos scholasticos pœnis afficere. Quum in publicum prodit, ante eum it Accensus quem Bedellum recepto illic vocabulo appellant. Ponè sequuntur famuli. Quantum autem honoris huic dignitati habeatur hinc apparet, quod consules magistratus & clarissimi quique viri, denique omnium dignitatum gradus Academiæ principi assurgant & decedant de via. Exeunti ad comitia

quæ certis anni temporibus indici solent, plures Accensi anteambulant, singuli manu auratum gestantes baculum insignia honoris amplissimi. Est hæc semestris dignitas, quemadmodum apud Romanos olim dictatura fuit sex duntaxat mensium. Hæc nobis commentantibus scholæ princeps ac rector erat eximius sacrarum literarum professor Martinus Dorpius. Sunt & alia quædam Louanij non indigna spectatu loca, xenodochium amplissimum, vbi nunquam non assistunt ægrotis mulierculæ solatijs refouentes singulos, atque adferentes quod cuique è valetudine esse constiterit. Est alio loco digna diuis, digna principe domus, quam extruendam curauit summus Pontifex Hadrianus sextus, quum adhuc in minoribus ageret. Intra mœnia visitur & cœnobium Cartusianorum, loco ab omni tumultu, ab omni frequentia semoto; ita vt nec eremi solitudinem in vrbe magnoperè desiderent monachi. Hoc ædificio nihil ex ea familia vidisse se quicquam splendidius ingenuè fatentur quiuis exteri. Ad muros vrbis qua Mechliniam itur, arx est insigni vetustate, & ad ocium rerumque vrbanarum vacationem principibus accommodata. Eodem loco in monte templum est Baptistæ sacrum. E regione arcis, cuius modo commemini, turris est in ipso muro, ex candido lapide, eamque altitudine, vt inde videri sereno cœlo Antuerpia possit, octo magnis miliarijs Louanio dissitum oppidum. Vulgo Impensa perdita vocatur hæc turris, quam annis aliquot superioribus fatiscentem Consules magno reficiēdam curauerunt. Ager Louaniensis præter frumentum, legumina, triticum, poma, pyra, persica ceteraque ad corporum alimoniam pertinentia, dat & vinum, cuius ea natura, vt non facilè inebriet, non facilè ad arma protrudat, & luctam Veneream. Bibant hoc vinum initiati, quos diuinæ literę perpetuò sobrios & continentes esse volunt.

*Bruxella*

*Bruxella.*

VRbs aulicorum frequentia, fontium copia, magnificentia principalis aulæ, Ciuicæ domus, ac pluriũ aliarum splendore nobilissima, & quod de sua Burdegala dixit Ausonius. Clementia hic cœli mitis & irriguæ larga indulgentia terræ. Huius incolæ vestitu opes suas ostentant præ cæteris, & maximè genus mulierum. Templorum omnium hoc loco magnificentissimum est diuæ Gudulæ Canonicorum collegio insigne.

*Mechlinia.*

DIstat Bruxella & Louanio miliarijs quatuor Mechlinia, vrbs situ & opere munitissima, quæ ipsa quoque suas habet minimè vulgares dotes. Aëris multum clementiam & salubritatem, incolas sermone blandos, moribus mansuetos, Comes ciuiles, bellicosos, etiam vbi res exigit. Placet in hac vrbe vicorum tudo, placet munditites. habet concilium regium, habet ampli & ædes sacras complures. sed duas quæ longè cæteris antecellunt: Deiparæ vnã, & alteram diui Rumol- ornatissimam, cum turri quæ & magnifica est, & altitdine spectabilis.

*Hantuerpia.*

NVnc offert se mihi Hantuerpia, ad Scaldam flumen sita. Emporium longè celeberrimum. De cuius situ, splendore ædificiorum, populi industria ac diuitijs quorumdam extant scriptili belli. Est hoc nobile oppidum partim maritimum, Gallis, Germanis, Hispanis, Britannis, Italis frequentatum. Hodiè Diuino munere & Senatus prouidentia sic floret mercimonijs, vt nec Londino in Anglia, nec apud Germanos Francfordiæ, nec in Gallijs Parisio cedere debeat. Priuatæ hic domus affabre constructæ. Certamen est in vrbe quis magnificentius ædificet. Grandia sunt templa, vnum Deiparæ virginis augustissimum cum turri altissima ex candido lapide. Gentis mirũ in opificijs acumẽ domus extruũt, altas magis quam amplas, propter locorum angustiam, & ferè ex lapide

Et

Et hæc ciuitas vna omnium quæ sunt hodie in inferiori Germania sacrarum ceremoniarum studiosissima, veræque pietatis cultrix. Monasterium habet Præmonstratensium, & structura magnificum, & monumento Isabelæ Caroli ducis Burgundionum coniugis nobile.

*Buscumducis.*

OPpidum ludo literario, & pugnaci populo nobile. Horum arma superioribus annis haud semel Ghelrij sensere, cum qua gente vario certatum est euentu nostris hominibus. In hac vrbe templum est Deiparæ sacrum, opus visendo apparatu.

*Flandria.*

EST & Flandria regio fertilis atque amœna & pluribus locis suauiter aprica, nec expers nemorum & collium. Habet & lacus perspicuos, flumina, fontesque salubres, Gentem non inhospitalem, vestitu & lingua à Brabantis indiscretam.

*Gaudauum.*

GAndauum est eius terræ ciuitas fluminibus nobilis, amœna, ampla, spatiosa; nusquam conclusa, nusquam suffocata, Innumeræ cultęque domus, facunda virorum ingenia, antiqui mores, tum duplice muro amplificata loci species. Suos etiam habet vt Louanium meditationi ac studijs aptos recessus. Habet & ludos literarios aliquot multæ celebritatis: Magnifica templa. Cœlum perquam benignum, gentem frugalem magis dixeris quam parcam. Est Gandauum & pluribus diuorum corporibus, & nobilibus monasterijs duobus exornatum. Petri Apostolorum principis, & Bauonis, vtrumque Abbatem habet, & annuos prouentus amplissimos.

*Brugæ.*

PVblicarum, priuatarnmque ædium in hoc oppido splendor & magificentia omnem orationem, omnẽ dicendi facultatem supergreditur. Vt paucis omnia dicam

dicam, totus hic locus pascendis animis, reficiendis oculis dicatus est. Pulchra sunt oppida, Gandauũ, Hantuerpia. Bruxella, Louaniũ, Mechlinia sed nihil ad Brugas. Præter Gandauum & Brugas longè clarissimas vrbes, alia quædam sunt in Flandrijs oppida clari nominis. Alostum quod ad posteros nobile reddidit tot excusis in omni propè disciplinarum genere pulcherrimis libris Theodorus Alostensis Typographus, Aldenardum, Insulę, Iperę, Teneramunda, Slusa, quod postremum est maritimum.

*Tornacum.*

NEscio an nullum Tornaco extaret florentius oppidum, vel in Flandria, vel in Brabantia, si nostratiũ quam Gallicarum semper esse partium maluisset. Cui hic affectus quantum paucissimis annis malorum inuexerit nos ipsi vidimus. Octo enim spacio annorum eadem ciuitas bis capta semel diuendita, & interim sæpius ad exterorum libidinem vexata est.

*Hannonia.*

HAnnonienses populi fide & armorum erga Principem suum nulli aliarum regionum cedentes, terram & ipsi incolunt herbidam, & pascuis admodum lætam. Pietas huic genti in Deum singularis. Idioma Gallicum vt vicinis Tornacensibus est. Habitus & cætera vita eadem, quæ & Flandris quibus sunt contermini. Præcipua Hannoniæ oppida Bergæ & Valencenæ, vtrumque legibus optimis institutum. Nobis hæc commentantibus, Valencenis fortuitò incendio plus mille domus conflagrarunt, pulcherrima totius orbis regione.

*Phrisia.*

PEnè mihi exciderant Oceani accolæ Phrisij in bello feroces, ac armis exercitati, robustis ac proceris corporibus. Nulla seruitutis gens impatientior, boues optimos alunt, quos in alias terras abactos vendunt

magna

magna pecunia. Phrisiæ planus est ager & multò gramine fœcundus. Ignem struunt ex bituminoso cespite propter lignorum inopiam. Hos populos anno superiore à Caroli Cæsaris obsequium retraxit clarissimus belli dux Ioannes à VVassenaer, quem si fata virum nobis seruassent, validas Gheldriæ venisset ad vrbes. Oppida Phrysiorum magis insignia sunt Gruningha & Leuuardia, vtrumq; opulentum, vtrumque populosum. Illud etiam validè munitum contra hostiles insultus.

### *Ghelria.*

NVnc de Gelria dicendum est, regione non tantum ad suorum, sed exterarum quoq; gentium tutelam fertili vt interim silentio prætercam, quam bellicosum atq; oppugnacem habeat populum, suoq; Principi valdè fidelē. Vrbes hic quatuor maximè insignes. Nouiomagū, quod amœnus ac nobilis fluuius VVala præterfluit, Ruremūda & ipsa, suis dotibus nobilis, Arnhemium, quod nostra memoria Philippus Burgūdionum Princeps occupauit. Et Sutphaniæ ciuibus opificibusque non infrequens. In his quatuor nominis vetustate, populi frequentia, & opum magnitudine primas tenet Nouiomagum, partim in diuo, partim in plano situm, patria ac natale solum eruditissimi facundissimique viri & studiosorum omnium Mecenatis Francisci Craneualdij Cæsari Carolo à consilijs Mechliniæ.

### *Hollandia.*

QVam nūc Hollandiam dicimus, olim Holtlandia nominata est, à copia lignorum, vt habent annales quidam. Huius regionis herbis & salictis maximè con-

mè consitus est ager. Frumentum quo vtuntur nauigijs aliundè inuehitur. Homines hic industrij, negociosi, simplices, & ad omnem humanitatem benignitatemque propensissimi. Alios videas ad parandam, vel rerũ vel linguarum cognitionem diuersa Christiani orbis adire gymnasia. Hollandis verò magis honoratur egregia morum integritas, quanquã nec ipsa negligunt studia præcipuè literarũ meliorũ, quas aliquanto felicius quam cæteri discunt, si modò à teneris annis præceptoribus tradantur. In vasorum nitore, mensarũ lautitia, mantilium atq; mapparum candore, munditia deniq; rerum omnium superat omnes alias nationes. Mulierũ genus pulchrum & lacteum, aut negotiatur vt viri, aut linifico, lanificione dat operam. Hollandia & piscosis interluitur amnibus, & pascuis abundat vberrimis, neque regio esse creditur alia in orbe quæ simili spacio tot habeat oppida, mediocriter quidam magna, sed apprime polita & concinna. Pagos quoque regio sumptu passim ædificatos videas. Dolendum hanc tam nobilem tam florentem prouinciam Lutheranæ factioni tantoperè fauere. Dicam nunc oppidis huius regionis.

## *Traiectum.*

HAnc vrbem alii attribuunt Hollandię, alij Phrysię. Siue in Hollandico solo, siue in Phrysia sita, haud dubiè nobilissima est, & priuatarum ædiũ pulchritudine, & clero: Habet enim celeberrima Canonicorum collegia, in quibus principem tenet locũ quod est diui Martini: habet & Antistitẽ qui in sacris latissimè imperat. Hic tã diues ac potens, vt si quando sit necesse quadraginta hominũ millia ad bellum possit armare. Ex hac vrbe Romanum Pontificem Hadrianum eius nominis Sextum nostra vidit ætas. Quæ felicitas nulli vnquam contigit aliarum quæ sunt in orbe nostro. A Traie-

Traiecto non longè dissita est Dauentria, quod oppidum plures annos floruit schola bonarum literarum.

*Dorduracum.*

VRbs est validè munita negotiationi idonea, vndique cincta mari, opibus & celebritate inter alias longè princeps.

*Herlemum.*

HAnc vrbem inuenio conditam à quodam illustri viro cui nomen inditum fuerit Lem Germanica lingua; vrbs hinc dici cœpta Herlēsstat Germanicę. Nos eadem ratione Herlemum dicimus Latine. Forum hic maximum, pulchræ donus, templum egregiũ, vrbs sita est loco perameno. Statim egressus mœnia occurrit nœmus, in quo varias auiũ linguas audire licet, in quo timidi damæ, ceruique fugaces, lepores, cuniculi, denique ferarum omne genus.

*Leyda.*

PVlcherrimum Hollandię oppidorum, Aedificia habet & concinna & frequentia, Vicorum hic est perpetua quædam munditіes, vt alijs quibusdam terris plus luti ac cœni inuenias in domibus quam hic in plateis.

*Delfum & Haga.*

DE huius oppidi conditione puto me dixisse nonnihil in opusculo de Comitibus. Incolarũ opes amplæ sunt, multa in diuos pietas, Ceruisiam conficiunt optimam, quæ plurima ad Selandos vicinam gẽtem importatur. Hinc paruo miliario distat Haga comitis, ita enim nominatur, pagus & maguitudine & cultu & incolarum frequentia non paucis oppidis anteferendus. Hic concilium est ad quod totius Hollandiæ atque item Selandiæ populi concurrunt in rebus ambignis.

*Amstelredamum.*

HOc cęteris quæ nominaui, recẽtius oppidum genus hominum incolit pecuniæ studiosius. Quocirca in remotissimis etiã terris negotiantur. Habensq; toto ferè anno externum domi suæ mercatorem. Pręstat hoc illis commoditas portus. Sunt alia quædam non pœnitenda Hollandiæ oppida; Goricum, Gouda, Alcmaria; Roterodamum eximij illius viri Erasmi Roterodami vrbs nutricula.

*Selandia.*

DE Selandiæ meæ situ extat perquã eruditi viri Gerardi Nouiomagi veteris amici nostri epistola non inelegans. Dicit ille totam Selandiã sexdecim insulis ac totidem oppidis constare, fertilem esse regionis agrum, multoq; diligentius coli quam Hollãdicũ. Quod hic nascitur triticum, multò & purius & candidius esse Hollandico. Mores esse indiscretos cum Hollandis, lingua citatiore nostrates esse. Portuum cõmoditate, mercimoniarum copia, & nauium numero Gerrardus Hollandiæ præfert Selandiam. Coquitur hac insula sal candidissimus. Habet Selandia tres insignes insulas, VValachriam, in qua Veria & Middelburgum oppida mercimonijs florent. Schaldiam, vbi Ziricea est opulentum & non inconcinnum oppidum, Suytbeuelandiam, in qua duæ sunt vrbeculæ, Gousa & Ruemersualia. Est hęc omnium Selãdiæ insularum amœnissima. Syluas habet locis aliquot; hortos quoq; in quibus est quicquid natura produxit herbarum esculentarũ. Pomaria passim ampliissima. Hic mensibus vernis omne auium genus subsilire, circumuolitare, colludere, deliciari videas, hic vel studere, vel obambulare, vel cum amiculo confabulari, vel cibum capere, vel cum sodalibus lusitare summa est voluptas. Gousæ oppidulo quod dixi vicina est patria mea Barlandia, locus adeò & fertilitate ac rerum copia, & ædificijs & littoris amœnitate præstans, vt non immerito de hac dicere possim, quod de Baijs Horatius dixit: Nullus in vrbe locus Baijs prælucet amœnis: Item Poëta Martialis: Vt mille laudem Flacce versibus Baias

Laudabo digne non tamen ſatis Baias. Totus locus pratis irriguis, paruiſque cinctus eſt nemuſculis. Dignam ſtudijs, dignam muſis ſedem diceres.

# DE BELGICIS OPPIDIS GENTISQVE MORIBVS:

## *EX CORNELII CALLIDII GOVDANI libro, de ſacris vtriuſque Germaniæ Scriptoribus.*

## FLANDRIAE, HOLLANDIAE, ET Zelandiæ Comitatus,

## BRABANTIAE, GELRIAE, DVCATVS: finitimarumque vrbium aliquot.

---

### *DE FLANDRIAE VRBIBVS: GANDAVO, Brugis, & Aldenardo.*

GANDAVVM Flandriæ Belgarum prouinciæ primum & ampliſſimum oppidum Caroli V. Imp. cunabulis illuſtre. Incolæ felicis plurimũ & ſplendidæ fortunæ, ac paris indolis: quam tamen natiua gentis inconcinnitas in pronunciatione, opinione exuit.

BRVGAE Flandriæ Belgicæ ſeu inferioris Germaniæ oppidum ſanè amœniſſimum, & opulentum, & mercaturis olim celeberrima notiſſimum. Ciues perhumani & munifici, benignæ & optimæ indolis: Catholicæ religionis, & à vitæ pietati plurimum addicti.

ALDENARDVM, hoc eſt veteres Neruij, Flandriæ Belgarum prouinciæ oppidum mediocris amplitudinis, nec inferioris ornatus, ciues paris fortunæ habet. Qui hiſtrionicæ ridiculæ arti plus ſatis afficiuntur, & oblectantur: quod illis cum finitimis commune vitium eſt. Ars enim illa Reip. tranquillitati noxia. & mutandæ religionis non intima cauſa, dum dicendi & agendi libertate vanis fabuloſæ nugacitatis blanditijs obten-

obtenta, in Magiſtratum. & optimates quæuis impunè iaciuntur: in Clerum verò & Religionem ludicra & ſæpè impia ac blaſphema iaculantur, vt in riſum contemptumque veniant. Atque huc venerandas Religionis ceremonias inimica actione pro ſpectaculo in theatris proponunt; magnatum næuos Sardonico riſu carpunt; & nequaquam muta actione in vulgi cognitionem traducunt: & in Cleri defectus humanitus commiſſos, amarulentis dicterijs inuehuntur.

CAMERACVM in confinibus Artheſiæ Belgicæ ditionis ciuitas, dignitate metropolis, &c. Imperialis, nūc Regia Archipræſuli paret. Amplitudinem iuſtam habet, nec minorem ſplendorem præ cæteris verò muniſſima, regni Galliarum limites è proximo conſpiciens.

*BRABANTIAE OPPIDA: LOVANIVM; Bruxella, Sylua-Ducis, Ager Kempiniensis.*

LOVANIVM Brabanticæ ditionis oppidum, antiquitatis iure omnium primum. Quod vt nullam inter Belgicas vrbes ampliorem agnoſcit: ita nec cæli temperie, nec ſalubritate parem; nec ſitus amœnitate ſuperiorem. Vnde Muſis ſedes aptiſſima, erecto Gymnaſio, iiſdem à maioribus dicata eſt. Quod ante Belgicam perduellionem, ex Caluinianæ hæreſeos tumultuoſa commotione obortam; ex plurimis in omni diſciplinarum genere viris eruditiſſimis ornatiſſimum; & longè florentiſſimum percelebri nominis fama toti Chriſtiano orbi innotuit. Ciues non admodum opulentæ fortunæ, vt plurimum mediocris. Sed humani, benigni, & indolis bonæ: quæ non rarò ad ingem & eminentem eruditionem pertingit.

BRVXELLAE Brabantinæ prouinciæ oppidum apud Belgas celeberrimum. Quod amœno loco ſitum, magnificis ædificijs & ſplendidis Baſilicis cōſtructum; & ampliſſimum; multis retrò annis Principis Belgarum aula, & Gubernatorū ſedes fuit. Populum numeroſum

habet, vt plurimum fortunæ ſatis felicis, blãdum & per-humanum, aulici ſplendoris æmulum.

SILVADVCIS oppidum primis Brabantiæ Belgicæ ciuitatibus annumeratur. Natura loci & ſtructura munitum; iuſtæ amplitudinis, nec imparis ſplendoris. Populus frequẽtiſſimus, fortunæ ſatis munificæ, corpore robuſtus, & animo fortis In quo religionis obſeruantia feruentior & conſtantior ineſt; legitimo ſuo principi fidus. Auraicam Caluinianæ factionis perduellionem, maturo prudentiæ ſenſu contemnit, & pro viribus arcet.

CAMPINIAE AGER, Brabantiæ ditionis pars non modica, arenoſo fundo, ſterilis & infecunda, agricolarum tamẽ induſtria culturaq; fertilis. Ingenia producit felicia, quæ dum excoluntur, ad penetrandum cuiuſuis ſcientiæ corticem valent. Populus ad rem attẽtus, natura parcus & tenax, laborum patientiſſimus, in victu admodum frugalis, in veſtitu nihil minus quam ſumptuoſus. Prolixam vegeta & florenti ętate vitam agunt; vt centeſimum & eò amplius annum, ſine graui ſenectutis incommodo & moleſtia, non ita rari attingant. Fortunæ vt plurimum mediocris, nõnulli ſumma opulentia.

LEODIVM, terræ Leodienſis Metropolis: quæ loco amœniſſimo ſita, Moſam habet illabentem; qui ſe diſpartiens in eius propè vmbilico inſulam relinquit, inſigni Eccleſia, pulcris & amœnis ædificijs exornatam. Ciuitas prolixiori tractu ampla, magnifica templorum & frequentium ſtructura, & ſplendidis ædibus ac plurimis ornatiſſima. Collegijs opulentis, Abbatijs ditiſſimis ac plurimis; Clero quem primarium vocant generoſo & ſecundario prope numero ſupra modum decorata. Adeo vt nec Agrippinenſi cedere aut vrbi inferiori cẽſeri poſſit. Ciuitas cum tota ditione Præſuli & eius Collegijs, primariæ ædis Canonicis paret. Ciuium pars honeſtior ſplendidæ & liberalis fortunæ; reliqua ingentis turbæ multitudine præualens, benignæ & tolerabilis. Verùm idem & par omnibus ingenium, feruidum &

ſubiracundum. Vnde facili occaſione commoti, cæco concurſu ſubitam & inſanam factionem conſtruunt. Alioqui tractabiles & morigeri illis, qui ipſorum ingenia lento progreſſu ducere norunt; quum feſtinata rerũ mutatione, quantumuis optima, ac vtiliſſima, obrui vel obtundi non patiantur. Auitæ religionis tenaces. Liberalibus diſciplinis, & ſublimioribus ſcientijs ſatis idonei: in intemperato feruore moras interrumpente ſeſe pleniori inſtructioni maturius ſubtraherent.

### *GELDRIAE OPPIDA, NOVIOmagum & Ruræmunda.*

NOVIOMAGVM primum Geldriæ ducatus oppidum, munitum in primis & ornatum pulcris ædificijs, & iuſtæ amplitudinis. Familias perantiquas habet, ad generoſæ nobilitatis ſplendorem contendentes, Clerum honeſtum, qui patrimonio potius quam Eccleſiaſtico ſubſidio, quod perexiguum erat victitare conſueuit. Populus frequens, vt plurimùm ſatis opulentus mercaturam circumquaq; exercet: feliciſſimæ indolis, ſed elatioris animi, & à faſtu minus alieni; niſi quis hoc generoſæ mentis iudicium malit.

RVRAEMVNDA ducatus Geldriæ oppidum, vallis & perantiquis ædificijs vetuſtatem arguit. Ciues mediocri ingenio & pari cultu, in tractu Moſæ fluuij præterlabentis ſe mercatura iuuant. Qui felicioris aliquantulum fortunæ ad nobilitatis æmulationem aſſurgũt, & huc otioſa vita atq; deſidia contendunt, cum virtute non poſſint.

### *CLIVIAE OPPIDA: VESALIA, Cimbrica: Aquiſgranum Imperialis.*

VESALIA ciuitas Ducatus Cliuiæ ad tractum Rheni ſita, & mercaturis celebris, & opulẽtis mercatoribus cum indigenis, tum exteris frequentata. Inter primas fuit apud inferiores Germanos, quæ Catholica religione exploſa, publicum Lutheranæ hæretcos mox ab eius exortu exercitium induxit: quod iam

pridem in Caluinianæ perfidiæ vesaniam degenerauit. Cum ea sit hæreseos communis natura, vt in deteriora indies labatur, donec ad Atheismum vel Paganismum recidat.

EMBRICA vrbs ditionis Cliuiæ, ad Rhenum sita, vastæ magnitudinis ornatus parisque opulentiæ, situs amœnitate & commoditate Musis sedes aptissima, vt vniuersalis studij Gymnasio, Principis sui potentissimi munificentia, facili opera sublimius cohonestari possit.

AQVISGRANVM vrbs Imperialis & libera. Quæ licet ampla & peruetusta; à Caroli tamen Magni (vita functi an. 814. ætatis 70.) sepultura & Imperiali eius diademate ibidem conseruato, celebrior agnoscitur. Verùm vt cuncta in ruinam properant: diadema cum cæteris Imperatorijs insignijs delatum, ad Maximilianum II. alio præter consuetum loco coronandū hucusque pristinam (vt ferunt) custodiam fugit. Sic amissa corona, quasi deperdita gloria, oppidum illud ad priscam contendit obscuritatem.

Quò citò deueniet, ni prudentiori consilio Caluinianam factionem à sua Republ. arceat: quam imperij diadema deportantium & permittentium questu (vt est præsumptio) efferri passa est. Iam faxit Deus, ne illud ad viciniora Christiani nominis hostis coniuratissimi loca translatum: minus vanum portendat præsagium, & Monarchiam ad eundem tantis vbique ex hæresi dissidijs protrudendam. Porrò ciues segnioris ingenij, nec satis generosi animi: mediocris citiùs quam splendidæ fortunæ. Quorum potior pars æneis ad nitorem expoliendis, & quauis artificij id genus forma induendis ornandisque insudat. Tamen benignioris naturæ fauore ibidem progeniti: haudquaquam infeliciter in re litteraria, & altioribus disciplinis versantur: vt facili negotio huc vocatis in quauis professione ipsorum monumentis & doctis lucubrationibus, ni obnueret breue institutum conuinci posset.

ZEELAN-

## ZELANDIAE COMITATVS, INFERIOris Germaniæ prouincia Belgica, quæ maris interrumpentis vi in duodecim insulas dissecta, totidem ciuitatibus vna cum oppidulis exórnata conspicitur.

### *INTER ILLAS: BEVERLANDIA, ZIRIxæa, Middelburgum, Vlissinga, & alia oppida.*

ZIRIXAEA oppidum marina nauigatione apud Belgas non incelebre, piscatione opulentum. Quod Leuini Lemnij Medici Zirixæi doctissimis scriptis passim eruditis omnibus innotuit. Ingenia felicia alit, vt tota illa Zeelandorum insula; quarumcunque disciplinarum impressioni, instar mollis ceræ aptissima. Quod ob aquarum abundantiam, flegmaticis vt plurimum corporibus animi flexiles respondeant. Terra totius prouinciæ Zelandicæ frugifera, frumenti & tritici niueo candore intentis fertilissima: sed quæ marinis vndique cincta concussaque fluctibus, intoleranda potissimum exteris celi intemperie, ferrum consumente deuorat habitatores suos; vt senes perrari, decrepitæ ætatis nemo conspiciatur.

### *HOLLANDIA: AMSTELREDAMVM, VLtraiectum, Dordracum, Delphi, & Gouda.*

AMSTELREDAMVM percelebre Batauorum emporium: alioqui ceteris ibidem oppidis recentius, vtpote ab auorum memoria muris cinctum. Natura loci munitissimum, & satis amœnum; pecunia diues, & mercibus ex Orientalibus & septemtrione aduectis perpetuo refertum. Populum habet agrestioris ingenij, si victum viuendique morem spectes; verùm ad quæstum facien-

 dum

dum nulli cedit. Quæ res ciuitatem, alioqui auitæ religioni addictam, ad Auriaci tumultuosas sceleratæ perduellionis partes post diuturnam Catholico Regi seruatam fidem, tandem pertraxit, & nefandæ Caluinianæ hæreseos exercitio confœdauit.

VLTRAIECTVM vrbs est percelebris, ampla, magnificis templis splendidè ornata, & opulento olim Clero admodum dotata, vt hac in parte nulli ex Belgicis ciuitatibus cedat. Ciues fortunæ vtcumq; felicis: quibus verò splendidior accedit, generosæ nobilitatis splẽdorem æmulantur. Ab antiquo factionibus dediti: vnde illis perpetuæ cum suo Præsule contentiones, qui principatum in Cæsarem Carolum V. hac ratione transtulit anno 1538. alioquin ingenij liberalibus disciplinis & rebus agendis aptissimi, & summis nati. Ciuitas enim Adriani VI. Pontificis maximi & optimi patria.

DORDRACVM Bataujæ Belgicæ oppidum, aquis marinis vndiq; cinctum, vt non nisi nauigio accessus pateat, tractu alioqui oblongo, iustam habet vrbis magnitudinem. Ciues vt plurimum diuites, & opulenti sunt: hinc ad factum propensiores, alioqui indolis felicis & liberalibus disciplinis natæ.

DELPHI Batauiæ Belgici oppidum, quod primis annumeratum, magnificis & splendidis ædificijs, & plateis mundicie nitentibus longè ornatissimum est. Ciues opulentæ fortunæ, nitori & exquisitæ mundiciæ in supellectili, vtensilibus ceterisq; rebus supra modum deditι. Potu confecto ex hordeo & lupulo (Ceruisiam vocant) palatui gentis vicinæ grato; opes ingentes congerunt. Ingenia comitati & beneuolentiæ nata alit, sedata, & liberalibus disciplinis nequaquam inepta.

GOVDA oppidũ Batauiæ Belgij prouinciæ Quod primis illius ditionis ciuitatibus annumeratum; situm est in eius meditullio, loco decliui. Frequenti inundationi est marinis tempestatibus obnoxio. Præterfluentẽ habet insulam fluuium, Oceani maris brachium: vnde singulis 12. horarum spatijs, ad eius fluxum & refluxum Lunari motu, recenti ac dulci aqua irrigatur. Oppidum alioqui

alioqui mediocris magnitudinis, nec contemnẽdę opulentiæ: natura loci præ ceteris munitissimum, vt ænea ad obsidionem tormenta, non nisi glaciali tempore, ac tum summo cum discrimine aduehi possint Templum habet amplissimum, cui Belgia par nõ vidit: nec minori olim ornatu cunctis admirationi. Constructum ferunt ad normam Ambianensis Ecclesię in Galliarum regno, quam & externo splendore referre consueuit: qui iampridem cõflagratione perijt. Ciuitas Catholicæ religionis hactenus obseruantissima: at nunc communi ceteris Caluinianæ hæreseos cataclysmo altè oppressa. Ingenia alit apta sacris Ecclesiæ ministerijs; & monasticæ religioni vtriusque sexus vberem messem semper profudit. Et prout oppidi nomen gentis idiomate sonat, paria eruditioni ingenia subministrat.

## INSIGNIVM LOCORVM ET OPPIDORVM BATAVIAE ET GELdriæ Nomina, à Lobeca arce, vbi Rhenus se in duo velut cornua diuidit, ad Oceanum vsq;, qui Britanniam à Bataui-ca insula dirimit.

### *EX GERARDO NOVIOMAGO.*

HVSSENVM, quod Rhenum latissimè præterfluentem habet Ab hoc oppido, nõ procul abest is locus, vbi Isela ex Rheno Septentrionem versus fluere incipit. Hic præterfluens Duesburgum, Zutphaniam, Dauentriam, Huttenum, Campos, haud obscuri nominis oppida, tandem se mari (quod hodie Die Zuyderzee vulgo dicitur) immiscet.

NOVIOMAGVM, quod nonnulli Numagam, alij Neomagum, quidem Nouimagium scribunt; ciuitas libera extra insulã ad VVaalim sita, patria Gerardi Geldẽhaurij: qui in huius laudem sic scripsit in Satyris.

*O Nouiomagum, cui non certauerit vllus.*
*Terrarum locus, & Rhodos, & celebris Mitylena.*

*Cedunt namque tibi, cedunt & Thessala Tempe,*
*Te nemus annosæ redimitum robore quercus,*
*Aequas Aonium cingit, fontesque salubres*
*Quas adamat Clacius: his candida turba sororum*
*Dulces docta modos, diuina poëmata cantat.*
*Alluit & placido te cursu VValis ab Arcto.*
*Regia te Superis templa & te Manibus imis*
*Arx sacrata ornat, quam quondam milite cæso*
*Romani studuêre duces in littore VValis.*
*Olim grandiloqua surget (mihi credite) Vates*
*Vena par priscis, culto qui carmine ad astra*
*Te Nouiomagum tollet, fortesque Batauos,*
*Imo mox canere incipiens Cranueldius, atque*
*Henricus Batauus, canet & Murmellius ille,*
*Quem Musa Phœbusque docent Heliconis in antro.*
*Hi Nouiomagum laudabunt carmine, quale*
*Flaccus Tiburti pomeria laudat & vndas.*
*Nil tamen hæc humili me prælibasse Camœnæ*
*Obfuerit, maiora alijs memoranda relinquo.*

BATOBVRGVS in ora Gallica Mosæ imminet.

TIELA ad Vahalim, olim nobilis Galliarum portus: His verò annis, an: 1528. Burgundionum obsidione fortiter lata, nomen celebrius adipisci meruit.

BOMELIA saliuariũ, Vahalim muris minitantẽ aspicit.

DORESTATVM, quod Batauo durum olim, ad Rheni ripam, vbi Lecca veteri Rheno profluit.

BVRANVM, cum arce munitissima, qua Linga fluuius adlabitur: quæ olim molacum fossa dicebatur.

CVLENBVRGVS, Lingam & Leccam prospicit.

ASPERA, Lingam placidè perstrepentem audit, qui eã quoque mutato nomine intersecat. Vulgò hæc pars Amor dicitur, quam & Gerardus idem carmine olim celebrauit. Hoc oppidum sub Carolo Geldrorum Duce à Burgũdionum transfugis peditibus diu oppugnatum, tandem fortissimis ciuibus inter expugnandum ad vnũ cæsis, captum est Hic supra omnem Turcarum crudelitatem, in omnem sexum, in omnem ætatem, in sacra, in profana, igne, ferro, libidine, desæuitum est. Hoc exci-

dium

dium duorum nobilium equitum Batauorum, & affinium, quorum alter loci princeps erat, odium conflauit.

LERDAMMVM, aggerē vltra Lingam obtinet. Batauice enim Danus agger nominatur. Hinc Batauicorum oppidorum pleraq; vocabula deducuntur.

HVCLENVM citra Lingam, vetusta arce, Herculanorumq; familia nobile.

GORICHEMVM, non procul à castris Herculis, vna cū pagis aliquot vicinis, vetus nomē hodie retinet. Ager enim Herculis dicitur, Batauicè, Catland van Arke. Horū castrorum fit mētio in charta illa vetustissima, quæ itinera Romanorū militū ex principijs nōnullis depicta cōtinet. Hunc mihi ostendit charissimus vir Cōradus Pētingerus, vtriusq; Iuris Doctor, Patricius ac Cācellarius nobilis Augustæ Vādalicorum: qui secūd⁹ à Celta, cognomine suo, poëta laureato, patriā suā, totamq; Germaniā illustrare cœpit. Paulū supra hoc oppidum, ad arcē Louesteinum, Vahalis & Mosa confluunt, Linga verò Gorichemum intersecans, Merīcę influit, Vahaliq; parenti ac Mosæ coniungitur.

DORDRACVM clarissimū oppidū, nonnulli extra insulā olim fuisse cōtendūt. Verisimile tamen est Batauorum fuisse, sicut Hosdenum, VVorchemū, & montem qui Sanctæ Gertrudis dicitur, cum nonnullis alijs pagis Gallici littoris.

VIANA, circa Leccā in prospectu traiectus Rheni.

VLTRAIECTVM, in ipso Rheni traiectu sitū, vrbs nobilis. Huius Beda in gestis Anglorū honorificā mentionē his verbis facit: Pippinus autē donauit VVilbrordo locū cathedræ Episcopalis in castello suo illustri, q antiquo gētis illius vocabulo VVilteburgus, lingua autē Gallica Traiectū vocatur. Memini me legere in duobus libris scriptis ante sexcētos annos VViltraiectū & Vltraiectum. In huius vrbis Episcoporū viris describēdis Itali scriptores lapsi sunt, labunturq; hodie nonnulli. Nullū nāq; discrimē inter Mosæ Traiectum, & Rheni Traiectū faciūt, & duarū vrbiū Episcopos, tāq vnius recēsent.

ISELSTEINVM vicinorum odijs nobilitatum.

MONDFORDIA. Hāc Albert⁹ Saxonū dux, quū graui admodū obsidione aliquādo pressisset, capere nō potuit. Tōta.n. fortitudine, nō solū viri sed & feminę, se, patriosq; lares defēdebāt.

VVORDA. VETERESaquę, vulgo Audevvater. SCHOonhouia.

GOVDA, à cognomine riuo dicta, VVilielmi Hermanni, poëtæ & historici patria.

ROTERODAMVM ad Mosam situm. Roteram quoq; habet influentē. Hic Desiderius Erasmus natus.

SCIEDAMVM, à Schiea fluuio nomen habet.

VLARDINGA, siue VLARDINGIACVM, vetustissimum

mũ oppidũ, in ea insulæ parte quæ ad Oceanum vergit.

DILFI, ab aqua per Fessam oppido inducta, nomẽ sortiuntur. Fessam enim vulgus Dilfi vocat.

HAGA Comitis, non tam senatu amplissimo, quã hoste Geldrio excursionem eousq; faciente, nobilis.

LEIDA, amœnissima ciuitas apud veterem Rhenum, multa antiquitatis monumenta possidet.

Habet præterea hæc insula arces, vicos, pagos cultissimos: habet fossas quoque latas, riuos nauigabiles, atque piscosos, quorum nomina recensere vtile videatur.

Sunt & Hollandiæ oppida, in Septentrionali plaga, quę cõtinet septuaginta duas Ecclesias parochiales, & in veteribus Annalibus adscripta est VVestfrisijs.

HARLEMVM.

ALCMARIA. Patria Petri Nãnij hominis doctissimi.

AMSTERODAMVM.

HORNII.

ENCHVSIA.

MEDEMBLICA.

De his legendus Adrianus Barlandus.

## DE HOLLANDIAE, ET ZELANDIAE SITV ET MORIBVS

Chrysostomi Zanchij Epistola.

*CHRYSOSTOMVS NEAPOLITANVS comiti Nugarolo S. P. D.*

CAue dubites mi comes ornatissime, Vlyssem illũ cui primas eloquẽtiæ ac prudentiæ Homerus tribuit, vafrum omninò & multiscium virũ fuisse. Verum solertia illa consilia, & callida vaframenta, quibus è tot pelagi terręq; periculis emersus, & Cyrces pocula, & Syrenum cantus effugit. Ea ne credas, vt poeta fabulatur à Pallade illi suggesta, & (vt ita dixerim) in aurem instillata: sed ad vnam animi prudentiam & plurimarum rerum peritiam (quam diuturna illi pepererat peregrinatio) omnia scias esse referenda. Idq; ad summũ Homerum sub illo fictionis suæ inuolucro innuere voluisse; qui mores hominum multorum vidit & vrbes: dum non modò prudentem ac sapientem virum fieri,

sed

ſed aſſiduò ipſius Palladis, hoc eſt, ſapientæ auxilio & præſidio terra mariq; tutum reddi. Hæc adeò omnia ita eſſe, ſiquis vnquam fuit, qui ratione collegerit, ſi quis re ipſa & experimento compertum habuerit: in his ego planè iam nomen profiteor meum. Nam poſtquam à te profectus, Olādiæ oram perluſtraui (ſic enim eam recentiore vocabulo libentius quam veteri Bataui am appellauerim. Tum quia fortaſſe nō eſt omninò nunc eadem Olandia, quæ olim Batauia fuit. Tum quia mollius, & blandius neſciò quid & (vt fateor) minus barbarum ſonat Olandia quam Batauia. Poſtquam inquam Olādiæ oram perluſtraui: dij boni, quanto nunc mihi ipſi factus videor ſapiētior, quam multorum rerum peritior, quanto nūc mihi ipſi placeo magis: tu ipſe in me agnoſcas, ſi videres mi comes, ſi loquentem audieris: longe alium eſſe cenſueris, quam eum qui antehac fui. Tam multa, tam varia didici ad rationem viuendi conducibilia, & ad multarum rerum vſum imprimis neceſſaria. Sed ego ſumma rerū faſtigia perſtringam tibi. Quibus & totius regionis ſitum, & vrbium poſituram & inſtituta viuendi leniter colliniabo: Cætera narraturus coram præſeruo mihi: vt (id quod peregre aduenientes facere ſolent) aliquid in reditu habeam, quo te tanquam munuſculo quopiam munerer.

Olandia omnis (ſicuti ego ab incolis intellexi) paſſuum ambitu fere ſeptuaginta milium continetur: Eam à ſeptentrione ac oriēte magna pro parte Oceanus, ab occidente bicornis Rhenus abluit, à meridie quæ nunc dicitur Ghelria olim (vt multi volunt) Sicambria terminat. Terræ natura eiuſmodi eſt, vt ab Oceano ad interiorem partē ſit paulo deuexior. Sed Rhenus accepto Moſa multisq; alijs fluminibus, licet bipartitus, & mutato nomine in mare influat: tanto tamen aquarum fertur impetu ac magnitudine, vt Oceanum ipſum longè propellat: ac tam influens quam effluens ſupra triginta milia paſſuum inūdet, ac alternis pene maris ſpeciem reddat. Quinetiam veluti à Vaſtioribus aquis indignetur abſorberi cum Oceano tam diu luctatus: ab omni quod

ſupra

ſupra memorauimus)pelago illius amatorē excludit.Quā-
propter iratus ille(vt opinor)abhinc tres & nonaginta an-
nos licētius egreſſus fines magnā Olādiæ partem, & in ea
duos ſupra ſeptuaginta pagos immerſit:è quibus omnibus
vnū tantū infantē elapſum,natu grandiores affirmāt, & cū
eo felē,vt in ijſdē fortè cuius vterq; inuētus innatauit: heu
rē dictu, nedū viſu miſerabilem Enauigaui ego, nec paruo
quidē nauigio, loca illa omnia quæ adhuc exſtāt,q memi-
nerint aratris olim proſciſſa & ferratis peruia plauſtris.Vi-
ſuntur adhuc multis in locis turriū cacumina, quæ tanquā
ſepulchrū monumēta cadauera ibi opidorū ab aquarū gur-
gitibus tumulari, prætereūtes cōmouēt. Hæc maria ſic Olā-
diā ambiunt:ſic paſſim interfluunt, ac per crebras foſſas &
canales intermeāt, vt faſciatim, modo aquę modò terræ ve
luti zonis quibuſdam diſtincta videatur.Neq; vrbs vlla pa-
guſve eſt, quo nō & curru pariter & mari poſſis duci. Neq;
vſquā in tota regione quāruuis penitiſſima eſſe poſſis, vn-
de triū horarū ſpacio ad mare nō poſſes excurrere. Loca fe-
rè omnia paluſtria ſunt:nō tamē inuia, vt nō inaquoſa; vię
qua currus cōmeāt ſuggeſtis vt plurimū aggeribꝰ,nō ſalice
aut coctili latere, ſed quadrato ceſpite in ordinem poſito;
paſſum ſtratæ hinc atq; hinc aquarū foſſæ lintrib. ac naui-
gijs innatātur. Tū crebri illices,in quos excreſcentes aquæ
deriuātur, paludoſa & vix aliud, præterquā pecori pabulū
ſubminiſtrātia diſtinguūt arua, mortales ipſi æquè prope-
modū in aquis ac in terris degūt, ita vt amphibia quā terre-
ſtria animalia vernis dixeris. Vrbes foſſa & muro cinctæ
ta. perhibentur.Pagi & villæ quæ neque magnitudine, ne-
que cultu quibuſuis opidis cedant, ſupra ſex & triginta;
tum viri, compita, & margalia ſic paſſim interiecta, vt
vix quoquam oculos vertas, vbi non aliquod ædificij ge-
nus occurrat.Vrbes ipſæ plenis aqua foſſis & latericijs mœ-
nibus ſunt cinctæ, nam ſaxi & tophi expers omninò re-
gno eſt. Tum ampliſſimos & ad amuſſim dimenſos vicos
habēt, & eos quidē glarea, nauigijs aliundè inuecta ſtratos,
nulli luto, nulli cœno obnoxios, curiæ, ꝑtoria, tēpla, ξeno-
dochia & cætera id genus publica ædificia plerisq; in locis
auguſtiſſima, priuatarū ædiū vna ferè omninò facies, vna
ſtructu-

structura est: Latericij parietes in altũ haud multũ assurgũt, sed in acuminatã formã pinnisq; q busdã ad decorẽ distinctã desinũt Int⁹ è regione hostij (nã inferiora ędiũ ferè omnes incolũt) abacus & paries ipse aduersus gradioribus nitẽti ære peluibus & piltreis (vt aiũt) omnis generis lancibus instructi, prætereũtiũ oculos ad spectãdũ inuitãt, ac radiãti quodã fulgure luminũ aciẽ pœnè perstringunt. Bone deus quis vasorũ nitor: quę lectulorũ, quæ mensarũ lautitia, quis mãtiliũ, quis mapparũ cãdor, q sediũ ornat⁹, q̃ deniq; parietũ. q̃ soli. q̃ rerũ omniũ mũditia. Cęnaculorũ dietarũ cubiculorũúe pauimẽta leui arenula adspergũt, vt aliquid in ea immũdũ casu aliquo decidat, si cęnosa fortasse cuiuspiã vestigia in ædes inferãtur, fœdari pauimẽta non queãt, sed verri scopis è vestigio sordes facilius possint, antequã solo inhæreãt: hominũ genus (vt planè inspexisse videor) maximè industriũ, & negotiosũ. sed versutũ & callidũ. Addo etiã essedarios, q currulẽ vectationẽ exercẽt, subdolos, & in aduenas p̃sertim, lucelli cuiuspiã captãdi gratia fraudulẽtos. Mulieres vt pulchræ, vt lacteæ, vt simplici mũdicia oẽs: ita partim mercaturę ptractãdę, partim lanificio aut linificio potius dies & noctes intẽtę. Victus omnib⁹ parcissimus est: secũdario pane, aut lacte macerato aut butiro leniter oblito vitã ducũt. Tũ siquãdo se volũt inuitare vncias aut bubulas, aut ouillas carnes pridie coctas & in sextum interdũ diẽ seruatas apponunt. Has ego intuens auerti statim iubebã: videbar n. inspicere semilacerũ, & (vt tu festiuissimè dicere soles) quatriduanum aliquod cadauer sepulchro aut à scha lis gemonijs ad mẽsam pertractũ. Buccularũ & equarũ ingens numerus, illarum lacte non magis aluntur quam ingentes casei quosdã orbes conficiunt, equarum seruicio ad currus trahendos (quorum in Olãdia frequens vsus est) magis vtũtur. Hãc ego ferè totã regionẽ sex dieb⁹ perlustraui, aut percurri potius. Sed audi rẽ mirã. Est ibi vrbecula quædam apprimè cõcinna, cui nomẽ est Roterodamo, in eam & proficiscens & rediens duabus noctibus sum diuersatus. Cumq; miro quodã studio diligentius illã quã cæteras pertractarẽ. nescio quo pacto factũ est, vt illi⁹ intuitu vix mihi oculi possint expleri. Cognoscebã sanè illã & magnitudine

& opi-

& opibus multis alijs cedere: occultioribus tamē nescio quibus causis ea mihi placebat impensius. Mœnia, portę strata viarum arridebant mihi. Parietes ipsi, tecta, ædificia omnia vltrò videbantur mihi adulari, denique cœlum illud nitere purius, & aura spirare nescio quid diuinius. Vernari propinquus ager, texere circumfusus aër, herbęq; ipse ac salicta, quibus Olandiñus ager maximè consitus est, olere nescio quid amabilibus videbatur. Dum id stupeo mecum, & causam eius rei tacitus mecum quæro atq; vestigo: tādem cuiuspiam relatu cognoui ea in vrbe auras, primi hausisse luminis Erasmū. Sed cum postremo ad illā Oceani partē peruenissē, quæ haud procul ab Harlemo vrbe infremēs magnis arenarū cumulis lōgè lateq; replet, è curru statim prosiliēs Oceanū patrē rerum salutaui; sed vbi tam dirum Olandiæ vitricum illum fuisse animo subijt, qui tot opida, tot ædificia, tot mortales vno haustu absorbuit; magnis eū conuicijs & immanibus diris sum execratus, deinde quantam rem egerim diu mecum contemplatus, quod homo iam sexagenarius à Lucanis vsque in Italia ortus ad extremū illum orbis terrarum limitem venerim, tot montes, tot syluas, tot flumina tranās, tot terras tot maria emensus tam audax facinus & memorabile dignum censui, quod aliquo posteris monumento testificatum relinqueretur, ac sicut Herculis quondam iter erectæ ad Gades in Atlantico mari columnæ, Alexandri expeditionem ad Caspias portas positæ aræ, Pompei arma ad Pyreneos montes illata, defixæ identidem columnæ testantur, hic & nostros quoq; tam longæ viæ labores, & tam magnos ausus insigne aliquod monumentum memoriæ hominum commendaret. qui enim magis meruerint prædones illi hostes humani generis suū ipsorum nomē illustre ac æternum fieri quam ego meum? cum illi regnandi libidine, ac per propagandi per fas & nefas imperij auiditate, quietos & insontes populos vexare bellis, cædibus, rapinis, incendijs viam vastare, ac diuina & humana miscere non veriti sint. Ego videndi tantum studio, ac ea perdiscendi, quibus & mihi & alijs

prodesse

prodeſſe poſſim, tantum vię percurrerim, tam multa pericula; tam multos labores exhauſerim. tantumq; abeſt vt indigenas quoſpiam infeſtem aut expilem, vt vel illorum pleriſq; pecuniolam meam vltro impartiam, dum precio mihi hoſpicium & victum in diem paro. Iure igitur æternitati nominis noſtri conſulendum ſtatuens, pro copia rerum & temporis anguſtia cũ in arenarijs campis illis neq; marmoris neq; ęris vlla daretur facultas, ingentem arenæ cumulum congero, viridanti ceſpite munio, ac diſpoſitis circumquaq; in valli modum crebris inimicorum manipulis ſepio: tum rem ipſam duobus verſibus ſigno.

*Erexit molem hanc Chryſoſtomus, vrbis alumnus*
*Parthenopes, ſtudio qui hæc littora adusq; videndi.*

Rides fortaſſe me qui tam nubecillum opus contra tam vaſtas æquoris ac ventorum procellas ſatis firmum putauerim. Ne mirere, ab ipſis Olandis oceani accolis exemplum cepi: villas illi habent ad ipſas vndarum fauces poſitas, eas ibi ſepiculis quibuſdã ex ſimplici ſtipula vel iunco interlextis muniuêre, illarum obice contra proruptos vndarum mõtes & terrificos Oceani fluctus ſe ſatis ſuperq; tutos putant. ſed ego, mi Comes, pro epiſtola iam libellum ad te do, dum longo literarum alloquio intermiſſæ conſuetudinis noſtræ iacturã me iuuat reſarcire, dumque tecum partiri bona fide ſtudeo quidquid ipſe de Olandia properantibus oculis haurire potui. Nam ne omnia opida circuirẽ, neue diutius vſquã immorarer, peſtilentia quę, pleriſque in locis graſſatur prohibuit. Vtcumq; tamen ijs totis menſibus ſexdecim, quibus domo abſum cãdidiores mihi ſex dies illuxiſſe vix meminerim, ſi te ſocio, vt compoſitum inter nos iã pridem fuerat, mihi hanc oram peragrare contigiſſet. Tua enim ſuauiſſima conſuetudo, dilectiſſimi ſermones & acutiſſima dicta minus mihi laborioſam vectationẽ & longe meliorem viam effeciſſent. præclariſſimeque iſto imperio tuo ſingulari doctrina & exactiſſima diligentia inueſtigaſſes, collegiſſes, annotaſſeſque multo

plura;sed quando aliter fieri nequit,donec tibi per teipsum enucleatius satisfeceris, esto mecum contentus ijs quæ nos pinguiori quadam Minerua collegimus. Si quid tamen interea (vt omnium bonarum artium es curiosius)ab illo Sebastiano Cosmographo didicisti,fac tu nos vicissim edoceas,vt vterq; nostrum in commune (quod amicitiæ in primis munus est)æquè alteri ac sibi consuluisse videatur. Vale.

*GERARDVS NOVIOMAGVS SEBASTIANO Ciriacino amico candidissimo S. D. P.*

SAlue. Perlegit mihi ijs diebus Martin9 Dorpius Theologus cum eloquentissimus tum sapientissimus Epistolam Chrysostomi Neapolitani de Hollandię situ, Hollandorumq; moribus,quæ me impulit de Zelandia nostra epistolam ad te scribere. Zelandia multis insulis discreta, si in vniuersum spectatur, habet ab oriēte Hollandiam,ab occidente Oceanum Britannicum, ab Austro galliam Belgicam,ab Aquilone per Oceanum Britannicum Scoliam & Norvegiam prospectat. Sunt qui Zelandiæ sexdecim insulas totidemq; adscribāt opida, Alij ex hoc numero nonnihil demunt. Aer zelandicus ob Oceani vicinitatē paulo asperior est & inclementior: ager fertilis qui longè diligentiori cura colitur quàm Hollandicus. Triticum enim zelandicum Hollandico est purius & candidius. Opida, prætoria, templa vt Hollandis magnifica. Zelandis fermè ij mores, is cultus qui & Hollandis, Zelandus lingua nonnihil citatiore quàm Hollandus est. Si portuum commoditatem, si mercimoniorum copiam & abundantiam, si nauiū numerum spectes,Zelandia Hollandia lōge superior est. Zelandi bituminosas terræ glebas effodunt ijsq; ignem fouent. Ex cineribus sal coquunt candidissimum atq; acerrimū. Aduehitur etiam ex Britannia minori & Lusitania salis ingens copia, quod zelandi excoquunt & repurgunt, quo vtuntur vicini Belgæ Germaniq́ue superi. Tres sunt in Zelandia insulæ insignes; quarum

vnam VVallachriam, alterum Scaldiam, Tertiā Suijtbeuelandiam dicunt. VVallachriam à Gallia denominari mutata g. in duplex V. persuasit mihi vir Princeps Philippus Burgundus Oceani præfectus, qui & hoc anno in VVestcappella marmor repperit Herculis nomine vetustissimis inscriptum literis: quare & Herculem aut ibi aliquando appulisse, aut Zelandiam Herculi sacrā fuisse asserere nititur. Quod à vero (meo iudicio) non longe abest. In hac insula portus est quem Arundam vocant in quem ex toto orbe naues appellunt. Est & alter portus Vernensis, sed in eo statio nauium male tuta est. Est & Middelburgus emporium frequens ciuitasque refugij, quod tantum decoris adfert quantum commodi; In hanc enim ciuitatem ex toto orbe ære alieno grauati confluunt sentinamq; malorum efficiunt. Scaldia è fluuio huius nominis dici videtur. In hac Ciriacum est oppidum amœnissimum ab indigenis habitatum, honestissimisque abundans mercatoribus. Superest Suitbeuelandia ab euentu & situ sic dicta; Nam & ante aggeres circumductos terra tremula erat. Et Scaldiæ anserina est, cui apponitur parua insula quam Mortbeuelandiam appellant. In Suytbeuelandia Gonsa est oppidum ab aue quam gansam Plinius dicit nomen sortitum. Hic locus totus Zelandiæ nonnullis dicitur amœnissimus. Sunt & opida & insulæ aliæ celebres de quibus iam nihil scribo, quod Zelandiæ situm incolarumque mores & laudes libello quodam scribere decreuerim; in quo ea reperientur quæ in hac epistola tumultuaria desiderantur. Habet hæc nostra ętate Zelādia viros eruditione claros mihiq; non ignotos Paulum Middelburgū Mathematicū insignem, atq; multarū linguarū peritū quē etiam ipsa Italia, quæ vult videri latinissima, perorantē magna cum admiratione sæpe audiuit. Habet Hollandia præsidem M. Nicolaum Middelburgum vnum vtriusq; iuris tam consultum vt multo magis ipse eam

ornet dignitatem quam ornetur ab ea. vtq; ei palmam memoriæ eruditionisq; etiam illi tribuant: qui tanto viro male volunt. habet & Simonem Vviskerkensis iureconsultum prudentissimum & multijuga eruditione instructū. Sunt Milderburgi amici mei duo, quorum vnus est Ioannes Borsalus vir & vitæ integritate & summa eruditione clarissimus qui à morum honestate boni cognomen meruit. Alter est Hadrianus Cordatus mœcenas meus liberalissimus, eruditione & modestia nemini postponendus. Sunt & Ciriaci doctissimi viri Iason Himnidicus medicus. Lazarus adulescēs litterarum studiosissimus, Franciscus Vpidi à seretis Erasmi illius nunquam satis laudati discipulus, & multi alij de quibus aliàs scribam latius. Solus Barlandus politioris literaturæ armarium, multū decoris Zelandię suæ adfert, qui quantum in bonis litteris possit, florentissima Louaniensium Academia tecum nouit Habuit & superioribus seculis multos rara doctrina viros. quos vt commemorem vetat temporis angustia. Sed M. Nicolaum Middelburgum medicorum ætate sua Phænicem, silētio non præteribo; cuius raram & doctrinam & fidem cum prędicat non vna regio, tum sumptuosissima magnificaq; domus Hantuerpiæ quasi monimētum exstructa testatur. Hæc sunt mi Sebastiane quæ de Zelandia nostra ad te tumultuariò scribere Chrisostomi epistola me impulit; quæ si tibi ceterisq; amicis placere cognouero propediem videbis de Zelandia nostra longe cumulatiora. Valebis: Louanij in collegio Cruciferorū. Secundo Kalend. Martias anno M. CCCCXIIII.

*MARTINVS DORPIVS HOLLANDIS suis S. D. P.*

CLarissimi viri, in hac epistola Chrisostomi Neapolitani hominis (Si licet ab vnguibus Leonem) elegantissimi, nolim offendat vos, quod Hollandis victum scribat esse parcissimum quando & finitimę gētes id vna voce omnes facilè coarguant, à quibus voluptatis gulęq; damnati, etiam ventres per iocū vocamur; tantum

tantum abeſt vt tenui victu & ſecundatio pane victitare cenſeantur. Et videtur Neapolitanus non in alia quam eſſedariorum hoſpitia diuertiſſe: quæ vbinam gentium conſueuerunt non eſſe paulo ſordidiora, & agrario manticoq; cibo quã cupedijs & lauticijs inſtructiora. Quod ſi in illis quoq; eam omni rerum mundiciam offenderit, quam prædicat, quid in primatum, opulentiſſimorumque ciuium ædibus (quæ pleraq; rectius palatia dicantur) cõiectauerit latere? Porro anceps ambiguũq; facit Chryſoſtomus, ſitne ea nunc Hollandia, quæ ab hiſtoricis celebratur Batauia. Atqui poteſt id cõiecturis (nam apodixem adferre res ipſa reclamat) & quidem ſimillimus veri comprobari: de quo Ioannes Delphus præceptor meus libellum collegit: quem publico dignum forte aliquando emittam, ſimul vt ei memoriam ab obliuione aſſeram viri omniſeriam quidem, ſed hiſtoriç in primis ſtudioſiſſimi: ſimul vt Hollãdiæ noſtræ maiorum ſuorum præclara facinora innoteſcant. Quod autem Olandiam ſcribit Chryſoſtomus, ſciolus aliquus (ſat ſcio) perſuaſit, vtpote homini extero & peregrino. Nam vocabulo natiuo Hollandia vocata eſt, ac deinde quod aſperius id vaſtiuſque ſonaret, ceptum eſt dici Hollandia. Siquidem in patroni mei Domini Abbatis Hecmendẽſis inſigni bibliotheca, annales vidi multis iam ſeculis aſſeruatos, in quibus nunquam non inueni Holtlandiã annotatam, idq; à lignorum copia quam illinc Friſij gens veſtuſtiſſima nec minus nobilis, ſibi ſolent requirere. Quod autem Calepinus auctor alioqui non futulis Batauiam putet eſſe quç nunc eſt Bauaria, ſomnũ reputo. Errant & illi procul à vero qui totam regionẽ, quanta inter duo brachia Rheni concluditur, vno Batauię nomine cenſeri autumant, ſiquidem Plinius lib. 5. Caninefates etiã in Rheno collocat, qui non ſunt Bataui; vt quos Tacitus meminit vicinos eſſe Batauis, origine, lingua, virtute pares; ſed numero ſuperatos. Poſtremo nec Gelria eſt Sicambria, quod multos velle ſcribit Chryſoſtomus, Nam Cæſar, vt quarto commentariorum eſt videre, ex Gallia trans

Rhenum per Vbios(qui nunc omnibus sunt Colonienses) contendit in fines Sicambrorum, ibiq; duos paucos moratus in fines Vbiorum se recepit. Sicni ergo Gelria est Sicambria; is doceto quinam sint vbij Rhenum & citra Sicambriam, id est vt ipsi interpretantur Gelriam. Adde ijs quod à Cæsare factus est secundus pons prope Treuiros, & is scribitur factus paulùm supra priorem, Ergo non procul à Colonia, sed de his aliàs. Nunc epitheta duntaxat quæ celeberrimi auctores Batauis tribuunt subnectam, eaq; fide integra. Valete, & hanc Dorpij vestri in patriam pietatem boni consulite.

*Epitheta Batauorum.*

Feroces, truces, animosi, fortissimi, veteres militiæ magistri, populi virtute præcipui, fidelissimi, statura proceri, nobilissimi, Socij imperij Romani, à primæuo æuo laudis & gloriæ populus, laudis & gloriæ cupidi, quondam duces Germaniæ atq; Galliæ in bello quod gerebant contra Romanos, audacissimi, immetuentissimi, victoriosi, veteres multorum bellorum victores, validissimi artus exercitus, tributorum expertes: Galli pro libertate, Germani ob prædam, Batavi pro gloria ad prælia instigabantur, vt scribit Tacitus lib. viges.

## GENEALOGIA COMITVM *Hollandiæ.*

Comitatus Hollandiæ originem sumpsit è duobus, regno Franciæ & Imperio Cæsaris: Postquam Troiam Galliam administrassent Puppinus Rex factus est: etsi regio stemmate oriundus non esset, quia tamen Saracenos à Gallis propulsabat, id ei honoris tributũ est, magnoq; in precio est habitus. Vt itaq; firma esset potestas, solus dominari, Monarchiam constituendo, voluit, edictoq; vetuit, ne quis Franciæ arma (insignia) gestaret.

*Puppinus Rex.*

Dux Aquitaniæ, tametsi à Regibus originem duceret hiscere non audebat: Lilia deposuit & Troianorum insignia resumsit.

Ex sanguine huius ortus est Rex Carolus Caluus, quem verebantur omnes, quia & imperio & Francia potitus est. Quare & Hollandia simul illi cessit,

in qua

ſit, in qua nonnihil iuris ſibi vendicauit, & tanquam Cæſareum (imperiale) fæudum dotauit Theodorico filio natu minimo Ducis Aquitaniæ: qui anno mundi 863. ibi Comes factus eſt, & communibus ſententijs acceptus. Leonem rubeum in-fæudo deaurato Troiani geſtare ſolebant anno 858 quæ inſigna in Hollandiam ſecum aſportarunt. Vxorem duxit Genam nomine, filiã Puppini Regis Romanoru, ex hac tulit filium Theodoricum. Extruxit monaſterium (monialium) virginũ ſacrarum Egmondi. Friſios, Norvvegos & Danos armis ſubiugauit; ita vt Orientales Hollandis nocere non poſſent. Duobus & quadraginta annis adminiſtrauit. Magna pompa Egmondi elatus eſt.

Theodoricus alter primogenitus filius, conſilio ſuorum vxorem duxit Hellegõdam Ludouici Francorum regis filiam, quæ peperit filiam, patri ſimilem Arnoldũ quæ ei in prouinciæ adminiſtratione ſuccesſit, cum Egerto Archiepiſcopo Treuerenſi. Deuictis Friſonibus, Cænobium Egmondi reſtaurauit, & ex lapide extruxit & monachos ibi collocauit. Rexit annis octoginta quinque, & in illa Abbatia Egmondi ſepultus. 1.

Arnoldus primus eius nominis Theodorici filius, duxit Lutgardam filiam Theophanis Græcorum Imperatoris, ex qua duos filios ſuſtulit: prior natu ab aui nomine Theodoricus eſt appellatus qui poſtea regnauit: alter Syfridus primus Dominus Brederoede. In pugna cecidit (zu VVinckelmade) Egmondi ſepultus. Quinque duntaxat annis gubernauit Comitatum. 2.

Theodoricus Arnoldi filius, tertius eius nominis. Duxit VVytelbeldã principẽ fœminam Octonis Ducis Saxoniæ filiã: quæ duos enixa eſt filios fortes & bellicoſos, Theodoricũ Hollãdiæ Comitẽ, & Florũ Friſiæ: Deuicto Vltraiecto Hieroſolymã religionis ergô profectꝰ eſt: pòſt obijt, Egmõdi ſepultus honorificè, vbi & frater Dominus Brederoede iacet. Rexit annis plus minus 46. 3.

Theodoricus quartus eius nominis alteri ſucceſſit. hoſtibꝰ terribilis erat, armis valẽs Dordracũ diſſidij plebeij componendi cauſſa, profectus eſt: vbi venenato telo

ictus occubuit. Vxore & liberis caruit. Rexit annis IX. Egmondi sepultus anno 1048.

6. Florus eius nominis primus Thedorici frater ab equestri ordine magno cõsensu electus 6 Hollandiæ Comes. Duxit vxorem filiam Heymanni ducis Saxoniæ, ex qua sustulit regi Theodoricum Hollandiæ Comitē. Et filiā quæ nupsit aliquādeo Francorum. De hostibus victoria potitus Hermerti in prælio cecidit. Rexit 14. annis. Egmondi sepultus.

7. Gertruda mortuo marito Floro liberorum nõie biēnio Hollandiam administrauit: pòst nupsit alteri viro Roberto Frisio, Balduico Flandriæ comitis filio iuniori, consentientibus Hollādis Is bello fortis erat. Peperit illi quinos liberos, filios duos & treis filias.

8. Robertus 8. Comes Hollandiæ nomine liberorum suæ vxoris decennio ius dixit. Factus est tutor comitis Flori adhuc impuberis. Hierosolinam expugnari iuuit. Pulso à Lotringo, adiuuante episcopo Vltraiectino Theodorico, net plures frater (vxoris maritus) liberos reliquisset, in locum illius suffectus est bello gestisq; militiæ clarus. Iacet Cassetij in templo Diui Petri.

9. Comes Godefridus Lotharingus, dictus gibbosus, Hollandiæ comitatū iniuste violenta manu occupauit etsi nonnihil iuris prætenderet. Delphensem ciuitatem condidit, cum castro recens exstructo, in quo habitabat. Hinc Antuerpiam profectus, illic vulnus accepit, & Traiectum (ad Mosā) delatus, perijt. an. 1075 ibiq; sepultus. Regnauit annis quatuor.

10. Huic rursum Theodorico quinto filio Comitis Flori Hollandiæ comitatus cessit Erat is decimus Holl. Comes ex ipsa veterum comitum stirpe oriundus. VVitelheldam Ducis Friderici filiam duxit, quæ genuit Florum pinguem; qui Vltraiectinos cum Episcopo vicit & subiugauit: Hostibus terrori erat. Quindecim annis imperauit. Mortuus anno 1092. Egmondi apud auos sepultus.

11. Florus pinguis vndecimus Batauorum comes. Vxorem habuit Lotarij Romanorum Imperatoris sororem.

Legi-

Legibus & statutis gubernauit vnum & triginta annis. Quattuor ex vxore liberos tulit. Maximus natu Theodoricus, qui post imperauit: alter Florus niger dictus. Simon & Hadevoyckus reliqui. Egmondi conditus est an. 1123. Quo mortuo Petronella vxor ipsius Reynsburgi cœnobium erexit.

Comes Theodoricus sextus, Hollandiæ comes XII. paterno erga eam affectu, vxorem habuit Ottonis Comitis Palatini filiam Sophiam nomine, ex qua tulit Florum Holl. comitem, bellicosum, & Ottonem, Comitem Benthemium. post Balduinum & Theodoricum, Vltraiectinos episcopos, Comitē Kuyckensem & Frisios armis superauit. Profectus Hierosolymam solus & modestè (slecht) ibi mortuus est, & in Xenodochio Belgarū sepultus. Quadraginta annis imperauit. — 12.

Florus tertius, patri successit. Ada filia Regis Scotiæ vxor illi erat: ex qua sustulit tres filios Theodoricum, Guilielmum & Florum. Confectis multis bellis præclarè contra Flandros & Frisios, profectus est stipatus multis nobilibus ad terram sanctam pio zelo armis recuperandi. Sed sepultus est Antiochiæ in templo D. Petro sacro. Gubernauit annis 27. — 13.

Comes quartus decim⁹ Theodoricus septimus, princeps clarus, ob fortitudinem terrori omnibus. Vxorem habuit Alijtam ex Cliuia quæ peperit illi filiam, Ada nomine, quæ pòst successit. Frisios, etsi furere viderentur, compescuit, Flandros rebelles superauit: Vltraiectinis fortiter se opposuit. XIII. annis prudenti consilio præfuit. Obijt anno 1203. Egmondi sine pompa sepultus. — 14.

Ada patri successit in Comitatus Hollandici administratione quæ hæreditate illi obuenerat. Sed mater Alyta repugnantibus Statibus filia elocauit Comiti Ludouico Loonio, non recte. Sed mors nuptias anteuertit. Sine liberis itaq; mortua vno duntaxat anno gubernauit. Deus animæ ipsius misertus donet frui sempiternis gaudijs. — 15.

Gulielmus eius nominis primus Theodorici comitis — 16.

frater germanus sextus decimus Comes fuit. Comitis Ottonis filiã duxit domũ. Tres ex ea sustulit filios, Florũ qui in administratione successit. Ottonem Episcopũ Vltraiectinum & D Guilielmum. Adiurantibus Harlemẽsibus Damiare vrbe inexpugnabili potitus est. Vnde illi Heroica insignia sua principis beneficio acceperũt. Viginti annos rexit Reynspurgi visitur eius sepulcrum.

17. Florus quartus duxit vxorem filiam ducis Brabãtiæ, Machteltam nomine, ex qua tulit Guilielmum regem, & Florum manu robustum, Alytã Comitem dominam Hannoniæ, & Margaretam Heynebergã quæ huic successit. Multis bellis gestis à Comite Cleermõtano prodigiosè interfectus est, Corbij in Hastildio, magno omnium dolore delatus. Reynburgum apud patrem collocatur anno 1235 (alij 1204.) Duodecim annis cum laude præfuit.

18 Gulielmus secundus octauusdecimus Comes duxit Filiã ducis Brũsvvigæ, ex qua tulit Florũ qui illi successit. Electus fuit Rex Romanorũ, & Aquisgranũ obsedit & expugnauit: ibi rex coronatus est. Frisios & Flandros fortiter superauit: tandem tamen ad Hoochvvontium cladem accepit imprudens. Plus minus viginti annos gubernauit. Middelburgi conditus est.

19. Comes Florus 5. armis potens, Flandros vicit. Beatricem Flãdriæ comitis filiã vxorem duxit: ex qua tulit D. Ioannẽ, qui post eũ regnauit. Frisios vicit, & in officio continuit. Quinq; enim claustra munitissima in finib' illorũ exstrui fecit. A Gerardo Velseo cæsus est, & Reynsburgum sepeliendi caussa delatus. duobus & quadraginta annis ius dixit.

20. Ioãnes eius nominis primus. Flori filius, vicesim' comes Eduardi Regis filiã duxit domũ, ex qua nullos liberos tulit. Cũ Frisijs frequẽter bellũ gessit, & de quibus sæpè triumphauit. Vltraiectinũ episcopum vicit. Harlemi mortuus an. 1300. Quattuor dũtaxat annis gubernauit. Reynsburgi apud patrem sepultus.

21. Ioannes Hannonius, eius nominis secundus filius Alitæ sororis Regis Guilielmi. Comes Lutsenburgensis filiam

liam suã Philippam vxorẽ dedit: ex qua tulit filios magni nominis Guilielmũ Comitẽ Hollandiæ & Ioãnem Comitem Boloijs qui cum Flandris bellum gessit, quos Guilielmns tandẽ superauit. Hinc mortuus est, sepultus Valencænis. Quinq; annis Hollandiam administrauit.

Guilielmus tertius Ioannam Valesiam Gallorũ regis sororem duxit: quę peperit Guilielmum, qui patri in comitatu successit. Margaretã Romanorũ imperatricem, Philippam Angliæ Reginam, & Ioannã dominã Comitem Gulick. Flandros subiugauit. Harlemi epulum instituit .i. Comitia fecit, perpetuis octo diebus, comitatus xx. Comitibus, centũ Baronibus, & mille equitibus auratis Cęsaris vicẽ gerebat in multorum Dominorum ditione. Post annum 32. quo regnauit animã deposuit, Valencenis sepultus. 22.

Guilielmus quartus, patri successit. Vxorem habuit Ioannam filiam Ioãnis ducis Brabãtiæ ex qua nullos liberos sustulit. Ter contra Ethnicos profectus est. Tertio rediẽs Colon æ aulã habuit. Electores sacri imperij, imperium offerebãt, Vltraiectũ obsedit & vicit. In Frisia cęsus ad Stueueram occubuit postquam 9. annis rex sset, & Valencensis sepultus est 23.

Guilielmo comiti successit soror Margereta imperatrix, vxor Ludouici imperatoris, cui duos peperit filios, Guilielmũ comitẽ quẽ demẽtem comitẽ vocabãt & Albertus dictus. Quo tempore orta est factio magna, vtrimq; strages data, filius aduersus matrẽ belligerabat, Mosa sanguinis colorem imbiberat Guilielmus Hollãdiam & Zelandiam obtinuit, ipsa in Hannoniã concessit. An. 1351. Mortua Valencenam delata. 24.

Guilielmus quintus Bauarus, assentiẽte matre vt pax & tranquillitas redderẽtur Hollãdiæ & Zelãdiæ præfectus est, & matre vita defũcta, Hannoniæ Ducis Lancastorij filiũ duxit, sed sine liberis mortua est. In multis oppidis clamabat, (Hoesden is my.) An. 1358 cæsus est, tametsi diligenter custodiretur quòd esset mente captus; Imperauit annis vndeuiginti, Valencenis sepultus. 25.

Dux Albert⁹ Bauar⁹ eius nom. prim⁹ extincto fratre 25.

Co-

Comes Hollandiæ factus est & Hamoniæ: Duxit Margaretam filiam ducis Brigiæ, quę peperit Guil. (assseclam patri) & Ducem Ioannē Leodiensem episcopum & Albertū immatura morte præreptum. Filias etiā quatuor quæ magnis viris nupserunt. Friscos domuit. Reliquit & Guil. nothum filium primum Dominum Schagæ. Sex & quadraginta annis præfuit cum laude, & Hagæ Comitis sepultus.

27. Dux Guilielmus vicesimus septimus Comes fuit, duxit dominā Margaretam Burgundicam, diuitē matronam ducis Philippi Lehardi filiam: ex qua sustulit Iacobam dominam. Accessit & illegitimus filius, primus dominus Haghenvbonde. Frisios & Arekelios vicit, Gasperā, Hagestenā habitas firma munimenta solo æquauit. Leodienses etiam pugnando deiecit. Tredecim

28. annis rexit. mortuus anno 1417. Valenceni sepultus est.

Hinc Domina Iacoba comes facta est. Sed paterna hæreditate quietè frui non potuit. Dux enim Ioānes patruus ipsius bellis infestabat & Dux Philippus Burgundus armis etiam lacessebat. Quatuor viris nupsit, sed sterilis vt apparet, hæredem non reliquit. Philippo itaque Duci cui hæreditario iure obueniebat, concessit. Sedecim annis administrauit. Leylingæ mortua, & Hagę Comitis sepulta quemadmodum moriens præce-

29. perat.

Dux Philippus Burgundus eius nominis primus, Comes vicesimus nonus potēs armis & diues. Tres Regum filias duxit: ex Isabella Portugalliæ regis filia, vxore vltima sustulit Karolum, qui ei successit, viribus valens. Lutetiam Parisiorum vi occupauit. Gandauum & Bragas bello deuicit, vt supplices veniam orarēt. Dinātium vastauit & diripuit. Octo annis Hollandiam rexit vt dux (als Rubbaert) Triginta quatuor vt Comes. Post Dygeoni sepultus, princeps Nobilis & clarus.

MAR.

# MARCHIONATVS ANTVVERPIENsium initium.

*Ex Goropio lib. 7. Greg. Turonens. lib. 3. cap. 3. & Adone Viennensi.*

MOrtuo Clodouęo primo Cochliarius Danorũ rex dicitur Belgicam siue Austrasiam classe inuasisse, ac ingentibus prædis coactis dum spolijs 2. Germaniæ onustis reditum pararet ad Scaldim, qui infimus erat Austrasiæ limes, à Theodeberto Theodorici regis Orientalis Franciæ filio cum toto exercitu deletus est. Qua victoria Austrasianus in agro Antuerpiano potitus, anno 516. Marchionatum Antuerpiensium, id est, limites illius præfecturam Vtiloni primario copiarum duci vnà cum sorore sua in matrimonium tradidit. Cæterùm huiusmodi excursiones non fuerunt diuturnæ ante Ludouici tempora. Sub ipso verò repetitæ centum ferè annis durauerunt &c. Ex schedis Molani.

HADRIA.

# HADRIANI BAR-LANDI RHETORIS LOVA-NIENSIS PRINCIPVM HOL-LANDIAE, ET EPISCOPORVM insignis ecclesiæ Traiecten-sis, res gestæ,

*SHCOLIA EIVSDEM BARLANDI.*

D. HADRIANI CORDATI CANO-nici Middelburgensis in operis, aucto-risque commendationem.

*Romanos proceres scriptor Tranquillus adumbrans*
*Magna immortales reddidit arte viros.*
*Non secus Hollandos comites Barlandus ab vmbris*
*Euocat ad lucem candidiore via*
*Tranquillo Italia, & Barlando Hollandia debet*
*Hic Batauos, Latios colligit ille duces.*

# DOCTISSIMO D. IOANNI BORSALO DECANO SCANDENBVRGENSI apud Verienses Hadrianus Barlandus S. D.

*De vita sua & Scriptis.*

CVpienti mihi humanissime Borsale, vitæ meæ seriē chartis, seu fidis sodalibus committere, in mentē venit pter te, neminē aliū esse magis idoneū, apud quē id facerē. Sūma enim mihi cōsuetudo, & familiaritas tecū est peruetus. Itaq; vt ab ea incipiā ætate, qua nostrates pueri discēdis literis admoueri solēt. Annos natus vndecim, à patre Gandauū ablegatus, quadriēniū ibi perpetuum doctissimo præceptori operā dedi, Petro Scoto, viro lōge facūdissimo, & q in oratorū, ac poetarū veterū enarratione, suis tēporibus fuerit cessurus nemini. Is, vbi me animaduertisset incredibili litterarū studio pter cęteros flagrare, cœpit ea diligētia instituere ac docere, vt nullū interim boni pręceptoris officiū prętermiserit. In cuius ædibus, ac schola maximo cum fructu, exactis quatuor annis, iussu parētis Louaniū veni, Me miserū in hoc gymnasio, dici nō potest quantā studiorū iacturam, ac vtilissimarum pceptionū, quas ab optimo dicendi magistro perceperam, interitū fecerim. Itaq; periijt hic plane alterū nobis quadrienniū, qp exclusis, q id ętatis mihi discebātur, multo poterat melioribus impendi. Quid multa? iam erā ætatis vigesimū annū ingressus, cū acceptis liberaliū artiū studij insignibus, ad ea vix tādem reuertor, quæ coactus nō modo intermiseram diu, sed etiā abruperā, abieceramq;. Qua mihi credis animū lætitia velut exūdasse, primis illis diebus repetiti studij, quo ab ipsis pene crepundijs vnicè sum delectatus, verū vt maximū, ita & breuissimū fuit gaudiū, quod ea studiorū mutatio mihi pepererat. In his enim principijs, cū euoluere, ac maiore cura legere cepissē veteres autores, qui puero mihi fuerāt gustati, ibi sum expertus, q̄ multa superiore illo quadriēnio, qp puerilibus cōmentationibus impēderā, excidissēt. Quæ omnia q̄tis postea laboribus, vigilijs, sudorib9, ac valetudinis iactura recuperauerim,

non licet eloqui.Porro his ita reuocatis, ex prudentum consilio,& amicorum sententia, me contuli ad docendum,In quo munere,totum nouennium, aut plus eo, ita me gessi,ita semper studui satisfacere, vt & libenter me auditores mei audierint, & ex quotidianis meis enarrationibus,multum se quidã profecisse fateantur,q̃. q̃ ego hic nihil mihi sumo,aut arrogo. Dũ hæc aguntur dumq; inter puluerarios sedeo scholasticos, re ipsa repperi, nihil esse difficilius quàm alios bene instituere: quod certo scio nunquam facturos eos, qui duntaxat gustatis aliquot neotericorum scriptis, veteres illos, omnis doctrinæ parentes, nũquam attigerint. Quorum non paucos censeo propemodum ediscendos ei, qui volet eximium præstare interpretem. Nemo hic mihi græculos, nemo satis Romanè loquentem prędicet, ingenium sublime,ac omnifariam eruditum hominem volumus eum esse,qui poëtas, aut oratores antiquos susceperit enarrandos. Vt ad me reuertar, in maximis docendi laboribus, etiam stilo exercendo, plurimum temporis impartiti sumus Verti septimo abhinc anno complures Aesopi apologos. Scripsi adnotamenta in prouerbiales Verg. sententias, Ea Parrisijs abhinc triennium ita corrupit, ac deprauauit quidam omnium litterarum rudis typographus, vt satius fuerit in scrinijs continere, quam ineptissimis librarijs temerè committere. Postea scripsi opusculum de litteratis vrbis Ro. principibus.Scripsi scholia in selectiores Plinij epistolas. Scripsi compendium rhetorices, & hæc impressa sunt, & euulgata, Quæ nondum edidimus, Commentarij in Ausonij tetrasticha. Varij in comœdias hic exhibitas prologi. Scholia in aliquot Prudentij carmina. Paraphrases in totum ferme Valerium Max. Epistola vna prolixior, in malos calcographos, & hæc omnia iuuenis scripsi iuuenibus. Nunc autem peruectiori mihi, posteaquam cupido incessit litteris mandandi res gestas illustrium, ab Hollandiæ nostræ principibus visum est auspicari, in quorum egregijs facinoribus commemorandis, fidei seruandæ tam anxie studui, vt non vno libro conten-

tus

ue multas,ac varias etiam bibliothecas adierim,vbi de hisce rebus aliquid extaret.Non multo pòst accessit Catalogus episcoporum Traiectensium, ad quod libelli scribendum eo consilio venimus,vt qui tanti viri digna relatu gessere, aliquando legerentur à pluribus. Ex vberrima enim hac doctorum hominum fruge nemo adhuc, quod sciam,extitit,qui cultum orationis, velut nitidiorem vestē,his rebus adijcere sit conatus. Hoc autē tempore mihi scribuntur facta insignia Caroli Burgundi, quem principem constat ante Nantium occubuisse.Spero & hæc celsitudini tuæ futura non iniucunda vbi in publicum exierint Habes interim vir doctissime, in quibus studijs adolescentiæ florem consumpsimus. Ea si tu probabis,nauatæ operæ me nunquā pœnituerit. Vale Louanij Præcidanijs ferijs trium Magorum.

## GENEROSIS ADOLESCENTIBVS GEORGIO, ET PHILIPPO EGMVNdanis, & Maximiliano Iselsteino Cognatis, Hadrianus Barlandus

S. D.

*QVanquam non sum nescius clarißimi iuuenes, vndiq; prodire tantum librorum inutilium, exortis etiam nuperrime qui linguarum studium, sine quo nulla disciplina percipi potest, libellis editis,conentur explodere. Tamen quum bene sperarem à bono, & candido lectore me vigilijs quoque meis aliquid loci impetraturum, recognoui his diebus opusculum quoddam meum de rebus gestis Hollandiæ principum, quod opusculum in lucem emissurus, vobis tribus dedicandum censui.Nam in Hollandia ijs maioribus estis prognati, quorum admirabili prudentia tot iam annis res Hollandica mirè floruit. Huc accedit, quod in hac florentißima academia,me profitentem iam prope triēnium auditis, atq; ita auditis vt certis colligam argumentis,vos incredibili studio teneri bonarum literarum. Accipite igitur Hollandi de rebus Hollandicis qualemcunque libellum meum,in quo prælia, & pugnas illustrium principum, non vitia narrauimus,ne quid interim turpitudinis conbiberet vestra tenerior ætas. Va[illegible] e Loua. XII. Calend. Maias.*

 HADRIA-

# HADRIANVS BARLANDVS GVILIELMO ZAGARO CIRIACINAE iuuentutis moderatori S. D. P.

*De ratione studij.*

SIgnificasti mihi proximis literis tuis Henricum qui apud vos triennium docuit iuuētutem, isthinc migrasse, teq; in eius locum à magistratu surrogatū, quod vbi legi dictu mirū est quanto sim perfusus gaudio atq; voluptate. Itaq; nunc tibi gratulor, gratulor iuuentuti Ciriacinæ, gratulor ciuibus Guilielme; Tibi quod eam sis nactus conditionem, per quam quasi gradum breui (vti spero) sis altius ascensurus; Iuuentuti verò quod te sit nacta præceptorē qui morum sanctitati & grauitati (quæ duo in magistro desiderat Fabius) summam coniūxeris doctrinam, non modo philosophiæ, sed etiam politiorum literarum, quas qui non dedicerunt haud satis exculti doctrina putantur Contra qui perceperunt docti habētur, & ciuibus, aulicis, principibus, regibus, ac summis etiā pontificibus sunt admirationi. Quod verissimū esse vnus Cicero (vt alios interim taceam) abunde docere potest. Is enim per se cognitus nulla commēdatione maiorum propter excellēs ingenium: atq; diuinā & singularē eloquentiam per omnes fere dignitatum gradus Romæ ad summū imperium elatus est, eo tempore quo populum ingens propter Catilinæ facinorissimi hominis coniurationem tristicia inuaserat. Credebant enim neminem neq; melius neq; citius vi dicendi tantū malum ab vrbe depulsurum quā Ciceronē. Sed omisso Cicerone, gratulo r tandem ciuibus etiā istis quod latinè tā impensè eruditum habēt vrum, cui liberos suos tradere instituēdos possint, sine vlla grauiore impēsa, sine cura, sine molestia: Tu igitur da operam vt Zelandiæ meæ immo tuæ iuuentutem bene diligenterq; instituas non in literis solum: verum etiam in bonis moribus sine quibus litteras male atque infeliciter disci putauit

Quin-

Quintilianus,qui vt optimus rhetor,ita etiã doctor fuit pueritiæ optimus. De prælegẽdis autoribus nihil opus esse existimo vt ad te ista eruditione virũ pluribus scribã. Verum vt arctius mihi Zelãdiæ nostræ pubẽ demerear, & pro meo in homines eloquẽtię studiosos amore paucis explicabo,quos initio studij enarrãdos autores censeã:quanq̃ plures ante me clari viri de hac re literis nõnulla prodiderũt. Primus igitur locus debetur grãmaticis. Græcis & latinis: Inter græcos doctissimi quique Theodro Gazę primas tribuũt. Apud latinos multi quidẽ de grãmatica scripserunt. Inter quos minus video esse in precio veteres. Nostris enim tẽporibus leguntur in scholis Neoterici, quorũ nonnulli: veterum (vt credo) vsi cõmentarijs diligenter admodũ de re grãmatica conscripserũt, velut Aldus Manutius fœlicis memorię: & Ioannes Despauterius viri rara doctrina & singulari facũdia. Ex horũ doctissimis commentarijs præceptor non omnino politioris expers literaturę facile poterit colligere pauca & ea optima præcepta, quæ pueris tradat ediscẽda. Nunquã enim probaui eos magistros qui inculcandis cõmentariorum latifundijs iuuentutẽ cõplures annos remorari solẽt ac detinere. Nuper etiã libelius q̃dã de cõstructione octo partiũ orationis ex Anglia est allatus primæ ætati vtilissimus. Qui omnibus hic doctis ita placuit, ita fuit vẽdibilis, vt intra paucissimos mẽses bis formulis excusus sit. Hũc nos hyeme superiore discipulis aliquot pręlegimus nõ sine magno illorum bono. Te idem vt facias non solũ hortor, verũ etiã obiecro & si quid apud te vel gratia vel auctoritate possũ sinę hoc impetrẽ. Et hactenus quidẽ de grãmatica. Nunc venio ad poëtas, quorum lectionẽ equidẽ malo pueros auspicari primũ ab Apologis qui AEsopi nomine circũferuntur. Sunt enim argumenti genere iucundi pueritiæ & vacant obscœnitate. Hos autem habemus à Guilielmo Goudano Hollando latinè atq; eleganter traductos. Taceo eos quos ego virenti adhuc & florida ætate magis exercendi stili q̃ ostẽtandi ingenij gratia expolire olim studui. In quibus legendis nolim pueros male tempus collocare, neq; enim mihi nunc placẽt, neq; tunc placue

runt:cum eos magis impellentibus amicis quam aucupandæ famæ gratia publicaui. Perceptis Apologis Terētius mihi videtur vtilissimus:est enim vbiq; purus: tum ipso dicendi charactere ad quotidianum sermonem quàm proxime accedit,& potest delectatione aliqua allicere lectorem vt ait Cicero, & cum sit eorum qui comœdias reliquerunt facile castissimus, nihil verendum est ne iuuenibus morum aliquam scabiem affricet. Id quod in Plautinis fabulis citius euenerit,quas attingere omnino pueros nolim, aut certe non introspicere studiosius. Nam Plautus & fœda recēset & obsoleto vtitur dicendi genere.quod me quidem nunquam magnopere cepit. Post Terentium, proximum locum video ab omnibus Vergilio datum, est enim latinorum poëtarū & optimus & castissimus. Quare hunc scriptorem sanctissimi etiam viri Hieronymus & Augustinus olim nō modo euoluisse:sed etiam edidicisse traduntur. Huic si quis pietatis amore,Prudentium ac Baptistam Mantuanum putet addendos, equidem non reclamo qui Christianus & viuifici lauacri mysterijs initiatus. Christianos poëtas non modo non contemno: sed etiam vehementer admiror,fuisse enim vterq; videtur peracri ingenio & doctrina eximia. Vergilio succedat Horatius, quem præcipuè legendum in epistolis censeo,Odas delectas esse velim. Iuuenalem & Martialem qui prælegūt similesque poëtas qui suos mores fassi, argumenta fœdis puerorum amoribus inquinauerunt, id mihi agere videntur quod ille qui vesti cuiuspiam vt conburatur ardentem admouet facem. Perlectis atq; enarratis his poëtis ad Ciceronem traducendi sunt pueri, quem inprimis legendum vel ediscendum potius puto Nam & & viuo gurgite exundat (vt ait Quintilianus) & vbique præ se fert fœlicissimam facilitatem, & per varias eloquentiæ partes euagatus est. Post Ciceronis fluuios gustent ex. C. Iulij Cæsaris commentarij, in quibus lenis est & æquabiliter fluens oratio, & mira etiam latini sermonis castitas. Salustius etiam nō fuerit inutilis, quamquam est in nouandis verbis (vt fatatū in Catilina dixit

pro

pro fatali)paulò occupatior quàm oporteat esse Romanum hominem, Huic prætulit Liuium Quintilianus à quo dissentio, non quod negem grauissimum autorem esse Liuium:sed quia laborat obscuritatis(quæ plærumq; iuuenes auertere, & desertores studiorum efficere solet) vitio,atq; ob id prouectiori est relinquendus ætati. Non sunt etiam negligendi epistolarum autores: inter quos post Ciceronem & Plinium Secundum præcipue laudatur ab omnibus Philelphus,qui hoc scribendi genus non videtur mihi aggressus infœliciter.Sunt & Lauren. Val.commentarij quos ille de latini sermonis elegantia reliquit,diligenter euoluendi:multum enim adiuuare poterunt eloquentiæ cādidatum. Et hos quidem authores ad latinæ linguæ cognitionem satis esse puto. Sed fortasse dices mirari te ꝙ nullam Apulei mentionē fecimus:Soles enim huius scriptoris lectione plurimū delectari,sicq; auide in manum arripere quasi(quod de suis studijs apud Ciceronem dixit Cato) diuturnam sitim explere cupiens: & elegantem eum & copiosum dicere.Non nego copiosum esse Apuleum: puto tamē indignum qui aut à viris deo dicatis contrectetur: aut in puerorum scholis legatur. Nam propter argumenti obscœnitatem mihi semper visus est moribus pestilens autor. Dicerem etiam literis nisi magistellos quosdam vererer, quibus vsq; adeo dicendi genus affectatum cordi esse videtur, vt magis Apuleum quam Ciceronem principem in omni facundia eminentissimum exprimere studeant. Hoc vitio etiam quidam hodie magni nominis viri laborant qui dum(vt Fabius ait) cōmunem loquendi morem reformidant,ducti specie nitoris turgidum & inflatum genus dicendi amplectuntur, & dum nouis aut nimium antiquis longaq; annorum serie desitis vocabulis eruditionem ostentare nituntur: offendunt, & ridiculi fiunt ijs qui acriori sunt iudicio, ac iuxta paræmiam emunctæ naris. Hic dicit mihi rursum aliquis, omneshos poëtas quos suasi non esse pueris attingendos:olim studiosissime legisse sanctos viros ac summos etiam Theologos. Credo,& res ipsa indicat ne-

minem fere veterum Theologorum poeticam nesciuisse. Sed in illis hominibus natu iam grandioribus non erat id periculi timendum quod in pueris: qui nouerunt descripta minus horrere vitia & turpium rerum contentione minus etiam amare honesta. Priusquam igitur ad poëtas de quibus loquuti sumus audiendos pueri veniant, carminis legem ac formas omnes teneant oportet, sic enim facilius versum emendare poterunt si mendosus sit, & minus etiam censorem metuent inter legendum. Hanc artem quam grammatici Versificatoriam dicunt sæpenumero admirari soleo in Louaniensium scholis non solum non doceri sed omnino etiam negligi: ac pene pro somnijs & nugacissimis nugis contemni: cum sit ad recte pronuntiandũ in vtraq; oratione cum primis necessaria. Disputandi, Scribendi ac dictandi etiam cõsuetudo exercitatioq; adsint. Hæc enim tria & intelligendi prudentiam acuunt & memoriam confirmant & loquendi celeritatem incitant, & multa quoq; disputando discimus & quæ sic discimus, multo firmius retinemus, & M. Tullium (vt de alijs nihil dicã) scribendi dicendique exercitatio magna ex parte quantus est fecerunt. Ad hunc modum in literis instituti adolescentes deducendi mihi videntur ad perdiscendam dialecticam qua percepta veniant ad alia parationes: aperit enim viam ad omne doctrinarum genus Et huius philosophiæ partis prima rudimenta ex quo, quæso, autore commodius aut celerius quã ex Io Cæsario aut Trapezũtio didicerint? Sed & hic opus est interprete docto: Sic instructi ac philosophiæ iniciati discipuli tui, omni studio ac diligentia curabis vt à parentibus Louanium aut aliò mittantur vbi Aristotelis Philosophorum principis interpretes audiant, quos nisi audierint, nunquam aut non nisi magnis sudoribus assiduisq; vigilijs sibi parabunt iuris vtriusque scientiam, nec medicus vnquam erit bonus nisi physices arcana peruestigauerit : quæ post dialecticam tradenda est . nec Theologiæ abdita penetrabit qui dialecticam non calluerit . Vnde mirari soleo plerosque adolescentes qui ex scholis , quas

parti-

particulares vocant, huc euntes vix salutatis gymnasiorum (quæ pedagogia hic vocantur) liminibus, vix etiam bene intellectis tribus grammaticorum canonibus duci se immo verius seduci patiuntur ad iureconsultorum scholas vbi numerum tantum augeant. Interim tota via totoue cœlo (quod aiunt) errantes dum se miseri ignorata dialectica credunt scientiam iuris assequuturos. Quod si fieri posse existimassent maiores nostri, nũquam in publicis academijs constituissent publicos Aristotelicæ philolophiæ interpretes. Huc accedit quod eorum quidam cauerunt ne quis Iureconsultorum aut Theologorum scholas adeat nisi prius dialecticæ interpretes audierit. Qui sunt hoc tempore Louanij & vt audio in inclyta quoq; Parysiorum Lutecia, summa tum modestia tum doctrina, ad quos audiendos si vt modo te hortatus sum latinis literis instructos discipulos tuos maturè emiseris, & tibi iucundam & illis rem vtilem facies, simulque videberis magis puerorum studia: quam quod ex illis, si apud te manerent, prouenire possit lucellum amare. Quo quibusdam hodie ludimagistris nihil est antiquius: vt qui huius gratia solius complures annos iuuenes natu etiam grandes apud se detinent ad nominum & verborum declinationes, puerilia meditamenta consenescentes. Habes inelegantem de instituenda pueritia epistolam meam quam tanquam hospitam recipies. Sed vt si ipse venissem coram hęc tibi aperuissem: quod quidem esset factum nisi me pestilentia: quam passim isthic superioribus diebus inualuisse audieram, deterruisset. Sic quoniam his literis meum de erudiendis pueris ad te iudicium profectum est, vtere quantum poteris: poteris autem quantum velis. Cum vero accepero te eo gaudere atq; delectari, tun & coram breui (vt spero) & dum aberis per epistolam tecum commentabor. Benè vale igitur mi Guilielme: tibiq; persuade me tui esse amantissimum, sed multo fore amantiorem si meo de prælegẽdis autoribus iudicio lætabere. Gerardus Nouiomagus te salutat, & doctrinæ tuæ studiosus, perinde ac solet amat. Humanissimo Francisco Zandico vrbi vestræ à secretis dices meo Ge-

rardiq; nomine plurimam salutem. Doctissimum Iasonem de pratis, medicinę Licētiatum audio commigrasse Goesam: quod dolui vehementer: & gauisus sum vehementer, quod tua iucundissimi amici consuetudine priuatus esses, & quod ego hominem qui me effusissime diligit, tum fauet impensissimè: patriæ meæ viciniorem haberem. Iterum Vale Louanij.

## CARMEN BARLANDI EXTEMporale ad Guilielmum Za. vt amici epistolam dono missam læta fronte excipiat.

*MI Guilielme vagæ moderator magne iuuentæ*
*Gloria Cyriaci mi Guilielme freti.*
*Exiguum magni lætus cape munus amici*
*Atq; Apinis pateat bibliotheca meis.*
*In qua multa legis magnorum carmina vatum*
*Quotidie, & ludis sæpius ipse aliquid.*
*Quod mirata cohors omnis facunda sororum*
*Laude nouem extollit, quodq; Minerua probat.*

CATALO.

# CATALOGVS NOMINA COMITVM Hollandiæ, eorumq; capita indicans.

# HADRIANI BARLANDI HOLlandiæ Comitum Libellus.

## De Theodorico primo Hollandiæ Comite.

### CAPVT I.

*Ioannes Pon. octauus.*

CAROLVS cognomento Caluus, Romanus Imperator, & Gallorum Rex, quum audisset Hollandiam imperatoriam terram à Danis, qui Traiectum incolebant, vi bellica fœdari, Ioannis octaui Pontifi. rogatu, principatum eius contulit Theodorico cuidam Troiani sanguinis viro vt annales tradunt. Is confestim armata manu Hollandiam ingressus, Phrysios compescuit primum. Deinde cum inuidere cœpissent ij populi tam longam Theodorico cum finitimis pacem, eum prouincia eiecerunt, eiectus, confugit ad vnicum, & promptissimum subsidium Carolum Caluum Imperatorem cuius iterum opera non ita multò pòst in Hollandiam reductus, de ijs qui coniurationis autores fuerant, supplicium sumere non distulit. Obijt mortem anno initi principatus quadragesimo, relicta vxore Geua nobili fœmina, Peperit ei hæc, Theodoricum, qui paterni comitatus hæres postea fuit. Ambo, & Theodoricus, & Geua, sepulti Egmondæ.

*Theodoricus à Phrysijs Hollãdia eiectus.*

*Theodoricus in Hollandiam reductus.*

## De Theodorico secundo. Caput II.

*Monasterium Egmondense instauratum.*

THeodoricus huius nominis secũdus qui in demortui patris locum factus est comes, iterum rebellantes Phrysios bis memorabili prelio deuicit. Egmõdense monasterium crematum à Phrysijs ex lapide, instaurauit. Visitur eadem domus hodie multo quã tunc erat opulentiore apparatu, debeturq; omnis hic splendor, & magnificentia ędificij, Menardo Mannio abbati, Qui vir sanctimonia insigni non modo collapsa vetustate maiorum opera restituit, verum etiam prope extinctum inter suos pietatis studium reduxit. Theodoricus

*Laus Menardi abbatis.*

ricus autem comes fatalem obijt diem, anno gubernationis octogesimo. Corpus eius ingenti hominum vtriusque sexus conuentu Egmondam delatum.

De Arnulpho Com. Caput III.

ARnulphus tertius Hollandiæ comes, Theodorico patri successit. Hic princeps multa cum Phrysijs bella gessit. Ad postremum cæsus ab ijsdem, in quodam Vuesphrisiæ agro non sine maximo dolore suorum, à quibus & ipse Egmondam exanimis deportatus, in maiorum conditorium reponitur.

De Theodorico tertio. Caput IV.

THeodoricus tertius huius nominis, defuncto patre Arnulpho, rexit Hollãdiam. Cuius principatu multis diebus fulsit in ea regione stella crinita, quam subsequutum est bellum Traiectense. In quo cæsis vtrinque multis haud obscuri nominis principibus, captus etiam Adeboldus loci præsul abducitur in Hollandiam, vbi comitis iussu diu multumq; custoditus mansit, cùm propositas sibi conditiones abnuisset. Creditur eius belli præcipua caussa fuisse, quod Adeboldo instigante Phrysij rebellassent. Itaq; postea vt patris necem vlcisceretur Theodoricus incensis villis, agrisq; late vastatis, omnem breui regionem suæ ditionis fecit, cumq; bello victis Florentium iuniorem filium præfecisset, ipse victorem exercitum reduxit in Hollandiam, Hierosolymam profectus vt dominicum sepulchrum voto inuiseret, in reditu mortem obijt. Corpus eius Egmondæ illatum tumulo maiorum.

*Stella crinita.*
*Bellũ Traiectense.*
*Adeboldus episcopus captus.*
*Peregrinatio Theodorici comitis*

De Theodorico quarto. Caput V.

POst defunctum patrẽ, Theodoricus quartus comes fuit, qui Leodij, quò ludorum gratia cum multis alijs variarum regionum Principibus venerat, homcidio perpetrato trepidus aufugit. Nec sic quidẽ tutus. Nã alij principes, qui cædem nobilis viri cupiebant vindicare, cum ingenti armatorum manu fugientẽ vsq; in Hollãdiam sunt insequuti Dordraci, quam vrbem proditione

*Ludi Leodienses.*
*Fuga Theodorici principis.*

occu-

*Proditio Dordraci*

occupauerant, cruento certamine dimicatum, occisis vna nocte quadringentis nobilibus. Defunctus ea pugna Theodoricus, mane post solis ortum, quum animo satis ocioso foris deambularet, telo in femore ictus ab hostibus, qui nocte superiore aufugerant, biduo tantum superuixit.

*De Florentino comite Caput VI.*

CVm Theodoricus sine prole decessisset, frater eius Florentius ex Phrysia in Hollandiā accersitus, reipublicę gubernacula suscepit, Huius successibus externi principes aliquot, Archiepiscopus Coloniensis. Antistes Leodinus & Lambertus comes Louaniensis inuidentes, contraxerunt exercitum, quo nouum comitem principatu deturbarent, quod vbi ad Florentium permanasset, statim ex consilio senis cuiusdam, quà hostem venturum credebat, factas clam noctu ingentes foueas, vt qui intendebatur dolus procederet, fœno & stramine operuit, in quas egressi hostes cum incidissent, adfuit statim Florentius, qui magna prius edita cæde, multos abduxit captiuos, inter quos erat comes Louaniensis, quem postea grandi pecunia redemptum dimisit incolumem. Hæc victoria comitis tātum abfuit, vt Archiepiscopum Coloniensem deterruerit, vt non multis inde annis interiectis, cum numeroso exercitu in Hollandiam sit reuersus, cui effusius omnia vastanti, occurrens cum non pœnitenda suorum manu Florentius, leui pugna hostē fudit. Multi in eo prelio cecidêre, reliqui capti, qui ætate aut alia re impediti fugere non potuerunt. Fuit annus ille quo Florentius eam victoriam adeptus est, humanæ salutis secundus & sexagesimus supra millesimum. Habent annales hunc eundem principem nō multo post superatum Archiepiscopum, sub arbore quadam currendo, an pugnando dubium est, defessum sedisse, ibique interemptum ab his, qui superiori prælio fugerant.

*Comes Louaniensis.*

*Insidiæ.*

*Victoria Comitis.*

*Victus Archiepiscopus Coloniensis.*

*Vbi Interemptus Florentius comes.*

### *De Gertrude. Caput VII.*

MOrtuo Florentio præfuit Gertrudis vxor eius, qua gubernante, non inuenio vſquam bellatum. Hæc vita deceſſit, edita iam ex duobus maritis numeroſa prole.

### *De Roberto Caput VIII.*

RObertus ſecundus Gertrudis maritus, Theodorici præuigni ſui, nec dum maturi gubernaculis, tutor aſcitus temp. ſumma integritate continentiaque rexit. Pulſus tandem à Godefrido Lothoringiæ duce, qui Traiectenſis antiſtitis opibus fretus Hollandiam per vim occupauit.

### *De Godefrido Caput IX.*

GOdefridus cum iam videret omnia ſibi ad animi ſententiam ſuccedere, factis multo elatior, bellum Phryſijs intulit, quibus deuictis reuerſus in Hollandiam ſubſedit Alcmariæ, nouem interim hebdomades à Phryſijs obſeſſus, implorauit opem Traiectenſis Antiſtitis qui repente ſuccurrens, multis milibus Phryſiorũ cæſis, Alcmariam obſidione ſoluit. Poſtea idem Godefridus, qui gibboſus dictus (quod grandis ei pectore gibbus excreuerat) condidit oppidum Delfenſe, noſtris tẽporibus diuitijs & pietate multum inſigne. Tradunt quidam eum, cum forte ventrem exoneraret, grauiter vulneratum, paucis poſt diebus animam efflaſſe, luiſſeque hoc modo pœnas alieni per vim occupati imperij.

*Alcmaria obſeſſa à Phryſijs.*

*Godefridus gibboſus conditor oppidi Delfenſis. Laus eiuſdẽ oppidi.*

### *De Theodorico quinto Caput X.*

GOdefrido igitur cæſo, redijt comitatus in familiã & ad verum hæredem Theodoricum huius nominis quintum, qui adminiſtrationem adeptus, pro magno habuit negocio, recuperare patriam hæreditatẽ, cuius gratia Conrado Traiectenſium antiſtiti bellum indictum. Exercitus conflatus, qui cupiditate recuperãdæ hæreditatis per vim ademptæ, mirum dictu, quanta ſit alacritate, & impetu hoſte aggreſſus, qua quidem re factum, vt territus antiſtes, ac veritus, ne illud malum plus

*Bellũ indictum epiſcopo Traiectenſis.*

*Pax inter Episcopũ & Comitem.*

plus nimio inualesceret, deditionẽ fecerit. Itaq; pax facta, & quicquid antea vi, armisq; Conradus Theodorico adhuc puero ademerat, redditum. Ortum interea nouũ à finitimis bellum Phrysijs nouo comiti rebellantibus, contra quos per cõcretas frigoribus aquas (iã enim brumæ tẽpus erat) profectus Theodoricus, modico negocio eorum aciẽ disiecit, cæsis in eo certamine quatuor Phrysiorũ milibus. Tantũ abfuit, vt ea clade accepta quieuerint, vt eodem tẽpore contracto alio exercitu, eduxerint contra Theodoricum, qua rebellione vehementer commotus ille redijt. Estq; eo die atroci cõcursu tanta Phrysiorum strage pugnatum, vt nullius neq; sexus, neq; ætatis respectus sit habitus. Plures etiã villæ, atq; pagi incensi. Stauria tribus hebdomadibus circumsessa, tandẽ his cõditionibus rebellionis veniam impetrauit, vt deditione facta certam pecuniæ quantitatem Theodorico daret. Hunc in modũ subactis Phrysijs pax composita perpetuumq; obsequium Hollãdiæ comiti promissum. Hic Theodoricus vita defunctus est, cum præfuisset annis quinq; & viginti.

*Bellum Phrysicũ.*

*Iterum cæsi Phrysij. Stauria.*

*De Florentino secundo. Caput XI.*

Filius eius Florentius deinde imperat, vir excelsa statura, crasso corpore, pacis quam belli amantior. Egenos hic & pauperes (quod magnũ iusticiæ opus est) aluit, studuitq; toto principatu, omnibus prodesse, nocere nemini. Hoc modo viuendo omnes, qui ante eum fuêre comites virtute ac sanctitate antecelluit, mortuus, postquam annis duobus & viginti in summa pace & ocio Hollandiam rexerat.

*Florenti⁹ pacis amator.*

*Florẽtius optimus princeps.*

*De Theodorico sexto. Caput XII.*

Fuit inde comes Theodoricus superioris Florentij filius, natu maior, qui subita defectione rebellantes Phrysios domuit, adq; obsequium retraxit, sed non diu illi in officio manserunt. Nam paulò pòst Florentio nigro, quem in Theodoricum fratrẽ animo infenso esse nõ ignorabant, socia arma iungentes, hostiliter in agrũ hollandicum incursione facta, Alcmariam incẽderunt,

exarsissetq; multò latius incendium, nisi repentè certior factus Theodoricus hostem retrò abire coegisset. Haud multò pòst, cum allatum esset vxoris eius fratrē à Phrysijs captum, exercitū à Traiectensium antistite superatū, Traiectum profectus hostiliter eam vrbem circūsedit, eratq; omnifariā mox instrumētis oppugnaturus, nisi cum vniuerso clero Heribert⁹ antistes. pōtificio habitu, vrbe egressus, vt anathemate comitē notaret, militem compresisset. Cōmentarij, quos sequimur, tradunt ipsū quoq; Theodoricū ad antistitis pedes iacentē, suppliciter anathematis fulmē deprecatū, Supplici ignotū, vrbsque obsidione liberata. Huius Theodorici temporibus, Traiecti, nescio quo casu, ortū incendium, cuius adeo flāma inualuit, vt pręcipua vrbis tēpla, non pœnitendis adornata imaginibus, arserint. Miraculi loco habitum, quod in tanta pulcherrimę vrbis conflagratione, ædem Saluatori dicatam ignis non attigit.

*Alcmaria incensa.*

*Obsidio Traiecti.*

*Traiecti ortum incendium.*

*Traiectū vrbs pulcherrima.*

*De Florentio tertio. Caput XIII.*

THeodoricus, cuius modò res gestas perstrinximus, filium reliquit Florētium, qui postea factus comes, matrimonio sibi iunxit filiam regis Scotię quam à Viboldio abbate Hæcmundensi, viro multa sanctitate prædito, in Hollādiæ portum aduectam, incredibili apparatu, læticiaq; excepit. Hunc & Godefridum Traiectensium antistitem, de Phrysiæ imperio contendentes, in gratiā reduxit Fredericus imperator, qui sedandæ altercationis gratia id tēporis in Hollandiā descenderat. Contigit paucis post mensibus, vt Florentio comite maioribus curis occupato, Phrysij in Hollandiæ agrum egressi, Alcmariam iterum incenderint, qua re cōmotus Florentius, educto exercitu, cum Phrysiorum gente conflixit, victi Phrysij, non paucis argenti modijs pacem redemerunt. Est deinde Florentius, cū plerisq; alijs illustribus viris Hierosolymam profectus, quibus omnibus cum vna esset susceptæ peregrinationis ratio, vt Saracenos, qui terram sanctā inuaserant, diuino freti auxilio,

*Filia regis Scotiæ data Florentio Comiti.*

*Viboldus abbas Hæcmundensis.*

*Fredericus Imperator venit in Hollandiam.*

*Alcmaria iterum incensa.*

eijcerent, bis cum ea gente dimicauerunt, ac primo prælio interfectorum armis adiuti, altero ita fœdè hostem afflixerunt, vt in ea pugna vndecim Saracenorum milia ceciderint. Spolia ampla relata. Tamq; singularis victoriæ auctori deo actæ gratiæ, Si satis diligenter, & integra veritate compositi annales. Perijt Florentius in Anthiochia.

*Saracenorũ cædes Florẽtius in Antiochia mortuus.*

*De Theodorico septimo Caput XIIII.*

THeodoricus septimus, patri Florentio in Anthiochia defuncto, surrogatur, qui comitatum adeptus cum Guilielmo fratre suo, in Zelandia satis atrociter conflixit. Verum non multo post Balduinus Traiectensium antistes, & Theodoricus archidiaconus, concordiæ autores fuêre, hac conditione, vt Guilielmus Theodorico maiori natu, comitatum Hollandiæ cedens, in Phrysia orientali rempublicam administraret, & quotannis ex Gheerulitensi teloneo, trecentarum librarum (vt vocant) reditum acciperet Desijt postea in humanis agere Balduinus antistes, à cuius obitu Theodoric⁹ Hollandiæ comes, inde sedis Traiectinę (de qua electis duobus contendebatur) factus est tutor, cui summa fide res ecclesiæ curare nitenti, obstitit Geldriæ consilium, estq; ob id cum ea gente dimicatum. Postquam hic motus resedit, comes Theodoricus cum exercitu Brabantiam ingressus, Buscumducis vi cepit, eratque nobiles inde viros aliquot in Hollandiam abducturus, nisi subitus Lothoringiæ ducis aduentus omnia mutasset. Nam cæsis illic in magno numero Hollandis, dux ipse captus, non potuit prius in suum comitatum redire, quàm omne damnum, quod Buscoducensibus intulerat, æqua æstimatione persoluisset. Idem quum annos tredecim rexisset, & morbo graui non longe, à Dordraco premeretur, multum angebatur Guilielmi fratris absentia, quem Adæ filiæ adolescentulæ admodum, & immatura adhuc ætate, ad imperandum relinquere tutorem cupiebat, hisque implicitus curis moritur, omnibus magnũ sui desiderium relinquens.

*Mors Balduini Traiectẽsis episcopi.*

*Pugnatũ cum Geldrijs, Captũ Buscũducis.*

*Ada filia Theodorici.*

De

*De Ada. Caput XV.*

ADa superioris Theodorici filia, mortuo patre, nupsit illustri viro Ludouico comiti Lossensi, cui cum tantum coniugium à finitimis quibusdam principibus inuideretur, magni bellorum motus in Hollandia orti, vix tandem post multam cædem resederunt.

*De Guilielmo Theodorici septimi fratre.*

ADæ neptis gubernationem Guilielmus orientalis Phrysiæ comes excepit, ab hoc inimicorum arces aliquot euersæ. Incensum à Traiectensibus Dordracum huius principatu. Causam vastationis eius non inuenio. Pax tandem inter Hollandos, & populum Traiectensem ita composita est, vt comes Guilielmus, qui prius multo maiore incommodo Traiectenses affecerat, mille talentum antistiti persolueret. Hic, Molgtolini auunculi sui, Schotorum regis, audita morte, per quam regnum lege ad se rediisse putabat, classem contraxit, qua Schotiam ingressus, multa oppida expugnauit, sed cum à Ludouico Loscensi comite, Hollandiam igni, ferroq; vastari accepisset, ne certum, & iam acquisitum comitatum, pro incerto regno amitteret, domum reductis nauibus, Ludouicum adortus est, qui Hollandiæ agros latissimè populabatur. Obijt mortem hic Guilielmus anno initę apud Hollandos gubernationis vndevigesimo, In Phrysia orientali sexto & vigesimo.

*Dardracũ incensum.*

*Guilielmi comitis in Scotiam profectio.*

*Reditus Guilielmi in Holland diam.*

*De Florentio quarto. Caput XVII.*

FIlius eius Florentius huius nominis quartus fit inde comes, peritia dimicandi, nulli superiorum principum secundus. Magnitudine rerum gestarũ huius viri, accensa Claræmontensis comitis vxor, maritum orauit, vt ludos militares ex industria pararet, rata futurum vt Florentius studio dimicandi cum suis accurreret. Constituitur certamini dies, ad quem diem cum & Florentius, cuius vnius gratia factus erat ille apparatus, venisset, læta mulier, conscendit partem domus superiorem, vt ex editiore fenestra, dimicantem prospectaret,

*Cædes Florentij Comitis.*

cuius virtutem ipsa cum subinde laudibus ferret, suspicãs maritus adductum sibi ante oculos thori insidiatorem, contractis clam armatis in locum certaminis descendit, omnisq; rei ignarum Florentium obtruncat.

*De Guilielmo secundo. Cap. XVIII.*

*Guilielmus rex Romanorum electus.*

OCciso Florentio, Guilielmus filius eius nōdum maturus administrationi erat, sex tātum annos natus, tamen ei comitatus Hollandiæ ad puberem ętatem incolumis mansit, tutela parui Ottonis Traiectensium antistitis. Hic Guilielmus armorū quā auri multo studiosior, imberbis adhuc, & vix dum annū agens vigesimū, Romanorum Rex eligitur, cui inde Leodium per antistitem loci consanguineum suum perducto, vniuersus clerus extra vrbem officij causa obuiam processit. Eodem fere tempore apud Treuirensium Archiepiscopum pluribus diebus commoratus, rediјt postea in Hollandiam, instituitq; non longe ab oppido Delfensi concilium, ad quod Hollandi, Zelandique suas causas deferrent, Locus dicitur Haga comitis. Idē princeps nuncijs & literis certior factus Margaretam nigram, quæ per id tempus Flandriæ præerat, exercitum conflasse ad expugnandā, diripiendamq; Vualachriam, Zelandiæ insulam, Florentium fratrem cum armata iuuentute eò misit, vt Flandros ab iniuria arceret. Accidit forte, vt non longè à Middelburgo, nobili Zelandiæ emporio, duo exercitꝰ inter se concurrerint, fuit ea pugna Flandris tam cruēta, vt latissime sese in Middelburgensem agrū hostilis sanguis effuderit, quod cū Guilielmus rex audiuisset Flādros memorabili clade affectos, nauigans è vestigio in Zelādiam, suppliciter accurrentibus Flandrorum reliquijs pro innata sibi clementia veniam dedit. Cumq; omnes detractis vestibus nudos remisisset, ne à tāta clade reuersi, ludibrio suis essent, ex virentibus pisis subligacula sibi fecisse traduntur. In hunc modum superatis Flādris, Guilielmus ab Innocentio Pontifice maximo in Italiam accersitus Ianuę Cæsarea accepit insignia, Inde profectus in vlteriorem Almaniā, vbi per omnia oppida, pagos, & arces maximis est honoribꝰ cohonestatus, exilien-

*Consilium in Haga Comitis.*

*Middelburgum emporiū Zelādiæ.*

*Guilielmi clemētia.*

*Innocentius Pont. max.*

lientibus vndiq; ad regis aduentum plurimis. Interea certior factus Phrysiorum rebellione turbari Hollandiæ ostia, ingenti armatorum manu reuersus cum hoste bis conflixit, semel primo aduentu, estq; tunc regijs viribus Phrysiorum miles subactus. Item pòst quinto calendas Februarias, cum omnia diuturnum gelu peruia fecisset, Phrysiam iterum ingressus, ante initum prælium occiditur, nouem & viginti annis in publica administratione completis.

*Guilielm⁹ Cæsar factus.*
*Pugnatū cum Phrysijs.*
*Guilielm⁹ in Phrysia cæsus.*

*De Florentio quinto. Caput XIX.*

FLorentius huius nominis quintus, annum agēs septimum decimum, vindicaturus patris Guilielmi cedē, Phrysijs bello indicto non multò pòst cum ingētibus copijs descendit. Congressi tū prelio Phrisij plus octingentos è suis amisere. Florētius, post aliquot annos iterum cum exercitu in Phrysiam reuersus, prosperè pugnauit. Eodem tēpore, senis cuiusdam inditio inuentum patris corpus, quod vsq; in eam diem interfectores eius occulerant, Middelburgū in Zelandiam deportandum curauit, sepeliuitq; magnificentissimè in Premonstratensium fratrum monasterio, quo non est hoc tempore structura magnificentius aliud, in ditione Burgundica. Meruit hac re illustris princeps singularis in parentē pietatis laudem. Porro defunctus sepulturæ munere, cū Flādris, qui mox ad subigendam Vualachriam adfuturi dicebantur, nauali prelio certare constituerat, sed priusquam educere in hostem potuit, interea adfuit Brabantiæ dux Ioannes, quo adnitente facta pax, quæ vt firmior esset Guidonis Flandriæ comitis filia Batrix nomine, Florentio in matrimonium data, ex qua cùm cepisset quatuor filios, tres in flore primo extincti sunt. Multa in diuersis Hollādiæ oppidis palatia, magnifico extruxit apparatu, & secessus fecit amœnissimos, in quibus nūc venationi operā daret, nūc inter formâ excellentes virgines delitiaretur. In re quoq; militari dimicādo, iaculandoq; se multū exercuit. Proditum est eum domi ordinatis rebus in Angliam traiecisse, vt Schotorum gētem

*Phrysij bello petiti.*
*Monasterium Præmonstratensium Middelburgi.*
*Vualacria Zelādiæ insula.*
*Guido Cōmes Flandriæ.*
*Opera Florētij principis.*
*Florētius venationi deditus.*
*Florentij in Angliā traiectus.*

tem subigeret. Verum rebellione Flandrorũ reuocatus, mentem ad alia vertere coactus est, quæ omnia pręterco studio institutæ breuitatis. Extremo vitæ tempore magis contumeliæ causa, quam impulsu libidinis, corrupit vxorem Gerardi cuiusdam Velseni, quem ipse prius ad summos honores prouexerat. Hoc factum eius cum intolerabile videretur, conspiratum est in eum à multis Velseno & Hermanno Verdeno corruptæ patre, conspirationis principibus. Apprehensus igitur Traiecti, cùm auditum esset in Hollandia contrahi exercitum, ad liberandum comitem duobus & viginti vulneribus à Velseno confoditur. Velsenus postea captus, perpetrati sceleris pœnas dedit.

*Florẽtius xxij. vulneribus confossus Traiecti.*

*De Ioanne primo. Caput XX.*

INterfecto Florentio cùm puer adhuc abesset in Anglia, filius eius Ioannes discordia aliquandiu in Hollandia laboratum est, donec missi in Britãniam legati, comitis nuper cæsi hæredem reducerent, sub cuius appulsum, omnis repente sedatus motus. Hic Ioannes natu grandior, bis rebellantes Phrysios aggressus, magnis affecit cladibus. Hoc etiã principe Dordraci tumultuatum est. Decessit post exactum in administratione quadriennium. Eodem fere tempore vixisse dicitur in Hollandia gigas, Nicolaus nomine, cuius immanitas corporis omnibus fuit admirationi, excelsa statura, homines sub brachio excepisse traditur. Calceus eius quatuor excellẽti magnitudine hominum pedes facile capiebat, puerosque in ludum euntes, ita vastitate illa membrorũ territabat, vt nisi procul, & à tergo eum aspicere non fuerint ausi. Hoc fortasse non ita facile sibi fidem apud homines inueniet, quod fabulę propinquum videri possit. Sed cur minus æquo animo audiendum, quàm quod olim in Creta insula repertum sit humanum caput instar dolij & in terra India vixerint homines tam insigniter auriti, vt aures ad pedes defluerent.

*Discordia laboratũ in Hollandia.*

*Gigas Nicolaus.*

De Io-

*De Ioanne secundo. Caput XXI.*

CVm sine liberis Ioannes huius nominis primus, fato decessisset, Hollandiæ comitatus ad Ioannem principem Hannoniæ deuoluitur. Hic fratrem suum, Guidonem Traiectensium antistitem creatum, tanto studio defendit, vt semel profligatis, qui illum episcopatu deijcere conabantur, nulli deinde arma mouere sint ausi. Per id tēpus eques armatus in cœlo visus, qui adhortatus dicitur clara voce populum ad arma capessenda: stetit & mare eodem temporis spacio innumerabilibus coopertum nauibus, ad quod spectaculum, cum vndiq; sese accolæ effudissent, repētè naues illæ omnes euanuêre, His tunc prodigijs præmonstrata sunt paulò pòst apud Zelandos gesta bella. Flandrorum comes Guido Dapirus, ita enim scriptum inuenio, intra paucos menses ter frustrà Ziriseam obsedit, maxima suorum iactura. Vltimo ferè tempore quo Guilielmus Ioannis Hollandiæ principis filius, bellum hoc ad exitum perduxit, tantis vtrinq; viribus est in aciē descensum, vt ad tria milia passuum, si veri sunt commentarij quos sequimur, exauditus sit bellātium fremitus. Cæsa sunt in eo certamine decem milia Flandrorum. Naues captæ in magno numero. Hac victoria filij Guilielmi audita, Ioannes comes multum lætatus paucis pòst diebus vita decessit, sepultus Valencenis, nobili Hannoniæ oppido.

*Prodigia.*

*Zirisea obsessa.*

*Flandrorū cædes.*

*Valēcenæ.*

*De Guilielmo tertio. Caput XXII.*

SVrrogatur in patris locum Guilielmus, qui cum esset vir pietate, & innocentia insigni, Boni cognomentum meruit. Middelburgi apud Zelandos collegium canonicorum diui Petri ab eo institutum reperio. Sub hoc tempus duobus maximis malis Hollandiam biennium laborauit, fame, & pestilentia, hæc latissimè vagata, ingentem hominum vim extinxit. Illa tam inualuerat, vt super vetitos cibos inuenti sint, qui fame adacti pecudum more nascentia in campis gramina cōederint. Anno octauo & vicesimo supra millesimum

*Institutio Collegij Canonicorum diui Petri Middelburgi.*

*Fame ac pestilētia diu vexata Hollandia.*

 & tre-

*Flandria. Gallo victi.*
*Animaduersio in eum qui vaccā abduxerat alienam.*

& trecentesimum, Philippus gallorū rex, Guilielmi huius copijs adiutus, Flandorū exercitū fudit, fugauitq. Eodē anno Guilielmus Phrysios classe adortus est. In Hannonia præfectum Suthollandiæ, qui rustici pinguiorem vaccam pascuis abduxerat, & suam reliquerat, vltimo affecit supplicio. Tantus erat iustitię amator. Idem graui morbo laborans, cū adesse sibi fatale tempus videret, accersitum ad se iuuenem filium, hortatus est ad cultū veræ pietatis, precatus eundem, vt paci studeret, neque clerum oneraret exactionibus. Hæc ille pauca locutus, haud multò pòst animam efflauit. Ante hunc nullus vnquam comes magis reliquit sui desiderium.

## De Guilielmo quarto. Caput XXIII.

*Guilielmi expeditio in Saracenos.*
*Reditus Guilielmi in patriā.*
*Traiectenses oppugnati quib⁹ & venia data supplicibus.*
*Guilielmus in Phrysia perijt.*
*Phrysiorū bona publicè vendita.*
*Traiectēsibus induciæ datæ.*

GVilielmus, accepto à patre comitatu, statim cum delecta armatorum manu in Hispaniam transgressus, vt regem assidua cum Turcis, Saracenisq; bella gerentem, auxilijs adiuuaret: pugnando, obiectandoq; se periculis, in tantam breui claritudinem euasit, vt Hispanis æquè, ac militi suo gratissimus esset. Postea reuersus in Hollandiā, Traiectum oppugnare adortus, nobiliū (quos apud se habebat) rogatu, ciuibus has breues, & duntaxat paucorum mensium pacis redimendæ conditiones dedit, vt nudatis plantis, adapertisq; capitibus egressi quingenti, ad comitis pedes humiliter prostrati, veniam poscerent. Quod cum ita factū esset, mouit inde in Phrysios, vbi dum nimia cupiditate propagandi fines imperij incautius dimicat, occiditur.

## De Margareta. Caput XXIV.

SVccessit huic soror Margareta, Ludouici Romanorū imperatoris coniunx, quæ exquisitissimo apparatu in Hollandiam descendens, filio suo Guilielmo hac conditione tradidit eam gubernandam, vt quotannis ille matri certam pecuniæ quantitatem penderet. Quæ Phrysij per id tempus habebant bona in Hollandia, vt fratris Guilielmi cædem vlcisceretur, Margareta publicè vendidit. Traiectensibus aliquot mensium induciæ datæ. His rebus transactis, redijt in Bauariam Lu-

douici coniunx. Nec interea Traiectenses quieuerunt, exacto induciarum tempore, præter omnium expectationem, cum exercitu Hollandiam ingressi. Sed hic tumultus statim compressus. Posthæc reuersæ ex Bauaria matri Margaretæ Guilielmus comitatum restituit, quā rerum mutationem excepit bellum, quod cum Traiectēsibus Hollandi feliciter gessêre.

*De Guilielmo quinto. Caput XXV.*

GVilielmus, defuncta matre, iniuit Hollandiæ administrationem. Hic princeps Traiectensium agros ingressus, omnia circa vrbem hostiliter populari adortus est. Quare irritatus antistes, cum ingenti exercitu haud multò pòst ingressus Hollandiam, oppida duo capta incendit. Guilielmi huius principatu vrbis Herlemensis bona pars deflagrauit. Sed ne quidem satis constat, vnde tam ingens sit ortum incendium. Guilielmus exacto in principatu septennio, incidit in Phrenesim, quo morbo implicitus, cum hominem etiam sua manu occidisset, vinctus in custodiam datur.

*Incursio facta in agrum Traiectensiū.*

*Herlemi incendiū.*

*Guilielmi morbus.*

*De Alberto. Caput XXVI.*

REsuscitata deinde contentio, his, vt Phrenetici comitis vxor, alijs, vt Guilielmi ex vtroque parente frater Adelbertus succederet, adnitentibus vicit, quod rarum est, melior pars maiorem, & missi qui è vestigio Adelbertum, qui tunc aberat in Bauaria, adirent, rogarētque, vt quando frater mentis compos esse desijsset, ipse descenderet administraturus Rempub. Audita legatione Adelbertus in Hollādiam transgressus, à suis officiosissimè excipitur. Postea Delfenses obsedit, iniuriam sibi illatam vindicaturus, nihil tamen hostile fecit, illis veniam suppliciter petentibus, muri tamen diruti sunt, ne deinceps vnquā rebellarent. Egressus inde comes Gheltriam, prædæ, & populationis omnia compleuit. Ab ea expeditione, breui in Galliam ad Carolum regē est profectus. Autores quos sequimur, non tradūt causam profectionis huius. Sunt & Phrysones ab eo sæpius vexati. Præfuit Hollandiæ annis sex & quadraginta, apud Hagamcomitis magnificè sepultus.

*Missi qui Adelbertū administrandi causa accerserunt.*

*Delfenses obsessi.*

*Delfensiū diruti muri.*

*In Gheltriam eductus exercitus.*

*De Guilielmo sexto. Caput XXV.*

*Guilielmus bis eduxit in Ghelros.*

PAtri Adelberto Guilielmus filius substituitur, qui Gheliiam semel, & iterum tumultuosè ingressus, fœdè eam populatus est. Sed mutatis rebus, tantis hic fuit postea Raynaldi Gheldriæ ducis amicus, quantus antea fuerat hostis. Biennio pòst Phrysones Hollandiæ agrum, vt sæpè aliàs, hostiliter inuaserunt, cuius vltionem iniuriæ Guilielmus maioribus curis tunc occupatus, in aliud tempus distulit. Hic idem conuentu indicto, ad quem multi Hollandiæ principes sunt profecti, egit in eo de surroganda sibi post mortem vnica filia, quòd cum omnibus placuisset, statim confectæ sunt super ea re publicæ literæ. Eodem anno comes in morbũ incidit. quo indies magis inualescente, accersi iubet sacerdotẽ cui de cõtractis tota vita noxijs, Christiano ritu confiteretur. Post hæc ille cùm pauxillum temporis superuixisset, fato est functus, anno suæ gubernationis tertio decimo.

*Conuẽtus indictus.*

*De Iacoba. Caput XXVIII.*

IAcoba post obitum patris gubernationi admota, cũ audiuisset Ghorricum oppidum Hollandiæ, à Guilielmo Arcelensi occupatum esse, iussit confestim eò cũ expedita armatorum manu occurrere Vualranium Brerodorum principem, vt repentino suorum aduentu cõprimeretur ille tumultus. Est paulò pòst intra muros atrociter dimicatum, cæsis vtrinq; ducibus. Oppido sic recepto, venit Hagamcomitis Iacoba, nupsitq; Ioanni duci Brabantiæ. interea Ioannes Bauariæ dux, Iacobæ patruus, impetrato ab Imperatore comitatu, quem iure sibi deberi credebat, quod Guilielmus frater nullam virilis stirpis prolem reliquerat, magnos tota Hollandia motus excitauit. Hinc bella inter eum, & neptem orta. Plures etiam vrbes hoc metu à Iacoba defecerunt, quæ composita postea pace Ioanni sunt relictæ, inter quas fuit & Dordracum, vrbs hodie multum celebris. Mansit idem Ioannes per triennium Hollandicarum rerum tutor, quo temporis spacio plurima domi forisq; gesta

*Ghorici pugnatũ intra muros.*

*Nuptiæ Iacobi in Haga Comitis.*

*Dordracũ*

quæ

quæ catalogum tantum non perpetuam historiam scribenti mihi sunt prætereunda. Inter Ioannem ducem Brabantiæ, & Iacobam coniugem eius, ortæ postea iræ ita magnę, vt breui sit inde diuortium sequutum. Varijs interea motibus agitati Hollandia, quæ post defunctū Bauariæ principem & suum tutorem, spreta Iacoba, Ioannem eius maritum comitē assumpsit. Hic breui pòst, cum & Brabantiæ dux esset, credo delectatus Louanij Brabantiæ vrbis amœnitate, condidit inibi gymnasiū, in quo liberales artes publicè docerentur. Cęterum hæc schola successu temporis multum creuit, præcipuè accessione collegij in quo publicè tres linguæ docentur Hebraica, Græca, Latina. Magnis impensis instituit hoc collegium vir clarissimus Hieronymus Buslydius, præpositus Ariensis, Anno salutis humanæ, M.cccc.xvij. Iacoba extremo vitæ tempore cum post tot indecora connubia (nupsit enim Ioanne adhuc in humanis agente pluribus maritis) nullam haberet prolem, Philippo Burgundiæ duci, materteræ suæ filio, comitatum Hollandiæ per manus tradidit.

*Diuortiū inter Iacobā & Ioānem ducē Brabātiæ,*

*Quo tempore conditum Louaniense gymnasiū*

*Collegium triū linguarum à quo, & quando institutum Louanij.*

*De Philippo Comite. Caput XXIX.*

PHilippus accepto à nepte comitatu Hollandiæ, cùm esset ob quasdam res infenso in regem Anglorum animo, Calisiam in Flandrorum finibus sitam vrbem, tanta armatorum manu obsedisse dicitur, vt soli aurigæ, qui bellica instrumenta, aliaq; ad militiam necessaria eò aduexerant, sufficere potuerint ad vrbem expugnandam. Cæterum, antequam Calisia tentari cepta, obsidio soluta est discessu Gandauorum, & Brugensium, pro quorum ardore iraq; nimis pigrè Philippus omnia faciebat. Idem princeps non multò pòst in Haga comitis, primus aurei velleris habuit comitia. Filium suum, cui Dauidi nomen, gementibus, atq; inuitis Traiectensibus, antistitem vrbis fecit. Hoc etiam adnitente Ludouicus Dolphinus, Galliæ principatū est adeptus. Et Philippus cum per hæc, aliaq; virtutis opera, quatuor & tri

*Calisia obsessa.*

*Prima comitia velleris aurei.*

*Dauid episcopus Traiectensium.*

*Philippus Brugis moritur.* ginta annis comes Hollandiæ fuiſſet, Brugis morbo graui affectus vita deceſſit.

*De Carolo Philippi filio. Caput XXX.*

HVic ſucceſſit filius Carolus, rerum geſtarum magnitudine patre ſuperior, & vt ille cõſilio prudentior, ita hic animo magnificentior, Qui cum eſſet Hollãdiæ comitatui inauguratus, non magno pòſt tempore ingenti conflato exercitu, in Leodinorum agrum profectus, ob coniectum in vincula Ludouicum Borboniũ antiſtitem perneceſſariũ ſuum, eorum vrbem acri bello expugnauit, expugnatam diripuit, direptamq; euertit. Poſt Leodij excidium hic princeps militari virtute nullo ſuperiorum comitum inferior, alia multa bella geſſit mira celeritate ſemper atq; ardore, quo apud poſteros eſt conſequutus, vt Carolus iam non hominis, ſed bellicæ fortitudinis nomen habeatur. Apud Nantium quod extremo tempore obſidione cinxerat, tribus confoſſus vulneribus perijt. Quo duce extincto, in ipſo ætatis & rerum proſperè geſtarum flore, diuturnus apud omnes, totamq; Hollandiam luctus fuit, Sed nec principis ſui amantiſſimæ gentes, cædis nuntio fidem primum habuêre, quòd vt fortiſſimũ ducem, ſic inuictum crediderant.

*Leodium expugnatũ & euerſum*

*Laus Caroli.*

*Carolus apud Nantium confoditur.*

*De Maria Caroli filia. Caput XXX.*

MAriam Caroli (de quo modo loquuti ſumus) filiã vnicam, forma excellenti virginem, cùm nobiliſſimi principes Fridericus imperator & Ludouic⁹ Gallorum rex certatim, hic Carolo, ille Maximiliano filio vxorem peterent, conuocati ſunt Louanium patriæ primores, qui auditis, quæ poſtulabantur, cenſuerunt ex patris Caroli voluntate, Maximiliano Friderici imperatoris filio, Mariam dãdam in matrimonium, quòd adeò iniquo animo tuliſſe Gallus dicitur, vt ſtatim omnibus quibus præerat Maria, bellum indixerit. Per id tẽpus Atrebatum hoſtiliter adortus eſt, admiſſuſque in eam vrbem, cæſis primoribus, diripuit primum bona ciuium, deinde ſine diſcrimine etiam iuſſit occidi omnes, qui Mariæ fauerent. Vaſtauit inde quicquid agri oppi-

*Gallus Mariæ bellũ indixit.*

*Atrebatũ*

oppido circumiacet, in Hannonijs, Auennas vi captas incendit, missis Parysios, ijs quibus ducibus incolæ restiterant, Ij postea non nisi ingenti pecunia sese redemerunt. Eodem tempore cum Gallus & mari premeret, ab Hollandis Amstelredamorum ductu prosperè pugnatum est, capta naui à Ianuensibus, cuius magnitudinem nostri homines admirabantur.

*Auennæ captæ & incensæ.*

*Nauis Ianuensiũ.*

*De Maximiliano Austrio Imperatore. Caput XXXII.*

MAximilianus, Caroli ducis filia in matrimonium Gandaui recepta, factus Hollandiæ comes, ditionis suæ principes omnes literis, ac nuntijs hortatus est, vt ad bellum Gallo, qui vsq; in eam diem Mariæ prouintias magnis cladibus affecerat, inferendum, arma secum induerent, ad quam expeditionem, cum non pauci nobiles viri opinione celerius aduenissent, in Morinensem agrum egressus cum gallis acie cõflixit, Fuit ea pugna Gallorum ducibus infœlix, bona militum parte cæsa. Mouit inde Maximilianus in Tornacenses, quos tam arcta cinxit obsidione, vt statim petentes pacem sese dediderint, recepti hac conditione, vt si vnquam alias Flãdris rebellassent, publicarentur eorum reditus omnes, quos quotannis ex Flandrico agro recipiebant. Anno proxmo in Hollandiã reuersus Maximilianus, constituit vicecomitem aliũm eius prouinciæ cum ipse rebus magis arduis implicitus, adesse non posset. Hæc tum ab eo adhuc comite gesta. Quæ postea gesserit imperator, adeo multa sunt, & varia, vt seperatim volumen requirant. Illud solum adijciam, huius morte principis, nihil accidere potuisse luctuosius rebus humanis, Et vtinam sine sanguine huic successorem inueniat orbis.

*Gallus bellopetitus.*

*Maximiliani victoria.*

*Tornacensos obsessi.*

*Vicecomes Hollãdiæ relictus à Maximiliano.*

*Maximiliani mors*

*De Philippi Maximiliani filio. Caput XXXIII.*

PHilippus per ætatem administrationi maturus, vltrò cedẽte Maximiliano patre gubernacula Hollandiæ suscepit. Nostra memoria hic princeps magno peditum, & equitum globo ingressus Geldriam, vt eam terram olim à maioribus subactam repeteret, omnia terrore compleuit, pleraq; oppida perculsa metu, ad primum statim

*Philippi aduentus in Gheldriam.*

statim potentissimi ducis aduētum sese dedidêre. In his principijs videbatur breui Geldriam vniuersam domiturus, nisi repentè mutatis (vt fieri solet) rebus, in Hispaniam profectus fuisset, vt Castellano regno inauguraretur. Fuit ea Philippo, maximè pacata, magnificaq; profectio, vt altera illa nobis planè nō tristis solum, verum etiam luctuosa Nam tunc in Hispanijs decessit adhuc iuuenis, & amplissimis imperijs destinatus.

*Philippus in Hispaniam bis profectus Eiusdem obitus in Hispaniā.*

*Ad Carolum illustrißimum Romanorum, & Hispaniarum regem Philippi filium.*

PErduximus, iuuante deo, Catalogum Hollandiæ principum, ad celsitudinem tuam illustrissime Carole, de qua iampridem tui ciues nihil expectant mediocre. Omnibus certissima spes est, te aliquando magnum illum Philippum pietate, Carolum (qui ob rerum gestarum magnitudinem bellator à quibusdam dictus, & quem tu nomine refers) bellica virtute, auum Maximilianum clementia, Philippum patrem comitate, facilitateq; superaturum. In hanc autem amplissimam spem tui amantissimos, tuisq; obsequijs impensissimè deditos ciues adduxit, cum naturæ tuæ bonitas, tum exacta sub incorruptissimis magistris pueritia tua, ex qua iam egressus, maiorum tuorum indolem apertè repræsentas. Bis igitur beatus futurus, quisquis erit ille, qui te senem quem ego nunc iuuenem alloquar, à rebus gestis laudabit, efferet à pietate in diuos, moderatione in summa fortunæ indulgentia, modestia, in tanto rerum omnium successu, comitate, in tanto Florentissimi regni fastigio, deniq; à sapientia, per quam principes imperant, & discernunt iustitiam.

*Philippus senio pri⁹ Carolus. bellicosus. Maximilianus clemens. Philippus Iunior comis & facilis. Magistri puritiæ Caroli. Virtutes principis, Pietas, moderatio, Modestia, Comitas, Sapientia.*

SCHO-

# SCHOLIA HADRIANI BARLANDI IN PRINCIPES HOLLANDIAE.

TRaiectum. Hæc vrbs ſita in finibus Hollandiæ, clero frequenti, & epiſcopali (vt vulgò dicitur) ſede inſignis eſt.

*Ioannis octaui.* Ab hoc Pontifice Carolus Caluus eſt inunctus.

*Eiecerit.* Eiectus confugit, Gradatio eſt.

*Carolum* Quem principem ſibi adhuc iuuenis fortiter agendo amicitia, & familiaritate deuinxerat.

*Obijt mortem.* Deceſſit, vti habent annales, iam ſenio confectus.

*In demortui patris locum.* Ita ſæpius loquitur Antonius Sabellicus, verè facundus hiſtoricus. Fit inde pontifex (inquit) in demortui locum Leo ſeptimus.

*Comes.* Non ſum neſcius hoc verbi apud Latinos veteres non vſurpari ſolitum pro principe, Tamen ita ſum vſus, vt vulgo ſatisfieret, cui magna ex parte hæc ſcribi videbam.

*Octauo & octogeſimo.* Laurentius Valla eruditiſſimus Grammaticus, docet hunc ordinem in numerabilibus eſſe ſeruandum vſq; ad centum.

*Ex quarto capite.*

*Stella crinita.* Cometes dicitur à poëtis. Vergi. Ac diri toties arſere cometæ. Hæc ſtella principibus mortē, aut bellum terris minari creditur.

*Florentium minorem filium.* Hunc Florentium, & alterū Theodoricum natu maiorē ſuſceperat ex filia Ottonis ducis Saxonum coniuge ſua.

*Voto inuiſeret.* Hic ſermo viſus eſt elegās Sabellico Antonio, qui in hiſtoria meo iudicio præcipuas habet orationis dotes.

*Illatum tumulo maiorum:* Præfuerat hic Theodoricus Hollandiæ quadraginta ſex annis, quo defuncto, eius vxor Vithildis ad Saxones ſuos reuerſa eſt.

*Ex quinto capite.*

*Leodij.* Hæc vrbs duo pariter habet ornamenta, clerũ numeroſum, & antiſtitem noſtris tẽporibus, Erardum de Marca, virum omnibus abũde cumulatum dotibus, quæ magno præſule dignæ videri poſſint.

*Defunctus ea pugna.* Locutio eſt frequẽs apud illuſtreis hiſtoricos. Eſt autem defungi negocio aliquo explicari, & finem ei imponere. Guilielmus Budæus multa de vſu verbi *defungor* ſcripta reliquit in commentarijs illis, quos in libros Pandectarum edidit.

*Animo ſatis ocioſo.* Animo ſecuro, & nihil tale metuenti Terentianum eſt. Animo iam nunc ocioſo eſſe impero.

*Ex ſexto capite*

*Comes Louanienſis.* Ita habent annales. Cæterum hodie nullus eſt Comes Louanienſis, neq; à rerum ſcriptoribus traditur quam ob cauſam ſublatus ſit hic comitatus.

*Vbi ad Florentium permanaſſet.* Terentius. Ne ad patrem hoc aliqua permanet.

*Tantum abfuit.* Dictio tantum plerumq; duo *vt* poſt ſe habet. Quem loquendi modum Laurentius Valla dicit nos à Græcis mutuatos.

*Non penitenda.* Sic Suetonius de gente Flauia. Obſcura illa quidem, ac ſine vllis maiorum imaginibus, ſed tamen R.P. nequaquam pœnitenda.

*Ex capite ſeptimo.*

*Qua gubern.* Gubernauit, & præfuit biennium.

*Numeroſa prole.* Nam quatuor filios, & vnam filiam reliquit.

*Ex capite octauo.*

*Theodorici priuig.* Hic Theodoricus ex quatuor Getrudis filijs natu maximus fuit.

*Tutor aſcitus.* Iuſtinianus titulo de tutelis, Appellãtur (inquit) tutores, quaſi tuitores atq; defenſores.

*Summa integritate.* Hoc eſt boni tutoris, ita regere, ac præ-

præesse bonis pupilli, vt interim nihil conuertat in vsum suum.

*Ex capite nono.*

*Elatior*. Illo rerum successu.

*Alcmariæ*. Oppidum est Hollandiæ perquam amœnũ vbi nostra memoria ludus literarius fuit longe pulcherrimus, cui preerat Ioannes Murmellius, vir doctrina neutiquam vulgari, quo defuncto, schola illa repente dissipata est.

*Pectori gibbus excreuerat*. Sic Suetonius de Galba imperatore: excreuerat (inquit) in eexteriore latere eius caro.

*Animam efflasse*. Similiter dicimus animam expirare Gellius de equo Alexãdri magni. Quasi cum sensus (inquit) humani solatio animam expirauit.

*Alieni per vim occupati imperij* Nam vt dictum est expulerat eieceratq; HollandiaRobertum tutorem eius pueri, qui hæres per ætatem administrare non potuit.

*Ex capite decimo.*

*Pro magno habuit negotio*. Frequenter sic loquitur Antonius Sabellicus.

*Ex capite vndecimo.*

*Omnibus prodesse, nocere nemini*. Nunc contra faciũt principes, Quorum vnum studium est assiduis exactionibus populo ad egestatis terminos redacto, suum ærariũ locupletare.

*Deprecatum*. Id est precando auertere conatum, ita hoc verbo veteres sunt vsi, Quidam scribũt huius Theodorici temporibus in Gallijs tanta laboratum siccitate, vt fontes, putei, lacus, fluuij omnes exaruerint, ac veluti rimis fatiscente terra, flammeus quidam eruperit ignis, qui perpetuum biennium durauit.

*Ex capite xiij.*

*Qua in re commotus*. Scio à me non esse scriptum, qua in re, Sed præpositione sublata, qua re commotus.

*Si satis diligenter*. Hęc referri debent ad sequentia, non ad ea quæ premittuntur Hoc sensu, Si veri sunt annales, Florentius in Antiochia vitam cum morte commutauit.

*Ex ca-*

*Ex capite decimo quarto.*

*Inde ſedis Traiectinæ.* Expungendum eſt, *inde* quamquam ita legi poteſt.

*De qua dictis duobus.* O incuriam flagris dignam, ego ſcripſeram electis duobus, & iſti impreſſerũt dictis duobus.

*Buſcumducis vi cepit.* Buſcumducis vrbs eſt Brabantiæ cum primis inſignis, vicina Ghelriæ, cum qua gente his annis aliquot belligerata eſt.

*Ex capite decimo ſexto.*

*Adæ gubernationem.* Nam frater erat ſuperioris Theodorici, et Ada Theodorici filia ſine prole deceſſerat.

*Mille Talentum.* Facit nummi noſtratis ſexcenta milia aureorum.

*Per quam regnum lege ad ſe rediſſe putabat.* Sic propemodum Terentius; Eius morte ea ad me redierunt lege bona.

*Ex capite decimo ſeptimo.*

*Filius eius Florentius.* Ex priore coniuge ſuſceptus, duas enim duxerat.

*Florentium obtruncat.* Obtruncati corpus ad Reynburgenſe cœnobium deportatum, ibi loci magnificè ſepelierunt Almaniæ proceres. Perijt autem hic Florentius viridi adhuc ætate, cum annis duodecim Hollandiæ præfuiſſet.

*Ex capite decimo octauo.*

*Ad puberem ætatem incolumis manſit.* Liuiana eſt æmulatio, ſubieciſſem Liuij verba, ſi libri copia fuiſſet id temporis, cum hæc celeritate multa commentarer.

*Annum agens viceſimum Romanus rex eligitur.* Eadem ætas eſt Caroli Hiſpaniarum Principis, qui æſtate ſuperiore Romanorum rex electus eſt, maximo totius orbis gaudio, atq; vti ſperamus maximo etiam bono Chriſtiani populi.

*Hagacomitis.* Hic locus non eſt muro cinctus, tamen ſplendore atq; elegantia ædificiorum multa ſuperat eius regionis oppida.

*Vualachriam Zelandiæ inſulam.* Habet hæc inſula vrbes ali-

aliquot inſigneis, in quas ex toto pene terrarum orbe merces conuehuntur, facit hoc portuum tanta cõmoditas.

*In Italiam accerſitus*. Legitur in commentarijs rerum Hollandiæ, hunc Guilielmum per id tempus duodecim duntaxat aſſumptis vix comitibus, furtim veniſſe in Italiam, atq; ita habitu peregrini pleriſq; luſtratis oppidis, Ianuæ ab Innocentio pontifice maximo nullo non honoris genere exceptus, corona imperij ab eodem donatur.

*Viginti annis in pub. adminiſtratione completis*. Præfuit Hollandiæ annis viginti. In adminiſtratione vero imperij Romani annos octo compleuerat. Sunt qui ſcribãt multo prius à neſcio qua vate prædictum, fore vt armis Phryſiorum victus occumberet.

*Ex capite decimo nono.*

*Annum agens ſeptimum decimum*. Sic Suetonius, Annum agens Cæſar ſextum decimum patrem amiſit, Florẽtius adhuc infans in cunis vagiebat, cum pater eius Guilielmus à Phryſijs eſt interemptus.

*Vindicaturum*. Hic locus in prima libelli noſtri editione corrupte, mendoſeq; impreſſus eſt, legi enim debet, vindicaturus.

*Ingenti armatorum manu*. Hic adijcienda eſt præpoſitio cum, vt ſit, cum ingenti armatorum manu.

*Plus octingentos*. Ita Terentius; plus quingẽtos (inquit) colaphos infregit mihi.

*In Angliam traieciſſe*. Hæc florens inſula treis habet præcipuas ciuitates, Cantium, Eboracum, Londinum, Habet & Metropoles duas, Cantuarienſem, & Eboracenſem, Habet denique Gymnaſia totidem, in quibus (vt audio) non minus honoris habetur linguarum vtiliſſ. ac pulcherr. ſtudio, quàm cæteris diſciplinis, quæ in pluribus aliarum regionum ſcholis ob quæſtum magis ſunt in precio.

*Duobus & viginti vulneribus confoditur*. Ita Suetonius de Cæſare, *tribus* (inquit) *& viginti plagis confoſſus eſt.*

*Ex capite Vicesimo.*

*Comitis nuper cæsi.* Florentij, quem proximo capite diximus à Velſeno confoſſum.

*In ludum euntes.* Id eſt ſcholam euntes, Numero enim ſingulari vocabulum ita ſignificat.

*Ziriſeam* Ziriſea ſiue vt alij vocant Ciriacum mare Zelandiæ oppidum eſt apprimè concinnum, hic plurimum ſtudent parando ſali, Nauium quoq; gloria paucis cædunt.

*Ex capite xxij.*

*Collegium Canonicorum.* Vbi hoc tempore Canonicus eſt Ioannes Borſalus meus, vir ante alios doctrinæ, & eloquentiæ gratia venerandus.

*Maius reliquit ſui deſiderium.* Qui ob naturæ bonitatem triginta tribus annis, quibus præfuiſſe dicitur, omnibus chariſ. vixerat, non potuit fieri vt mortuus non deſideraretur.

*Ex capite xxiij.*

*Guilielmus.* Hic Princeps impiger fuit, & acer ingenio, & bello ſtrennuus.

*Vt Hiſpanis æquè ac militi.* Sic Antonius Sabellicus de Iugurtha: in tantam breui euaſit claritudinem vt Romano imperatori æquè ac militi notiſſ eſſet.

*Mimia cupiditate.* Plæriq; hodie Principes non hoc agunt, ſed luxui ſeſe & inertię dedunt.

*Ex capite xxiiij.*

*Suceſſit huic ſoror.* Nullam enim prolem Guilielmus ex vxore ſua Ioāna ſuſceperat, Hæc Ioanna cæſo à Phryſijs marito ſuo (vt proximo capite dictum eſt) redijt in Brabantiam, Erat enim filia Ioannis Lothoringiæ & Brabantiæ principis Matri Margaretæ. Hæc Margareta pòſt defuncta, ſepelitur Valencenis.

*Ex capite xxv.*

*Cum hominem.* Commentarij habent huic viro clariſſimo

mo orto natalibus nomen fuiſſe Gerardo de Vuateringhen.

*In cuſtodiam datur.* In qua mortuus eſt.

*Ex capite xxvj.*

*Frenetici vxor.* Hæc appellata eſt Mechteldis, quæ iccircò poſt mortem Guilielmi non eſt admota gubernaculis, quod nullam illi prolem peperiſſet.

*Adelbertum.* Alij hunc Frenetici ſucceſſorem *Albertum* vocant.

*Iniuriam ſibi illatam.* Nam Delfenſes munimenta, & arces aliquot principis Alberti incenderant. Et item in Hagacomitis, abſente Alberto effractis cuſtodijs eduxêre quoſdam è ſuis, qui antea fuerant Alberti iuſſu in vincula coniecti.

*Præfuit Hollandiæ.* Fuit & Bauariæ dux, paulò ante obitum huius Principis tanta oborta eſt in Hollandia vẽtorum tempeſtas, vt maxima hominum ſtrage multæ domus corruerint.

*Ex capite xxix.*

*Philippus.* Huius laudatiſſimi principis miro artificio expreſſam effigiem vidi Bruxellæ, in magnificẽtiſſimis illis ædibus Naſſauianis.

*Gandauorum & Bru.* Populi ſunt Flandriæ, vrbes Gandauum, & Brugæ nominantur. Hæc diues, illa maxima eſt, & populoſa. In hac videre licet pleriſq; locis auguſtiſſima ædificia, In illa cœlum nitet purius. Hæc mercatorem, illa clerum habet, & literas vtraque.

*Filium ſuum cui Dauidi.* Erat hic Dauid nothus Philippi.

*Ex capite xxx.*

*Expugnauit, expugnatam dirupuit.* Gradatio eſt.

*Euertit.* Multi hodie viuunt, qui meminerint huius excidij.

*Quo apud poſteros.* Sic de Cicerone Quintilianus. Apud poſteros vero id eſt conſecutus, vt Cicero iam non hominis nomen, ſed eloquentiæ habeatur.

*Ex capite XXXI.*

*Fridericus Imperator.* De hoc principe illud memorabile, quod annos quatuor & quinquaginta pacatissimā Germaniam habuit. Vir prudentissimus, tota vita nihil tam studuit, quàm forte exortos inter suos ciues tumultus sedare.

*Ex capite. XXXII.*

*In Morinensem agrum.* Morinum vrbs Galliæ Belgicæ, adiacens oceano, contra Angliam, nostra memoria capta, atq; direpta ab Anglis. De his populis Vergilius loquitur, illo versu, Extremiq; hominum Morini.

*Vicecomitem.* In hoc etiam vocabulo vsurpando consuetudinem secuti sumus.

*Huius morte principis.* Decessit hic princeps longe optimus, ac liberalissimus anno Virginei partus Millesimo quingentesimo decimo nono, Mense Ianuario.

*Ex capite. XXXIII.*

*In Hispaniam profectus.* De hac triumphali in Hispaniam profectione, deque felici eius principis in patriam reditu, extat Panegyricus gratulatorius Desiderij ERASMI Roterodami.

ALAR-

# ALARDVS AMSTELREDAMVS IOANNI VALEOLAETO SVO,

## S. D.

*VEhementer admodum mihi lætus gestijt animus, & haud scio, an ex omnibus omnium literarum tuarum fascibus, vnquam tam solidam acceperim lætitiam, Valeolæte suauissime. Quid ita dices? dicam nempe quod intelligam Hadrianum Barlandum, virum non minus integrum, quã literatum, in quo nullam consummati historici laudem desideres, te hortatore, pro virili, omnes ingenij neruos in hoc explicare, vt Episcoporum Vltraiectinorum catalogum texat. Atque sane eo magis illa texendi cupiditas suo hæret animo, quò studiosius id abs te, vt iam olim, cùm ab eo in bonis literis, rhetorumque præceptis exercerere Louanij: Ita & nunc quoq; identidem postulari accipit. Salubriter illud postulasti negotium, atque adeò, qua es apud eum gratia, mandasti, quod etiamsi alioqui non mandasses, meritò sibi fortassè vindicasset. Ecquid ni vindicasset? vt qui plus satis animaduertat, imprimis videri dignũ erudito viro, non pati occidere, quibus æternitas debeatur. Quo nomine non parum fœliceis fuisse Athenienses, testatus est Alexander ille Macedonum rex. Ferunt enim Græci historiographi (vt in maius omnia fere verbis extollere solent) cum forte, ita vt fit in hospitibus excipiendis, perlustrandæ gratia ciuitatis, Alexandrum primates aliquot circumducerent, ac ei operosa illa, cœloque minantia subindicarent ædificia, nihil ego inquit, hæc moror ô viri Athenienses, vt quæ vel temporis iniuria, vel alio quodam casu facilè corruunt, intereunt, & exolescunt. Enimuerò rebus istis omnifariàm vobis præclarè gestis, quæ per luculentissimos scriptores immortalitati consecratæ sunt, magis inuideo. Intellexit nimirum res gestas quaslibet*

*libet insignes, nisi literis committantur, vnà cum ea in vniuersum semel aboleri, exciderecque qua sunt gestæ ætate, neque diutius item sub hominum oculos obuersari, quàm à quibus designatæ sint, supersint autores, tacentibus enim non instrennuis rerũ gestarum vindicibus historicis, omnia præclarè acta, omnia sapienter dicta, omnia feliciter auspicata, temporum ruina intermoriantur, aut penè intermoriantur necesse est. Atque hinc est vt ex tot egregijs Episcoporum nostratium monumentis, vix paucula quædam sint nobis reliqua, eaque sanè bona ex parte barbara mendacia, mutila, deprauataque. Cæterum vt ad id quod antè dicere cœperam reuertar, prudenter admodum facis optime Valeolæte vt qui historiarum lectione caperis præcipuè, proinde confido fore, vt haud alio pacto magis experiare verum esse, quod scribit Plutarchus ille, vir ex æquo grauis, atq; sapiens,* ἡ γὰρ τῶν γεγενημένων πράξεων τῆς περὶ τῶν μελλόντων εὐβουλίας γίνεται παράδειγμα. *Quo dubio procul, vt ad præcauendum id, quod legendo minimè probamus: ita & ad id non instrennuè capessendum quod honestum, quod iustum esse deprehendimus, excitamur. Quid quod cùm iucunda sit omnis externarum rerum cognitio, tum verò nostratium iucundissima, siue quod ea propriè ad nos pertineat, siue quod earum crebrior incidit mentio, siue quod de principibus viris, maximè ad quorum communionem & nos pertinemus, omnia nosse iuuat. Porrò autem & illud nonnihil etiam adauget acceptam lætitiam, quod huic materiæ, probus sit adhibitus artifex, hoc est, quod ab homine pari & eruditione, & integritate, ea scibendi prouincia suscepta sit. Quæso mi Valeolæte, si Octauius Augustus aliquid de se componi, nisi serio & à præstantissimis offendebatur, admonebatq; prætores ne paterẽtur nomen suum commissionibus obsolefieri. Praeterea si Alexanander ille Magnus, publicitùs edicto cauerit, ab alio se, quàm Apelle figurari, à Lysippo fingi, & à Pyrgotele cælari, sculpique. Deinde si virtus indigno non committenda Poëtæ, partim ne vel bullatis sibi nugis pagina turgescat, vel crescentem tumi-*

*dis insflet sermonibus vtrem, vel alienam stultitiam caßis enatriat encomijs: Quantò præstiterit, vt rarus aliquis, vt insignis, vt absolutus adhibeatur artifex, qui tot vrbis columina, tot emeritos sacerdotalis ordinis antesignanos, tot proceres, tot heroas tot principes stemmatis vndiq; suspiciendos, tot bellica virtute illustres, tot denique frugi viros, in media etiam Babylone abstemios, inculpatos summaque vitæ sanctimonia commendatos, graphicè perspicuèque depingat. Quod si contingat, vt certò tuis auspicijs iam nunc contigit haberi, is quisquis erit, itidem ac olim corotoniatæ Zeuzin magno conduxêre precio, conducendus erit: ac quam ille vel amplißimo stipendio euocandus, omnibus vestigijs inquirendus, omnique afficiendus est honore, tam nimirum vulgus istud scriptorum prorsus eliminandum, abercendum, & quo est dignum profligandum, qui (vt verbis vtar Horatianis) veluti tractata notam, labemque remittunt atramenta: sic illi quoque illoto sermone, atque anilibus illis suis annalibus, splendida facta linunt conspurcantq;. Age vt & illud obiter addam, si vel optimi cibi reijci, fastidiri, iuxtaque ceu pro vesco expui, non rarò consueuere, quod sordidiùs apparati sint: Nonne optimo iure de præclarè gestis rebus historiam, partim destitutam ornatu, partim ambitioso quidem verborum apparatu, verum solidioris artificij, atque fidei historicæ inopem, contemnemus, atque auersabimur. Hactenus de Catalogo. Quod autem superioribus hisce diebus incœperis operari sacris, est quod vnicè læter serioque mihi triumphem. Et ô Deum immortalem quidni triumphem? de ordine, vt omnium maximo, ita & saluberrimo, suscepto à viro eruditione non vulgari, moribus integerrimis, animo sublimi, candido, leni, ab auaritia cæterisque affectibus procul semoto, nunquam non studijs salutaribus immorienti, religionis simul & pietatis amantißimo. In quo nec illud*

Haud equidem sine mente reor, sine numine Diuûm,

*vsu venit, quod in alijs nostræ turbæ sacrificijs ferè solet, vt ad extruenda beneficiorum latifundia plus satis anhelent*

lent, decertent imo velut pro aris & focis digladientur, ad munia quoq; obeunda minus sint attenti, ne dicam in aurem vtramuis ociose dormiant. Tu vero Valeolæte mi, simulatque exorsa sit hæc tela non male omnino tibi, perge quam suscepisti personã, cum decoro tueri, perge te pro eius dignitate gerere, perge inquã perge id quod tam fœliciter auspicatus es, perpetuo facere, facies autem, si cures esse quod audis, sique cum Archippo Paulino subinde tecũ reputes, Βλέπε τὴν διακονίαν ἣν παρέλαβες ἐν κυρίῳ ἵνα αὐτὴν πληροῖς. Id quod etiam vetus illud, omniumque celeberrimum apud Græcos adagium hunc in modum admonet, σπάρταν ἔλαχες ταύτην κόσμει. Vale, & illud scias velim, lepidissima Cordati carmina, nuper abs te mihi exhibita, modis omnibus arridere, adeo Plautinam resipiunt eloquentiam, adeo fluunt, adeo viuunt, vt quoties ad ea recurro, recurro autem frequenter, cor mihi, quam nescio, ludicram ludit artem. Obsecro te, πρὸς χαρίτων, si nos ames, vt certe semper vnicè amasti, amasq; adhuc, proximis hisce Bacchanalibus, vna cum Cordato, amico plane Pyladæo, nos inuisas. Louanij pridie apparitionis Christianæ. Anno M. D. XX.

CATA-

# CATALOGVS EPISCOPORVM TRAIECTENSIVM.

*Guilibrordus, dictus Clemens.*
*Bonifacius.*
*Gregorius.*
*Adelbricus.*
*Theodardus.*
*Hermacarus.*
*Ritfridus.*
*Fridericus.*
*Alfricus.*
*Lutgerus.*
*Hungerus.*
*Odibaldus.*
*Egilboldus.*
*Radbodus.*
*Baldricus.*
*Volcmarus.*
*Balduinus.*
*Anfridus.*
*Adelboldus.*
*Bernoldus.*
*Guilielmus.*
*Conradus.*
*Burchardus.*
*Godevvaldus.*
*Andreas Kuuckensis.*
*Herbertus.*
*Hermannus Hornius.*
*Godefridus.*
*Balduinus II.*
*Theodoricus.*
*Theodoricus. II.*
*Otho*
*Otho.II.*
*VVilbrandus Badenburgensis.*
*Otho III.*
*Gosvvinus.*
*Henricus.*
*Ioannes Nassauius.*
*Ioannes Syrick.*
*Guilielmus II.*
*Guido Leodiensis.*
*Fridericus Sirck.*
*Iacobus Osthorn.*
*Ioannes Diestensis.*
*Nicolaus de Caputijs.*
*Ioannes Arkel.*
*Ioannes Vernenburgus.*
*Arnoldus Hoorn.*
*Florentius.*
*Fridericus Blandrenhem.*
*Zvvederus Culenburgensis.*
*Rodolphus.*
*Ghysbertus Brecodem.*
*Dauid Burgundus.*
*Fridericus Baden.*
*Philippus Burgundus.*

GVILI-

### *Guilibrordus, dictus Clemens.*

1. Vilibrordus natione saxo, primus fuit Traiectensium antistes, qui dignitatem adeptus Clementis nomen assumpsit, Pueritia huic exacta inter viros pietate insignes, quorum assidua consuetudine iuuenis & optimus euasit, & in studijs bonarum artium ita paucis annis profecit, vt æquales suos rerum scientia, infinitis partibus anteierit. Postea sacris initiatus. xxx. ætatis anno, proficiscitur in Germaniam, vbi sua prędicatione multos mortales ad vnius dei cultum pertraxit. Sed & alijs perlustratis regionibus dogma Christianum longè, lateq; propagauit, per hæc atque alia pietatis opera, ecclesiæ Traiectensi præfectus, Christi nomen suorum animis inserendo, longè optimum egit antistitē. Quod hodie est in ea vrbe diui Martini celebre templum, idem consecrauit, potitusque est dignitate annis ferme quadraginta.

### *Bonifacius.*

2. A Cuius morte præfuit quidam Bonifacius nomine, Vir insigni pietate, nihil hic quoque prius habuit, quàm extirpatis erroribus in fide continere populos, qui semel baptismo admoti, nomen duci Christo dedissent. Quot annis Traiectensem ecclesiam rexerit, non inuenio. Illud constat, à Phrysijs eum interemptum, quibus per id tempus Christianum nomen inuisum erat.

### *Gregorius.*

3. ECclesia sic à Guilibrordo, & Bonifacio, Viris laudatissimis, piè, sanctéq; instituta, postea Gregorium habuit antistitem, quo administrante, Traiectum ex Anglia venit quidam vir non tantum doctus, sed & integer, qui non multò pòst in Canonicorum ascitus collegium, Gregorio iam per senilem ætatem administrationi minus idoneo, socius adiungitur, quumq; vna mensibus aliquot summa concordia præfuissent, Adelbrico

brico in Italiam ablegato negotij causa, Gregorius in morbum incidit. Amici, & qui eum sectari solebant, vbi inualescere indies malū animaduertissent, vbertim flere, quod optimo se patre mox priuatum iri viderent. Queri etiam cœperunt maximo suo detrimento, à patria longissime abesse Adelbricū. Itaq; Gregorius, vt tristes suos aliqua ex parte cōsolaretur, Nihil est (inq̄t) fratres quod vereamini, non enim prius moriar, quam ille huc redierit saluus. Neq; defuit vaticinio euentus, nam triduo antequā è viuis excederet Gregorius, ex Italia reuersus Adelbricus, in locum defuncti collegæ, maximo atq; incredibili omnium gaudio surrogatur.

*Adelbricus.*

4.

HVius episcopatus inuentum Dauentriæ corpus diui Lebuini, q̄ aliquando antè diu multumq; quæsitum, impij Saxones in nihilum redigere decreuerant. Adelbricus iam antistes, non (vt hodie faciunt) equos alebat, neque canes ad venandum, sed populum docere, orare pro salute gregis sibi commissi, suum esse officium existimans, nihil agebat aliud. In hoc studio quum annos aliquot exegisset, vitam cum morte commutauit. Corpus eius Traiecti sepulchro illatum in æde saluatori sacra.

*Theodardus.*

5.

SVccessit Adelbrico Theodardus natione Phrysius. Hic vir optimus, idemq; longè doctissimus, nunc alios diuinarum literarum interpretes audiebat, nūc ipse docens, popularium suorum animis Christum inserebat, maximum existimans in ea re situm esse fructū charitatis. Taceo exantlatos labores, nihil dico de ieiunijs, in quibus tam frequens fuit, vt supra modum affliceret corpus. Quandiu præfuerit non tradunt commentarij quos sequimur. Sepultus & hic est in æde Saluatoris.

*Hermacarus.*

6.

HErmacarus, qui Theodardo superiori suffectus est, vir sanctissimus, nihil ipse quoq; pulchrius duxit, quā noctu preces ad deū fundere, pro salute humani gene-

ni generis. Interdiu vero populum hortari ad omnia pietatis officia, vel hoc solo nomine dignissimus qui quam diutissimè præesset. Hunc etiam defunctum Traiectenses in Saluatoris templo sepelierunt.

*Ritfridus.*

7. SEquitur Ritfridus patria Phrysius, qui Traiectinæ Diocœsi multis à Carolo magno impetratis priuilegijs, tandem senio confectus in febrim incidit, quam mors sequuta est, Obitu huius antistitis, qui parem vitę sanctimoniam cum eruditione copularat ciuitas męrore affecta, ad Saluatoris templum multis eum lachrimis extulit.

*Fridericus.*

8. SVbijcitur in defuncti locum Fridericus claris ortus natalibus in Phrysia, qui tamen oblatum sibi episcotus honorem diu recusauit, populum adhortans vt aliũ quærerent, cui tutius res tanta committi posset. Rogatu tandem & precibus imperatoris Ludouici Pij suscepit administrationem, ingenti totius gaudio Ciuitatis, cui sanctitas viri pietasq; perspecta erat. Compositis igitur initio rebus, in Zelandiam profectus assiduis con cionibus eius insulæ gentem, ab illicitis coniugijs (quibus tum vacabat) reuocatam, ad sanctioris vitæ retraxit institutum. Postea perlustratis etiam alijs locis, multos sua prædicatione ad Christum conuertit. Increpuit & Ludouicum Imperatorem sæpius, quod ipse quoque in matrimonio illicito consenesceret, atq; per hæc inuisus eius vxori. Immissis quodam die ab eadem percussoribus, grauiter vulneratur, Conuocatis itaq; suis, primum iussit eos bono esse animo, non defuturum etiam se defuncto, bonum pastorem. Deinde commendata superis anima, expirauit, magno relicto sui apud omnes desiderio. Corpus eius in Saluatoris basilica tumulatum est.

*Alfricus.*

9. ALfricus Friderici superioris frater, inde fit Episcopus, vir sanctitate illustris, Hoc administrante, fatali lege consumptus Traiecti est Odulphus confessor,

fessor, qui Friderici temporibus illuc venerat. Extinctus Alfricus, ipse quoque est in æde Saluatoris humatus.

*Lutgerus.*

LVtgerus in demortui locum Episcopus declaratur, homo non solum eruditus, verumetiam sanctus. Nonnulli scribunt huius temporibus Brixię ciuitate Italiæ, tribus continuis noctibus, ac totidem diebus sanguinem pluuisse. Hic antistes quoad ecclesiæ præfuit, continentiæ amicus, sæpe humi cubare, sæpe etiam noctes totas orando consumere solebat, Eius corpus multa veneratione ciues templo saluatoris intulerunt.

10.

*Hungerus.*

SEquutus Hungerus, multa vir sanctitate, nec minore doctrina, cuius administratio incidit in ea tempora, quibus ecclesiam Traiectensem latissime depopulati sunt Dani. Quæ mala varijs pręmonstrata sunt prodigijs quę paulo ante id tempus apparuêre, Stellæ visæ sunt inter se concurrere, tempestas ventorum exorta, qualis memoria hominum nunquam audita fuerat. Flumina omnia adiacentibus campis infusa cum fœda villarum, & animalium strage. Hæc, atque alia multa tum accidere luctuosa, Hungerus antistes iam grauis annis, fato decessit.

11.

*Odibaldus.*

ODibaldus Phryso post illum est episcopus creatus. Magna huius viri sanctitas, magnum pietatis studium. Quoties ægrotantes pauperes visitauit, inopiã illorum eleemosynis subleuãs. Pupillis quoq;, & viduis ita affuit, vt nunquam non ab iniuria defensos, ære suo aleret. Obijt anno suæ creationis trigesimotertio, fuitq; duodecimus in ordine episcoporum.

12.

*Egiboldus.*

HVic suffectus est Egilboldus, qui solo pietatis studio pecuniam, & opes omnes fortiter contempsit. Is mense sexto quo administrare cœperat, fatali

13.

est

est morte consumptus.

*Radbodus.*

14\. IN cuius locum surrogatur quidam Radbodus, licet inuitus, ac renitens. Hic vir sanctitate vitæ, & doctrina venerabilis, conscripsit opusculum de Guilibrordo, & Bonifacio diuis. Huius etiam est officium, quo in horis canonicis ecclesia Traiectensis vtitur, in festo trãslationis Martini Turonensis gloriosi patroni sui. Inuenio in commentarijs rerum gestarum Hollandiæ, Radbodum antistitem fere toto tempore suæ administrationis Dauentriæ commoratum, propter Danos, qui Traiectum occuparant. Idem Radbodus diuino spiritu afflatus, prædixisse fertur cuidam Baldrico optimæ indolis iuueni, futurum vt exacto triennio, ipse Traiectẽsium pontifex factus, vrbem, quæ Danorum incursione varijs antea cladibus fuerat afflicta, in pristinum reduceret statũ, quod certè euenit. Nam posteaquã annis septendecim Radbodus sedisset, hoc defuncto, omnibus suffragijs Baldricus electus est. Radbodi corpus Dauentriæ clerus magnifico sepeliuit apparatu. Estque hic primus omnium Traiectensis ecclesiæ Antistitum extra Traiectum sepultus.

*Baldricus.*

15\. BAldricus iam episcopatum adeptus, primum omnium expulsis Traiecto Danis, afflictam, deformatãq; sæuitia hostili vrbem reparauit. Postea in Italiam est profectus, vnde impetratis nonnullis ab Othone rege, quæ ad ecclesiæ Traiectensis ornamentum pertinebant, secum aduexit Benigni, Pontiani, & Agnetis martyrum corpora, quæ Traiecti imposuit in æde diuo Martino sacra. Perijt fato, sexto idus Ianuarias anno suę creationis quinquagesimo nono. Vbi sit humatus nõ inuenio.

*Volcmarus.*

16\. POst Baldricum, Volcmarus quidam summa vir bonitate, præfuit annis duodecim & amplius. Vbi sit funeratus non est proditum memoriæ ab his, qui res collegerunt Hollandicas.

Bal-

*Balduinus.*

BAlduinus patria Hollandus, inde antistes fuit Ab hoc nihil reperio toto triennio, quo sedit, gestum memoria dignum.

17.

*Anfridus.*

MOrtuo Balduino, suffectus est Anfridus illustri ortus familia. Hoc pontifice, Otho imperator multa donauit ecclesiæ Traiectensi, & post Othonem, Henricus non minus extitit in eandem ecclesiam munificus. Anfridus cùm iam aliquot sedisset annis, vtrunq; oculum amisit. Idem non longè ab Amersfordia oppido, extruxit cœnobium fratrum diui Benedicti. Obijt anno suæ gubernationis decimo quarto.

18.

*Adelboldus.*

ADelboldus quidam est inde creatus episcopus. Ad hunc refertur templi Traiectensis instauratio, quæ incidit in annum à natali Christiano, Millesimum decimum quintum. Non multò pòst visa est crinita stella, prodigiosa magnitudine, quæ præcessit beliū atrox, quod postea gestum est inter episcopum Adelboldum, & comitem Hollandiæ, in quo bello, tam multi vtrinq; periere, vt conuulsæ propè sint vtriusq; vires. Habuit Adelbaldi Episcopatus quocunq; obijt Hollandiæ principe annos octodecim. Hic antistes in basilica D. Martini situs est Ab eodem nonnulli putant institutum esse canonicorum collegium in Trelensi ecclesia.

19.

*Bernoldus.*

DEfuncto Adelboldo, suffectum legimus Bernoldū quendam, virū sanctitate insigni, cuius pontificatu obijt Theodoricus comes quartus Hollādiæ, Hierosolymis domū reuersus, paucis pòst annis Dordraci intra muros Coloniensis, & Leodiēsis episcopi, & Theodoricus quint⁹ Hollādiæ comes, infestis signis cōcurrere, qua acie quadringenti nobiles cecidisse traduntur. Ad Bernoldum sunt qui referant institutionem collegiorum D. Petri, & S. Ioannis Baptistæ dominici præcursoris. Hic antistes extra vrbem Traiectensem moritur,

tur, annis viginti, & amplius præfuisset, estq; defuncti corpus Traiecti sepulchro illatum in templo diui Petri apostolorum principis.

*Guilielmus.*

21. IN Bernoldi locum Guilielmus Ghelrici sanguinis episcopatum adipiscitur, vt armis insignis, de cuius tamen rebus gestis nihil inuenire potui apud scriptores, anno gubernationis vigesimo primo in humanis esse desijt.

*Conradus.*

22. GVilielmo vita functo successit Conradus, gente Suęuus, Ab hoc extructa arx in Yselmonda, ad Hollandorum vim inhibēdam. Idem (vt reperio) instituit collegium Traiecti canonicorū deipatæ Virginis, haud multo post interemptus à Phrysio homine, cuius sibi, nescio quo modo, inuidiam conflauerat.

*Burchardus.*

23. POst huius cædem, legitimo suffragio Burchardus quidam electus est, in cuius tempora incidit memorabilis quędam in Thurcas expeditio, qua victi Thurcæ, & Hierosolima expugnata. Hic antistes rebus præfuit annis quatuordecim.

*Godeuualdus.*

24. SVccessorem habuit Godeuualdum Phrysium. Hic est ille, quid Middelburgi, apud Zelandos eiectis regularibus canonicis, qui omnia luxu perdebant, curauit, vt ex monachis S. Michaelis Antuerpiæ, complures illuc migrarent, sanctius deo militaturi. Hoc cœnobium postea studio, ac diligentia gubernantium, ad maximas opes peruenit. Vnde factum existimo, vt nostris temporibus Abbatis elegendi potestate monachis adēpta, sæculares principes manus inijcere cœperint eorum possessionibus. Godeuualdus exactis in pontificatu annis quindecim, monasticam vitam amplexus, haud multò pòst ad superos abijt.

*Andreas Kuuckensis.*

25. SEquitur hunc Andreas quidam Kuuckensis comitis filius, vir pacis, & ocij studiosissimus, qui Egmōdensi

mona-

monasterio apud Hollandos, extinctam pene pietatem reuocauit. De hoc nihil aliud memorabile proditum literis inuenio. Naturæ concessit anno suæ creationis decimo, Traiecti maiorum sepulchro illatus.

*Herbertus.*

HVic sufficitur Herbertus gente Phrysius, cuius temporibus Hollandiæ princeps Theodoricus Traiectum valida manu obsedit. Itaq; Herbertus antistes maximis copijs cinctus, primum ciues hortatus est, vt mœnia vrbis defenderent, ipse deinde cum vniuerso clero egressus vrbem, vt anathematis spiculum in Hollandos distringeret, eius metu eò principem adegit, vt supplex veniam petierit. Huius belli nobis facta mentio in eo libello, quem nuperrimè rogatu amicorum emisimus, de principum Hollandiæ rebus gestis, maxime dignis memoratu. Herbertus fato mortuus est, cum annos duodecim, & menses quatuor ecclesiæ Traiectensi præfuisset.

26.

*Hermannus Hornius.*

EST inde discordia laboratum Traiecti, ciuibus vehementer auersantibus eum antistitem, quem nobiles aliquot surrogari in demortui locum percupiebant. Is fuit Hermannus Hornius, diui Gereonis Coloniæ præpositus, qui non multò pòst aduentu cardinalis cuiusdam, à latere (vt vulgo dicitur) episcopatum est adeptus, atq; ita resedit omnis ille motus. Hermanni vero nimis lene, ac mite ingenium, plus boni, an mali Traiestẽsibus attulerit, nescio. Multi enim, quib⁹ cõteptui fuit illa lenitas, mala multa perpetrarunt. Hermannus cum sexennium administrasset, vita defunctus est.

27.

*Godefridus.*

QVum postea rursus discordarent inter se canonici, quorum erat eligere antistitem, inopinato aduẽtu Friderici primi imperatoris factum est, vt Godefridum quendam maiorem archidiaconum, in defuncti Hermanni locum elegerint. Hoc itaq; Godefrido, & Hollandiæ principe inter se acriter contendentibus de

28.

Phrysiæ imperio,ad eos tumultus sedandos, Fridericus Romanus princeps,in gratiam Godefridi antistitis Hollandiam repetijt. Obijt Godefridus,vir ingentis animi, episcopatus sui anno vigesimo secundo.

*Balduinus II.*

29. BAlduinus quidam huius nominis secundus fit inde episcopus,mãsuetudine, & castitate nulli superiorũ antistitum secundus. Hic adeptus eam dignitatem, neq; suis, neq; domesticæ defuit nobilitati.Mortuus est anno. xviij.suæ gubernationis.

*Arnoldus.*

30. HOc defuncto, Theodoricus Hollandiæ, & Otho Gheldrię principes,quisq; eam ingenti armatorum manu Traiectum ingressi,omnia sic turpissima largitione interturbarunt, vt canonicorum pars vna Theodoricum superioris Balduini fratrem, pars altera elegerit Arnoldum quendam Ysembergum, Huic Otho, illi Theodoricus Hollandiæ comes fauebat. In hoc statu annis aliquot exactis, Pontifex maximus Arnoldum trigesimum episcopum declarauit. Quo paucis pòst diebus Romæ extincto,eiusdem pontificis decreto, Theodoricus in defuncti locum subijcitur, qui ad gregem sibi cõmissum ex vrbe Roma profectus in itinere moritur.

*Theodoricus.II.*

31. THeodoricus,qui post duos illos, eodem tempore electos,pręfuit ab eo secundus,cui ex episcopis id nomen primo contigit,adiutus viribus Lothoringiæ ducis,semel cum Hollãdorum principe fœliciter dimicauit.Superatis enim Hollãdis ipse princeps captus est, quo postea dimisso,pax secuta. Hic antistes annum suæ gubernationis vij. vixdum ingressus,desijt in humanis esse.

*Otho.*

32. SEquutus est hunc Theodoricum Otho quidam iuuenis excellenti forma,& ingenio ad res gerendas apposito,qui haud dubiè Traiectẽsium diocœsi futurus

erat

erat vtilis princeps, si largior contigisset administratio. Nondum enim biennium prefuerat, cum vita decederet.

*Otho. I I.*

HOc extincto, rogatu Hollandiæ, Ghelrięq; principū electus est Otho filius comitis Lippensis, qui ad tempus commissa administratione fratri suo Hermanno, imperatorem Fridericū in longinquas terras proficiscentem est secutus, Vel quod opera eius, cō filioq; vteretur in rebus gerendis imperator, vel vt ipse diuersis paragratis regionibus ad suos rediret peritior. Itaque non multò post reuersus, conflato ingenti exercitu, bellum gessit cum principe Ghelriæ, qui cum Zelandis, facta conspiratione, bona episcopatus temerè adortus fuerat. Legitur eo bello vicisse Otho antistes partim cæsis, partim fugatis hostibus. Idē postea in prælio occisus est, cum profectus esset in Phrysiam ad ciuilem discordiam extinguēdam, quæ apud Grueningos orta fuerat. Corpus eius deportatum est Traiectum, atq; ibi loci sepultum.

33.

*VVilbrandus Badenburgensis.*

INterempti Othonis loco fit inde episcopus Vuilbrandus Badenburgensis, vir magis strennuus, quā doctus. In huius tempora incidit mors clarissimi, & sanctissimi Galliarum regis Ludouici, qui postea diuorum numero adscriptus est. Vuilbrandus octo annis dignitatē potitus, è vita migrauit. Corpus eius Traiectenses diui Seruatij templo intulêre.

34.

*Otho I I I.*

AB illius morte Canonicorum suffragijs episcopatū est adeptus Otho, appellationis huius tertius, vir illustri ortus familia, qui Traiectensem sedem propter assidua bella, tum crebras inundationes multum obteratam, studio, ac industria sua, in pristinum statum restituit. Mortuus est, cum administrasset an. sexdecim.

35.

*Gosvvinus.*

POst hunc electus quidam Gosuuinus, oblatam sibi dignitatem vltrò deposuit. A cuius abdicatione Henricus quidam est creatus antistes. Hic forti pectore,

36.

& armis, cum diuersis principibus miro vsq; successu belligeratus est. Obijt anno.xviii. quā reipub. Traiectensium præfuerat.

*Ioannes Nassauius.*

38. IOannes Nassauius episcopus inde creatur. Huius temporibus anno salutis humanæ M. CC. LXXXII. festo diui Georgij, magna pars vrbis Traiectensis deflagrauit, Idem conflatione æris alieni, pontificio decore labefactato, post vigesimum suæ creationis annum, dignitate exuitur.

*Ioannes Syrck.*

39. CVI successit Ioannes quidam cognomento Syrck, tenuitque nouem annos episcopatum traiectentensem. Postea ex auctoritate pontificis maximi, Tullensis ecclesiæ factus antistes. Huius itaque discessu pastore destitutam sedem accepit.

*Guilielmus II.*

41. GVilielmus secundus ab eo pontifice, qui primus ita est appellatus. Hic patria Mechliniensis, primum omnium statuit, ne quis illegitimus in collegium canonicorum ascisceretur, extantq; super ea re literæ, quæ tamen postea inualescente indies magis magisq; sacra fame, antiquatæ sunt. Guilielmus postea bello, quod gessit cum Hollandiæ principibus aliquot, ferro transuerberatus, in vestigio cōcidit, postquam annis quinq; sedisset.

*Guido Leodiensis.*

42. GVido Leodiensis thesaurarius, post Guilielmi cædē à parte canonicorum electus, pro eo adnitentibus magnis principibus obtinuit episcopatum, huius temporibus ordo Templariorum primum sublatus est, ob nefandum in mares libidinem. Oblatum sibi à Clemente quinto cardinalicium galerum, idem antistites recusauit, indignum sese tanto honore existimans, quem hodie tam multi etiam ambiunt. Guido subita vi morbi pressus, obijt anno initæ dignitatis. xvi.

Fri-

*Fridericus Sirck.*

CVius morte Fridericus Syrck epiſcopatum adipiſcitur, qui ob æris alieni magnitudinem, ſuis tandē contemptui fuit. In commentarijs, quos ad me dedit Martinus Dorpi⁹ vir Theologica ſapiētia clariſſim⁹, inuenio Friderici huius tēporibus, à Ioanne pōtifice vigeſimo ſecundo, inſertū canoni miſſæ Thomam Aquinatem prædicatorij ordinis virum, qui ingenij ſui monumenta reliquit poſteris multum profutura. Friderici obitus incidit in annum virginei partus M, CCC. xxij. quo anno per vniuerſum Traiectenſium agrum, mare, diruptis aggeribus, eſt euagatum, cum multa ſatorum pernicie. 43

*Iacobus Oſthorn.* 44.

IAcobus Oſthorn, qui defuncto Friderico præfuit, neq; fecit quicquam memorabile, neq; annum in gubernatione compleuit.

*Ioannes Dieſtenſis.*

HVic, ex Ioannis vigeſimi ſecundi Ponti. maximi decreto, ſuffectus eſt Ioannes Dieſtenſis. A quo inſtitutum reperio collegium canonicorum Amerfordiæ. 45.

*Nicolaus de Caputijs.*

POſt Ioannis obitum, ſummotis duobus alijs, quos diſcordantes inter ſeſe canonici elegerant, Pont. Max. Benedictus duodecimus, in locum demortui ſuffecit virum inſigni doctrina iuris Nicolaum de Caputijs (ita enim vulgo nominabatur) qui Nicolaus, oblatam ſibi dignitatem, vt nimis oneroſam, intra annum creationis depoſuit. Idem non multò pòſt cardinalitio donatus galero, Peruſiæ gymnaſio Italiæ collegium inſtituit, vbi perdiſcendis bonis artibus idonei iuuenes alerentur, voluitq; vt inter cæteros, ex Traiectenſi vrbe ad capiendum ingenij cultum miſſi duo admiterentur. Pulcherrimum certe exemplum, quod vtinam hodie principes imitarentur, quibus video id multo magis cordi eſt, vt amplis ac magnificis extruendis ædibus magnam patrimonij partem inſumant. 46.

*Ioannes Arkel.*

47. SEcutus eſt Ioannes Arkel (ita inuenio appellatum) qui adhuc iuuenis florenti ætate declaratus antiſtes, pro magno habuit negocio ea redimere eccleſiæ bona, quæ ſuperiores aliquot epiſcopi turpi venditione alienauerant. Hic niſi tam grande æs conflaſſet alienum, haud dubiè clariſſimis viris æquari potuit. Nemo ſuperiorum antiſtitum hoc vno fuit bellacior, nemo ſæpius cum hoſte conflixit armatus, in Hollandos in Phryſios, in Ghelros toties intẽtata arma, & ſemper miro ſucceſſu. Præfuit rebus Traiectenſium annis viginti duobus, poſtea factus Leodinorum epiſcopus.

*Ioannes Vernenburgus.*

48. IOannes Vernenburgus, magno omnium bonorum conſenſu deinde fit antiſtes, qui dum quodam tempore, vt in rebus benè pacatis ocio indulget, ab hoſtibus captus, non niſi ingẽti promiſſa pecunia redimi potuit. Per hæc tempora Traiecti atrociſſimè ſæuiens peſtilentia, vaſtitatem ciuitati attulit inſignem, abſumptis vndecim milibus hominum. Exceſſit Vernenburgus põtifex anno initi honoris ſeptimo, non ſine veneni ſuſpitione

*Arnoldus Hoorn.*

49. POſt hunc Arnoldus Hoorn, ex decreto Pont. max. declaratur epiſcopus. Nam diſſidentibus inter ſe canonicis, vacauerat aliquandiu ſedes. Hic Arnoldus cum Traiecti ſeptennium adminiſtraſſet, Leodienſium antiſtes electus eſt.

*Florentius.*

50. CVi pontifex maximus poſtea ſubiecit Florentium Epiſcoporum monaſterienſem, Qui vir nulli ſuperiorum Antiſtitum pietate, aut alio virtutis genere ſecundus. Traiectenſium eccleſiæ multum ſplendoris attulit, Precãdi ardore, vt inſanus à quibuſdam increpitus, Quid (inquit) vobis inſanire videor, ſi quum oues multas habeã multum orem. Hic Florentius publicè in ordinem redegit, ac ſacerdotij inſignibus exuit quendã Iacobum Minoritanæ familiæ fratrẽ, qui per aliquot an

nos

nos Episcopatus dignitatem falsò sibi vsurpauerat, quæ quidem sceleratissimi hominis improbitate factum est, vt nonnulli, qui ab eodem antea sacris initiati fuerant, postquam desecratus est, vxorem duxerint.

*Fridericus Blandrenhem.*

51. FLorentio die parasceues defuncto, exactis in administratione decem annis & mensibus quinq; successit Fredericus Blandrenhem, qui vir literatura insignis, toto administrationis tempore optabili præfuit exemplo, vixit omnibus charissimus, ob egregia in remp. merita, gestisq; bellis aliquot, mortem obijt senex. xxx. an. in gubernatione trāsactis, funeratus est solemni pompa Traiecti in templo D. Martini.

*Zvvederus Culenburgensis.*

52. ELegit postea maior Canonicorum pars Rodolphū filium comitis Diepholt, quem tamen Martinus. v. Ponti. Max. non est passus administrare, propterea q omniū bonarū artium rudis esset, ac idiota propemodum. Contulit igitur Episcopatum Traiectensem pontifex cuidam Zvuedero Culenburgensi, viro & erudito, & bono quem septimo administrationis anno sede Traiectenses deturbant, Rodolphum admittunt, Hunc Zvuederus, quem eiectum Hollandi in suas iam vrbes tuendum receperant, anathematis telo petiuit. Verum hanc discordiam, quæ per longum tempus durauerat, Philippus Burgundionum princeps tandem sustulit, præcipiens Hollandiæ ac Zelandiæ populis, qui à Rodolpho desciuerant, vt deinceps hunc Rodolphum solū pro antistite haberent.

*Rodolphus.*

53. CVius temporibus Constantinopolis (bizantium antiquis dicebatur) primum à Thurcis diebus aliquot atrociter oppugnata, deinde capta est magna rei Christianæ iactura atq; ignominia. Diē obijt hic episcopus anno sui præsulatus vigesimo tertio.

*Ghysbertus Brecodem.*

54. IN locum demortui Rodolphi, Ghijsbertus Breroden,

vir illuſtris, omnium conſenſu antiſtes declaratur, qui duntaxat annum præfuit, & menſes quatuor.

*Dauid Burgundus.*

55. A Ghijsberto Dauid Burgundus epiſcopatum accepit, qui in principio nihil habuit antiquius, quàm labantem rempub. Traiectẽſium reſtituere, homo communi vtilitati natus, Multa fecit in vita memoratu digna. Mira ſunt quæ de huius antiſtitis indole fama feruntur, quæ nobis eo veritati propiora videntur, quòd nobiliſſimo ac clariſſimo patre Philippo principe Burgundionum prognatus eſt. Adminiſtrauit, vt ex quibuſdam intellexi, annis quadraginta & amplius. Humatus Doreſtati.

*Fridericus Baden.*

56. HVic Dauidi ſucceſſit Fridericus Baden, vir pacis, atq; ocij longè amantiſſimus, qui nòſtra memoria Lyræ Brabantiæ oppidulo defunctus eſt. Hic antiſtes cum adhuc in humanis ageret epiſcopatus adminiſtrationem ceſſit Philippo Burgundo, fratri Dauidis epiſcopi, qui inter Fridericum & Ghijsbertum Brerodenſem extitit medius.

*Philippus Burgundus.*

57. DE Philippo autem, cùm adhuc ſuperſit, nihil dicere conſtitui, quanquam poſt initam dignitatem, multa fecit laudabilia. Vnde in certiſſimam ſpem adducor, vt huius ſtudio, ac prouidentia viri, collapſæ res eccleſiæ Traiectenſis, breui priſtinam dignitatem recipiant.

# IOCORVM VETERVM AC RECENTIVM LIBRI TRES, AVCTORE ADRIANO BARLANDO.

## *CVM EIVSDEM SCHOLIIS.*

## AMPLISSIMO PATRI MAXIMILIANO A BVRGVNDIA, ABBATI INSIGNIS MONASTERII PRAEMONSTRATENSIVM APVD Middelburgum Selandiæ Hadrianus Barlandus, S. D.

CONTINVI laboris non est patiens humana natura, Tristitiã adducit pertinax studium, Vnde maximi olim viri à negotijs Reipub. ad otium quo recrearentur, non quo euanasceret virtus plerunq; transibant. Sapio & Lelius veræ amicitiæ par clarissimum in ciuitate populosissima forensibus defatigati ministerijs conchulas & calculos in littoribus lectitabant. Sceuolæ pila susceptorum laborum honestũ erat leuamen & relaxatio. Nec erubuit Socrates ille mortalium sapientissimus iudicatus, arundine cruribus interposita cũ paruulis ludere filiolis. Festi quoq; dies ad hoc instituti videntur, vt tempestiua laboris intermissione laxati animi vegetiores ad consueta redeant negotia. Nos itaq; viros imitati clarissimos, vir clarissime, fati ...um quotidianis docendi molestijs, ad ludicra conuerti-

uertimus animum pauculis sanè diebus, congesta iocorum maximè veterum, ceu syluula quadam, fecimusq; libros tres. Hunc lusum non Scotidæ, aut Oceanistæ cuipiam, sed tibi visum est dedicare, propterea quod & eos quotidie scriptores te sciam euoluere, vnde hæc se legimus, neq; lasciuis, & infacetis facetijs, quales Pogianæ, quales & Bebelianæ, sed doctis, sed argutis iocis impendio delectari. Hos igitur commentarios tuę dicatos Amplitudini accipies, ceu Mnemosinum tui Barlandi, & nati, & sub incorruptis, aç voti exiguis parentibus, educati in ista insula, cuius tu nunc præsidium es, decus & singulare ornamentum. Rogare nolo, vt boni consulas hanc licentiam meam. Erasmus enim tuus vir & humanissimus, & ciuilis iuris doctissimus, de tuo incredibili studio erga doctrina præstantes viros, de singulari ingenij tui candore, summa vitæ comitate, ciuilitate mira, morum inaudita suauitate, tam multa narrauit, vt non dubitem, quin tibi hoc meum erga tuam amplitudinem studium, sit futurum longè gratissimum. Vale. Louanij Calendis Martijs. Anno restitutæ salutis Millesimo Quingentesimo Vicesimo nono.

## *IOCA COLLECTA EX*

*Cicerone secundo de Oratore.*
*Quintiliano lib. VI.*
*Macrob. lib. II.*
*Suetonio.*
*Sabellico.*
*Iouiano Pontano.*
*Martiale.*

IOCI

# IOCI EX MACROBIO.

## LIBER PRIMVS.

### *IOCVS IN ANTONIVM.*

POST Mutinensem fugam nonnullis rogantibus quid Antonius ageret, Quidam familiaris eius, quod canis, inquit, in Aegypto. Nam in ea regione constat raptu crocodilorum canes exterritos currere, & bibere,

*In Mutium quendam.*

Publius vbi Mutium inprimis maleuolum solito tristiorem vidisset, Aut Mutio, inquit, nescio quid incommodi accessit, aut nescio cui aliquid boni.

*In Manlium.*

Apud L. Manlium, qui optimus Romæ pictor habebatur, Geminius Seruilius fortè cœnabat, quumq; filios eius deformes vidisset, Non similiter, inquit, Manli fingis & pingis, Et Manlius in tenebris enim fingo, inquit luce pingo.

*Demosthenis rhetoris dictum.*

Demosthenes excitatus ad Laidis famam, cuius tūc formam tota Gręcia mirabatur, accessit vt & ipse famoso potiretur amore, Qui vbi dimidium talentum vnius precium noctis audiuit, discessit hoc dicto ὀυκώνουμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν.

*Scomma Ciceronis in Cæsarem, & huius in Ciceronem.*

Laberius Mimus in Senatum à Cæsare lectus, quum à Cicerone ad concessum non reciperetur, dicente: Reciperem te nisi angustè sederemus, nimis mordaciter respondit, Atqui solebas duabus sellis sedere, obijciens tā to viro lubricum fidei. Sed id quod Cicero dixit, nisi angustè sederemus, scomma erat in Cæsarem qui in senatum passim tam multos admittebat, vt eos quatuordecim gradus capere non possent.

*In Consulatum Seruilij.*

M. Voltacilius Pitholaus quum C. Seruilius vno tantum

tantum die consul fuisset, Ante flamines inquit, nunc consules diales fiunt.

*In Lentulum.*

M. Cicero, quum Lentulum generum suum exiguæ staturæ hominem longo gladio accinctū vidisset. Quis, inquit, generum meum ad gladium alligauit?

*In Q. fratrem.*

Nec Quinto fratri circa similem mordacitatē pepercit. Quum enim in ea prouincia, quam ille rexerat vidisset clipeatam imaginem eius ingentibus lineamentis vsq; ad pectus ex more pictam (erat autem Quintus ipse staturæ paruæ) Frater meus ait dimidius maior est quàm totus.

*In consulatum Vatinij.*

In consulatu Vatinij quem paucis diebus gessit notabilis Ciceronis vrbanitas animaduersa est. Magnum ostentum, inquit, anno Vatinij factum, quod illo consule nec bruma, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuit.

Querenti deinde Vatinio quod grauatus esset domū ad se ægrotantem venire respondit, Volui in consulatu tuo venire, sed nox me comprehendit.

Eiusdem Ciceronis est illud: Vigilantissimus est consul noster, qui in consulatu suo somnum non vidit.

*In sororem fausti.*

Faustus Syllæ filius quum soror eius eodem tempore duos mœchos haberet, Fuluium fullonis filium & Pompeium cognomento Maculam. Miror, inquit, sororem meam habere Maculam, quum fullonem habeat.

*Iocus Augusti.*

Augustus quoq; Cæsar iocos affectauit, saluo tamen maiestatis, pudorisq; respectu, nec vt caderet in scurrā. Aiacem tragœdiam scripserat, eandemq; quod sibi displicuisset, deleuerat. Postea Lucius grauis Tragœdiarū scriptor, interrogabat eum, quid ageret Aiax suus, & ille in spongiam, inquit incubuit.

Eius-

*Eiusdem.*

Idem quum ei libellum quidam trepidus offerret, & modo proferret, modo retraheret manum. Putas, inquit te assem elephano date.

*Eiusdem.*

Quendam præfectura equitum summotum, & insuper salarium postulantem, dicentemq; non lucri causa dari hoc mihi rogo, sed vt iudicio tuo munus videar impetrasse, & ita officium deposuisse. Hoc dicto repercussit, Tu te accepisse apud omnes affirma, & ego dedisse me non negabo.

Commemoratur & illud inter facetè dicta Octauij Cæsaris quod minima commoda non minimo sectantes discrimine similes aiebat esse aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum nulla captura pensari posset.

*Eiusdem.*

Vrbanitas eiusdem innotuit etiam circa Herennium deditum vitijs iuuenem, quem quum castris excedere iussisset, & ille supplex hac deprecatione vteretur. Quo modo ad patrias sedes reuertar? Quid patri meo dicam? Respondit, dic me tibi displicuisse.

*Eiusdem.*

Galbæ cui informe gibbo erat corpus agenti apud se causam, & frequenter dicenti: Corrige in me, si quid reprehendis. Ego te inquit monere possum, corrigere non possum.

*Eiusdem.*

Quum audisset inter pueros quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bimatum iussit interfici, filiũ quoque eius occisum: Melius est inquit Herodis porcũ esse quàm filium.

*Eiusdem.*

Exceptus à quodam cœna satis parca, & quasi quotidiana, nam penè nulli se inuitanti negabat, post epulum inops ac sine vllo apparatu discedens vale dicenti hoc tantum insusurrauit. Non putabam me tibi tam familiarem.

*Eiusdem.*

Vatinio in prima sua ætate eleganter insultauit: Cōfusus ille podagra volebat tamen videri discussisse vitiū & mille passus ambulare se gloriabatur, cui Cæsar: Nō miror, inquit, dies aliquanto sunt longiores.

*In Augustum dicta.*

Curtius eques Romanus delicijs diffluens, quum macrum turdum sumpsisset in conuiuio Cæsaris, interrogauit an mittere liceret: Responderat princeps, quid ni liceat: ille statim per fenestram misit.

*In eundem.*

Etiam militis non libertatem tantum, sed & temeritatem tulit, In quadam villa inquietas noctes agebat, rūpente somnum eius crebro noctuæ cantu, Præhendendā curauit noctuam, Miles aucupij peritus, & spe ingentis præmij pertulit Laudato, imperator mille nummos dari iussit, ille ausus est dicere, Malo viuat, auemq; dimisit, Quis non miratus est non offenso Cæsare abijsse militem contumacem.

Veteranus quum die sibi dicto periclitaretur, accessit in publico ad Cæsarem, rogauitq; vt sibi adesset, ille aduocatum dedit, commendauitq; ei litigatorem, exclamans Veteranus, At non ego, inquit, Cæsar periclitante te Actiaco bello vicarium quæsiui, sed pro te ipse pugnaui, detexitq; impressas cicatrices, Erubuit Cæsar, venitq; in aduocationem, vt qui vereretur non superbus tantū, sed etiam ingratus videri. *Augusti iocus in filiam.*

Iulia maturè canos habere cœperat, quos legere secrètò solebat. Subitus interuentus patris aliquādo oppressit ornatrices, Dissimulauit Augustus, deprehensis super vestē earū canis, & alijs sermonibus tēpore extracto, induxit ætatis mentionē, interrogauitq; filiā vtrū post aliquot annos cana esse mallet an calua, cūq; respondisset, Ego pater cana esse malo, sic illi mēdaciū obiecit, Quid ergo istæ te caluam tā cito faciunt. *Iuliæ in Augustum.*

Quum grauem amicum audisset Iulia suadentem melius facturam si se cōposuisset ad exempla paternæ frugalitatis, ille, inquit obliuiscitur Cæsarē se esse, Ego memini me Cæsaris filiam.

*Casselij dictum in Vatinium.*

Lapidatus à populo Vatinius, quum gladiatorium munus ederet, obtinuerat vt ædiles edicerer, ne quis in harenã, nisi pomum misisse vellet, forte his diebus Caselius consultus à quodam an nux pinea pomum esset, respondit, si in Vatinium missurus es, pomum est.

*Lelij dictum in Galbam.*

In Galbam eloquentia clarum, sed quem habitus cor poris destruebat M. Lelij vox circunferebatur, Ingeniũ Galbæ malè habitat.

*Ex Quintiliano.*

Eques Romanus ad quem in spectaculis bibentem quum misisset Augustus qui ei diceret. Ego si prandere volo domum eo, Tu enim, inquit, non times ne locum perdas.

*Apud Quintilianum ex cap. de risu. libro sexto institutionum.*

Iuuenes Tarentini multa de Pyrrho rege securius inter cœnam loquuti, quum rationem facti reposceret, & neq; negari res, neq; defendi posset, risu sunt, & oportuno ioco elapsi, Namq; vnus ex his, Immo, inquit, nisi lagena defecisset, occidissemus te, Eaq; vrbanitate tota est inuidia criminis dissoluta.

*Apud eundem. Ciceronis iocus.*

Cicero obiurgantibus quod sexagenarius puellã virginem duxisset, Cras mulier erit, inquit.

*Ex oratore Ciceronis lib. ij.*

Quum C. Fabricio P. Cornelius homo auarus & furax, sed egregiè fortis & bonus imperator, gratias ageret quod se homo inimicus consulem fecisset bello præsertim magno & graui, Nihil est quo mihi gratias agas, inquit, si malui compilari, quàm venire.

*Ex eodem libro.*

Quum Aphricanus censor Tribu mouebat eum cẽturionem, qui in Pauli pugna non adfuerat, quũ ille se custodię causa diceret in castris remansisse, quæreretq; cur ab eo notaretur, non amo, inquit, nimium diligentes.

*Eiusdem.*

Diogenes liberius, vt Cynicus Alexandro roganti vt dice-

diceret, si quid vellet, Nunc quidem paululum inquit, à sole absis, Offecerat videlicet apricati.

*De iocis Vespasiani imperatoris, ex Suetonio.*

Menstrium Florum consularē admonitus ab eo plaustra potius quam plostra dicenda, die postero Flaurum salutauit.

Expugnatus autem à quadam, quasi amore suo deperiret, quum productæ pro concubitu sestertia quadraginta donasset, admonete dispēsatore, quemadmodum summam rationibus vellet referri, Vespasiano inquit adamato.

Reprehendenti filio Tito, quod etiam vrinę vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admouit ad nares, sciscitans num odore offenderetur, & illo negante, atqui inquit, è lotio est.

*Vibij Crispi iocus ex Suetonio in Domitianum.*

Inter initia principatus quotidie secretum sibi horarium sumere solebat, nec quicquam amplius quā muscas captare, ac stilo præacuto configere, vt cuidam interroganti, essetne quis intus cum Cæsare, non absurdè responsum sit à Vibio Crispio, ne musca quidem.

*Ex Sabellico.*

Vergilius Vates suspirabundus vbiq; obseruatus est. Vnde facetum illud Augusti responsum, inter hunc ipsum sedentis & Flaccum Horatium, qui ab oculorum lippitudine laborauit, rogatus à quodam amicorum, quid ageret, Sedeo inquit inter suspiria & lachrymas.

Puella & modesta, & catula cum ab muliere quadam iracundia atq; annosa non solum amaris, verum etiam impudentibus incesseretur dictis. Quando inquit (vt video) abundans annis mulier, pudorisq; egena es admodum, te hortor vt huiusce sumas aliquid alicunde mutuum. Locus sumptus à consuetudine eorum qui cùm pecuniæ egeant, illam sumunt mutuam.

Meis è tribulibus quispiam abunde comis, quum hospes vociferantem diutius vxorem eius, rixantemque

cum

cum ancillis parum æque ferret, conuersus ipse ad hospitem. Ecqua inquit, amice impatiētia est tua? Duos, inquit, & triginta annos huius clamores diesq; ac noctes æquissime ipse persero. Tu vero ne dieculæ quidem sex tantum ferre eam potes? quo dicto & hospitem leniit, & vxorem ab ira ad risum conuertit.

Diuerterat aliquando familiaris quidam meus peregre iter faciens ad meritoriam, apposita est ei cœna omni è parte holitoria, vinum item dilutissimum, omnia demum administrata parcissime. Postquam autem cęnauit iussit vocari ad se medicum ad mercedem capiendam Igitur caupo quum respondisset: Ecquid (malum) in viculo maxime agresti medicum requiris? Ibi ille. Num ne ô bone tete ipsum ignoras? quo sit igitur merces operæ suæ par, medici precium accipe, non cauponis quando vt ægrotum me pauisti in cœnula.

Diuerterat ad meritoriam Pyrrhiniculus Vasco, atq; apposita mensa anaticulũ versabat in lancibus perbelle vnctum, atq; halliatum, Ingreditur repente ad illum viator Hispanus, iniectisq; in anaticulum oculis, potes, inquit ô amice aduenientem comiter amicum accipere, ibi tum Pyrrhiniculus quo nomine ipse esset exquirit. Audenter ille ac iactabundus Alopantius, inquit, Ausimarchides Hiberoneus Alorchides. Pape tum Pyrrhiniculus quattuor ne auicula hæc heroibus & quidem Hispanis? absit iniuria. Ea Pyrrhiniculo satis est vni, minutos enim decent minuta.

Idem hic familiaris aliquando peregre proficiscens in cubile incidit ab cimicibus simul, plurimoq, à pulice insessum. Itaq; vbi paulummodo quieuisset excitatus ab illorum aculeatissimis demorsiunculis euocato caupone petijt falcem sibi ab eo adferri. Cum ille quam ad rem ea opus esset percunctaretur, qua, inquit excidã senticetum, quod mihi nocte hac excidendum locasti. Sentes & spinas ad cimices transtulit ac pulices, Cubile autem ad senticetum.

Alphonsus Hispaniæ citerioris, itemq; Neapolitano-

rum rex venationi eum esset admodum deditus, percũctareturq; Antonium Panormitam sciscitabundus, qui Neapoli essent nobiles viri venandi studiosi siqui item scriptores de natura canum aliquid prodidissent. Ne tu inquit, rex ad latus habes rerum harum omnium prudentissimum virum, ne aliunde quærites, quippe qui annos supra quadraginta cum hoc genere animalium sit ita conuersatus, vt nocteis quoq; ipsas cum canicula cubitauerit, Hic tibi & canum naturas describet, & illorum instituendorum artes. Erat autem is eques Neapolitanus, quem honoris gratia ne nominauerim. Cumq; his dictis surrisisset, Antonius indicauit sub caniculæ nomine vxorem illius significari, mulierem omnium clamosissimam, pariter ac rabiosissimam.

Fredericus rex Neapolitanorum vsus est magistro epistolarum, vtq; hodie dicunt secretario Villæ Pisanello. Is erat capillo crispo, qualis æthiopibus esse solet. Fortè inter Federicum & Prosperum Columnam exercitus eius ducem sermo inciderat de hominum applicationibus, naturæq; ipsius signis quibusdam, eorumque obseruatione, cumq; in referendis illis Federicus dixisset fieri vix posse, cui crispus erat capillus, quin idem aut musicus esset, aut deprauata ac parum constanti mente. Tum Prosper per Churistm, inquit ô rex, Vitulus hic quidem tuus haudquaquam musicus est, Argutè admodum atq; aculeatè, Namq; ex aduersatione sequebatur laborare illum mentis infirmitate, atq; peruersitate animi.

Rodericus Carrasius (vt sunt pleriq; Valentini ciues tum senes tum iuuenes amoribus dediti ac delitijs) licet octogenarius iam exercebat sese ad tibiam. Præteriẽs ante eius fores Rebolleta, homo cum primis suauis ac facetus. Quis, inquit ô pueri hic ad choreas instituitur? Cum respondissent Rodoricũ dare operam choralistio, Nę, inquit, Rodoricus nuncium ab orco accepit ludos apud manes apparari ac festos dies. Dicendi ac ridendi argumentum omne ab annositate ductum.

Iocabantur aliquando vel rixabãtur potius ex ijs duo,

quos

quos maiores nostri appellitabant nebulones & alteri quidem asello factum est nomen, quod ob linguæ intẽperantiam, & pugnis sæpe contusus, & verberibus ac fustibus honeratus perinde ac asinus esset, Alteri verò Ventritio, quod patrimonium penè omne pitissando compotandoq; in ventrem congessisset. Prior igitur Ventricius inter conuitiandum, Quantum ò amice asel le, paulò enim antè & pugnis cæsus, & quernis etiam fustibus percussus fuerat, quantum, inquam æris inest tibi in crumena vectura ex hodierna. Ad quæ confestim Asellus: Quantum tibi in ventriculum influxit villi hesterna è vindemia. Eiusmodi siue dicta, siue ridicula & multum habent fellis, & maximè apposita sunt ad mouendum risum.

Inuitatus cum esset Franciscus Pudericus ad prandium, appositaq; esset ei altilis haud bene assa, conuersus ad eum qui pullam deartuabat, importunè, inquit accubuimus, neq; enim ad prandium vocati, sed ad cœnam fuimus.

Crassus in Parthos proficiscens ad Deiotarum in Bithyniam diuertit, nouam tunc vrbem ædificãtem. Itaq; in eum iocatus, quod esset senectute iam cõfectus, Duodecima, inquit, diei hora nouam vrbem aggrederis. Ad quæ Deiotarus, Nam & Crassus erat sexagenario maior, nec tu, respõdit, ô Crasse satis matutinus in Parthos proficisceris. Vterq; perquam familiariter ac iucundè, neq; vt lacesserent, verum vt iocarentur.

Ostentabat Pomponius, & quidem iactanter vulnus ore exceptũ in seditione Sulpitiana, quod ipse tamẽ passum se pro Cæsare pugnantem gloriabatur, Ibi Cæsar & salse admodum, & vrbanissimum in modum, Nunquã fugiens respexeris, inquit.

Aliquando loquaculus quidam Hieronymum obtũdebat Carbonem suauissimi ingenij virum, atque vbi multa ingentem verborum in cumulum congessisset petebat sibi ab eo ad singula responderi, illum vero ad

omnia siluisse, conuersumq; ad astantes dixisse. Magnū ranarum prouentum hic annus attulit. Ita quandoq; è silentio risus excitatur.

Maximus dux Annibal facetijs plurimum delectatus est, siue in dicendo siue in respondendo, cuius illud extat dictum in Glisconem maxime quidē salsum, Is enim quū Romani exercitus ad cannas miraretur multitudinem ægre id ferens Annibal, in illum sic iocatus est vt despicabilem etiam militibus suis faceret. Quanto inquiens mirabilius est ò Gisco in tanto hominum numero, qui tuo isto vocetur nomine esse neminem.

Efferbuerat Alphonsus minor in famulum stabularium, itaque vocato architriclino, iussit illi vinum decimum in diem adimi, Risus illicò excitatus est ab astantibus qui scirēt stabularium illum abstemium, & quod si Alphonso notum erat, ita tamen memoriam præpedierat.

Idem pro tribunali ius quum diceret, ac stultior ad eum quispiam accessisset, clamitans, clementiæ vti suæ memor esset in iure dicundo. Percunctatus tum ipse quodnam officium præstari à se posset facilitatis atque clementiæ, Tum ille Clementia, inquit, vxor mea cubito me hac nocte è lecto exposuit, & maledictis extra domum persequuta est. Ego apud te iniuriarum ago, difficile dictu est qui risus toto foro exorti fuerint.

Iocabundus quispiam vel tentabundus potius quum dixisset. Nam de somnijs coram Alphonso rege erat disceptatio, nocte præterita somniasse dono se ab rege accepisse sacculum aureis grauidum. Ibi tum Alphonsus an ignoras adhibendam somnijs fidem Christiano ab homine nullam esse.

Altera eius filia Aurelia, eaq; natu maior amisso Paulo marito, quum à patre ad alterum virum torumq; hortaretur secundum. Quin tu, inquit, pater non & nuptias secundas inis? Quia, respondit, nullam matri tuæ similē me reperturū confido. Id ipsum (respōdit) meme versat pater, quod mihi placiturum. Paulo æquè similem speremneminem.

Ber-

Bernardus Vitalis vir multi vſus,ac maximè compoſitis moribus interrogabatur à Frederico rege,quidnam eſſet cauſæ cur in veſcendo aloſa piſce oculari vteretur vitro. Reſpondit nequaquam ipſe miraris,ô bone rex, legentē me amicorum epiſtolas, quibus legendis nullũ immineat periculum,vitro vti,at demiraris vſum ocularium in edendo maximè ſpinoſo piſce,ſentibuſq; tam ſpiſſis atq; acutis,quibus ſingulis inſit vel ſtrangulatorius gladius.

Ferdinandus rex ægerrime ferebat vbi quos, aut binos aut ternos vidiſſet deambulantes,quiq; ſuas inuicē res,ſuaq; conſilia inter deambulandũ conferrent.Quod quum aliquando Pompa paraſitaſter deprehendiſſet. Vis, inquit ô rex aut magnam tibi moleſtiam adimere, aut non exiguum deambulationibus ex his compendiũ comparare,portorium his conſtitue,perinde vt è piſcationibus mercimoniorumq; inuectionibus perſoluendum,mihi crede,diues inde vectigal exegeris.

Lanij cuiuſdam Neapolitani Ditis nomine vxor de ſe ipſa liberalior erat quàm pudicā deceret, dicaculus quiſpiam quum eam per iocum diceret carnē minoris vendere. Quid mirum ſubdidit Franciſcus Puccius, quę ditem lanium habeat coniugem?

Narrare ſolebat auia mea Leonarda celebris memoriæ matrona Podagram aliquando ſub mulierculæ ſpeciem peregrinantem in ruſculum diuertiſſe, eamq; vbi vidiſſet caſulas inertiſſimè ædificatas, obſitas araneis, ſqualidas ſitu, atq; illuuie marcidas, conuerſam ad pediſſequas dixiſſe, A pagete à me hoc hoſpitium ſentum, informe,fœtidum,fumoſum,tetrum, A pagete diuerſorium in quo quid intueare præter marras, bidentes, raſtros,agreſtiumque ferramentorum diuerſa genera,aut boum, aſinarumque ſtercoramenta,ſiue ſuum excremēta ac capellarum. Itaque valere iubeo & villas & tegetes tam ſordentis, vrbs nobis & ocia ſunt quærenda, vrbs quæ otium foueat,otia quæ vrbana ſint, atq; delicioſa. Illatamque ad primum vrbis ingreſſum in fabri ferrarij

officinam dixisse. Nil mihi cum incude & malleo, in domum inde aliquanto ab ea remotiorem cuius ante vestibulum choreæ agitarentur atque conuiuia, ibique interrogasse cuiusnam ædes eæ essent, responsum illico otij eas esse, inhabitariq; ab hominibus desidiosis, somnoque & vino marcentibus, euestigio itaque domum ingressam, vultuq; quàm maximè hilari dixisse, hæc domus, hæc patria est, quum solicitudinem ac laborem ante fores videret satagētes iussisse procul eas abigi, & curas inde exulare cum primisque sobrietatem atq; abstinentiam, Hæc auia ipsa nobis pueris referebat & vultu, & voce, & membrorum assensu, qualis fabulantem deceret, ad puerilem animum ad bonos mores, ad negotia, laboresq; inuitandum.

Narrare quoque solita est Christiana mater, quum noctu adolescentulus lectitarem ad candelā, extitisse patremfamilias, cui gemini essent filij, morientemq; illū, tum suppellectilem multam illis reliquisse, tum olei nō mediocrem summā, quo nocturna vterentur ad opera, tenebrasque euigilandas. Alterum itaq; ex his in conuiuijs ac cœnis oleum consumsisse, exq; eo breui in inopiam redactum. Alterum vero dedisse operam literis oleoque nocturnis in lectionibus vsus quod esset peruenisse ex eo ad summas diuitias. Cœptum igitur cantari per vrbem de vtroq; huiuscemodi carmen. Hic oleum & se perdit dum ad candelas cœnitat, ille arcam & se ditat dum ad lucernas lectitat.

Fuit Antonius Panormita admodum vrbanus, Thomas vero Pontanus etiam salsus, hic quum sensisset procatiori è dicto infixum sibi dentem, Ego mihi, inquit, vulnus obligabo, dum te interim petulantiæ pœniteat tuæ. Ille verò quod os ipsum impurè loquitur id tutemet ne aures ipsæ audiant abturato. Vterq; & sapienter & pro dignitate, nec à faceti discessit officio.

Franciscus Elius non in studijs modo his nostris summa cum celebritate versatus, verum etiam ciuilibus in actio-

actionibus ac negotijs, quum videret sacerdotem excõptum admodum, atq; expansiore capillo, soleisque incedentem editioribus, tunicis quoq; laxioribus, atque in plurimos sinus complicatis, pallioq; inundante, conuersus ipse ad eos qui secum constiterant. An, inquit, ignoratis quàm exculti essent pensiles Semiramidis reginæ hortuli?

Idem quum vidisset Gallos milites calciamentis vti pedum taurinorum in vestigiorum speciem, vbi, inquit horum sunt taurorum cornua.

Petrus Summontius, vir præter summam literarum cognitionem summè etiam iucundus, & comis, vocatus ad cœnam à sacerdote quum vinarius promptor nusquam compararet. Quid moramur, inquit quin cantemus illi mortualia?

Idem quum intelligeret ciues non paucos occupatos in laudandis pomerijs Neapolitanis quæ à Federico rege promouebantur. In medijs laudationibus interstrepitans. Væ, inquit pomarijs. Quod quidem sequutum est. Plerıq́ enim horti vastitatem acceperunt propter muros fossasq́; circunductas.

Actius Syncerus rari vir ingenij magnæq́; nobilitatis, & ipse quoq; admodum facetus, cum in conspectu Federici regis esset inter physicos quæstio, quid præcipuè conferret oculorum perspicuitati, alijsque fœniculi afflatum dicerent, alij vitri vsum, alijq; item aliud. At ego, inquit, inuidiam aio, Obstupuerunt hoc dicto adeo medici vt ab auditoribus derisui haberentur, Tum ipse an non inuidia maiora ac pleniora omnia videri facit. Quid autem oculis magis præsentaneum quam vt vis ipsa aspiciendi maior reddatur, atque vegetior, protulit que statim Ouidianos illos versus.

*Fertilior seges est alienis semper in agris,*
*Vicinumq́; pecus grandius vber habet.*

Idem interrogatus ab amico quid de Marini Mineruæ negotijs haberet certi, respondit quod apud forum cum vxore litigaret, Quumq; ille, quid malum ex te audio,

dio, cum vxore hic vt litiget, qui eam in Brutijs multos ante annos penè viduam reliquerit? Tum Actius rursũ. Quænam (malum) ignorantia est tua, qui nescias Marinum repudiata priore, nuper duxisse podagram, Mouit repentè qui adessent omnium risum, quũ pro lecto ad forum alluserit, vbi perpetua est litium agitatio, pro vxore ad podagram, quæ illi vsq; in cubili adesset & comes & socia, nec quiescere eum pateretur.

Petus fundanus quem audeo dicere Musarum in hortulis adolescere quum audiret familiarem hominem de pedum dolore heiulatus mittere, nec posse illos cõpescere, accurrit ad clamores, Ecquid inquiens alij de itinere querũtur assiduo, laboribusq; quàm plurimis, de perpetua negotiorum inquietudine alij, tu (pro deum atq; hominum fidem) de quiete quereris atque otio, quod si tibi molestum est exurge age, ac peregre proficiscere, quid quæris? de lepore dolor in risum conuersus est.

Celebrabantur à Ferdinando rege Hippolytę nurus atq; Alphonsi filij nuptiæ apparatu splẽdidissimo. Erat dies decursionis hastatæ, flagrabantq; sub sole cuncta. Conuenerant autem mortales omnis generis ad spectãdum, cumq; plurimi ludorum essent laudatores, vel pleriq; omnes admiratores potius, in media laudantiũ frequentia & plausu exclamauit Theutonicus, O valeant ludi in quibus nemo bibit, Nesciam an alias tãta in multitudine dictum vllum tanto cum risu acceptum fuerit præsertim ex ore Germanici hominis.

Philoxæmenes Achæorum dux præcipuè inter Græcos clarus erat diuersurus ad hospitium veteris amici. Quo cognito iussit hospes apparari quæ necessaria essent alia, ab vxore, dum interim ipse obsonium appararet, Hæc inter Philoxæmen solus (vt ipsa res ferebat) ad hospitium properat, quem venientem hospitandum vt solum, vt deformẽ, vt qui nihil ornatus haberet eximij, arbitratur mulier ex administris esse aliquem, qui herũ præueniret, cum esset de aduentu Philoxæmenis mirificè solicita, etiam blandienter rogauit eum se vti adiuuaret ad dominum comiter accipiendum. Tum Philoxæmen

men vt erat perhumanus cognito mulieris errore, confestim securi accepta & cuneo cæpit ligna findere coquendam ad cęnam, hospes interim domum ingressus, quum animaduerteret Philoxæmenem findendis lignis malleo incumbere. Pro Iupiter, inquit, quid hoc Philoxæmē. Pro pudor deorum atq; hominum, quid agis dux maxime? vultumq; de dolore simul ac pudore demisit. Ad ea Philoxæmen maxima cū iucunditate. Pro deformitate, inquit, oris totius corporis pœnas luo, Voluit ipsemet præbere de se & risum hospiti, & sibiipsi ridiculus esse. Res sanè festiuo ac faceto homine digna, quęque quo rarior, eo etiam fuerit lepidior.

Eundem in Philoxæmenem quum iocaretur Titus Flaminius deformitati corporis eius illudens, diceretq; vultu quā maximè iocoso & hilari. Quid hoc Philoxæmene, quū pulchras manus, crura etiam perquā pulchra habeas, quod ventrem ipse non habeas. Ad ea Philoxæmen eadem cum hilaritate & vultu. Quid ò Romanorū imperator eximie, quum egregios pedites, strenuos maximè equites habeas, quod pecuniam minime habeas? Nam & Flaminius persæpe inopia rei pecuniariæ laborabat, quemadmodum Philoxæmenes exiguitate ventris, ac medij corporis gracilitate.

Non probabat Cn. Pompeius in Thusculano ædificatam à Lucullo villam, quod ea æstiuæ quidem inhabitationi accōmodatissima quum esset, hybernę tamen parum omnino prospectum fuisset, ad quæ iucūdissimè magnaq; cum festiuitate Lucullus: Num tibi, inquit, Pompei, quàm grues, quàm ciconiæ minus habere cordis videor, qui nesciam pro temporibus habitationem mutare.

Et illud quoq; ab eodem concinniter, ac iocosè, quū enim dispensator rei familiaris ab eo accusaretur, quod parciorem parasset cœnam, & ille respondisset, quod solus quidem cœnaturus esses, non putabam lautiore apparatu opus esse. Ibi ipse vultu quàm maximè festiuo. An ignorabas apud Lucullum ipsum cœnaturum esse Lucullum.

Emerat Alciabiades canem raræ magnitudinis non exiguo pretio, nec multis pòst diebus & caudam illi mutilari, & per vrbem liberum abire iussit, hoc viso, quū omnes rem vt ineptam mirarentur ac stolidam, alij deridere Alcibiadem, qui id fecisset, alij etiam vt stultum eum, animiq; parum compositi accusare, esse è familiaribus atq; amicis, qui obiurgarent. Quo cognito Alcibiades in risum versus, At mihi, inquit hoc facto perbelle, perq; oportunè consultum est. Cum enim scirem Atheniensem populum assiduo de me rebusq; obloqui de meis, ac maledicere, commento hoc, dū ineptā hanc materiam ridiculamque ei maledicendi trado, impudentioribus à maledictis, quibus me quotidie discerpunt, & illum auerti, & me etiam liberaui.

Publius Syrus cuius multæ extant præclaræq; sentētiæ, interrogatus quid podager quispiam ad solem constitutus ageret, perquam bellè respondit, ac perargutè, aquam calefacit. Idem quoque interrogatus quodnam ipse molestum esse otium duceret, pedum podagricorum respondit.

Gonella siue fabulator facetissimus, siue ioculator maxime comis, interrogatus aliquando à Nicolao Marchione Ferrariensi, quarum nam siue artium, siue facultatum in vrbe Ferraria maior esset numerus, confestim. Quis id dubitet medicorum maiorem esse numerum. Tum Nicolaus, ô inanem hominem, & vrbis huius, artium, artificumq; ignorantissimum, quippe quum vix duos, tresué ad summum Ferraria medicos habeat, siue ciues, siue externos. Ad ea Gonella. O principem maioribus rebus deditum qui ob eas vrbem suam, suosq; ciues ignoret penitissimè:

Tum Nicolaus. Quid si hoc falsum, quod ipse asseris? Tū Gonella. Quid si ego verus? Ibi siue pœna, siue mulcta ex compacto ei qui vanus inuentus esset, constituta.

Igitur insequenti die sub auroram Gonella pro templi adstans foribus, obuoluto pellibus ore ac gutture, Interrogantibus qui in templum ingrediebantur, quonam morbo laboraret, respondebat singulis, dentium dolore

dolore, ſingulis etiam remedium aliquod dolori præbentibus, quorum ipſe & nomina conſcribebat, & remedia. Atq; hac ratione vrbem perreptans, perſcrutandoque remedia, ſingulos qui obuiam fierent percunctatus, ſupra trecentos homines medicinam dolori tradẽtes notauit in tabula, Quo facto regiam ingreſſus, qua hora Nicolaus prandebat, ſeſe obtulit inuolutis & ore & ceruicibus, ingentem dolorem ſimulans. Nicolaus aſtu viri parum cognito, quum intelligeret illum haud bene valere à dentibus, Hoc ſtatim, inquit, remedium Gonella adhibe, Laudabis Nicolaum, è veſtigio enim ſanus eris. His Gonella acceptis, domum regreſſus tabulam inſtruit, remedia illa, remediorumq; authores continentem, ac primo loco Marchionem adſcribit, inde alios atq; alios delectu adhibito. Tertio die quaſi ſanus atq; à dolore liber nudata gula ac ceruicibus principem adit, docet quæ conquiſita & comprobata fuerint, Mulctam ab illo expoſtulat, atq; in ius illum ſeſe adacturum minatur, atq; his dictis tabulam Marchioni legendam exponit, Ibi Marchio primum inter medicos locum ſeſe obtinere conſpicatus, inde alios atq; alios primates viros, à riſu continere nequiens. ſeſeq; victum confeſſus pecunia illi vt ſolueretur imperauit.

Fuit è ſenatoribus Petri Aragoniæ regis Queraldus quidam tum ore fœdo, tum reliquo corpore parum cõpoſito, tamen qui ſumma comitate eſſet præditus, maximiſque in negotijs exercitatus, is miſſus aliquando ad regem Africæ, fuit ab illo in cœnam adhibitus, quã noſtrum in morem rex ipſe apparari iuſſit editioribus in ſcamnis, Afri enim in ſolo ſuper tapetis diſcumbunt. Cœnitauerunt complures ſimul, Rex qui & ipſe comis eſſet, & iocandi ſtudioſus iuſſit clàm oſſa colligi, eaq; ad pedes Queraldi illo neſciente conijci, Finita igitur cœna, quum aulæ magiſtri iuſſu menſæ eſſent ſublatæ, apparetque oſſium cumulus, tum quiſpiam à rege ſubmiſſus. Quid hic, inquit, oſſium video, lupus profecto hic cœnitauit, non homo. Tum

Que-

Queraldus ad regem conuersus: Mihi, inquit ò rex cum lupis fuit negotium, quum luporum est carnem & ossa simul arrodere, quod comessatores isti tui fecêre. Ego vero vt homo, vt conuiua comis carnes absumpsi, ossa in humum abieci in canum pastum atq; oblectamentum.

Idem Queraldus quo regem delectaret adhibitus ab illo in cubiculum, in quo constrata essent omnia serico, atq; exasperatis acu purpuris, nullusq; relictus esset loc⁹ in quo sine nota posset inspui fieretq; illi proximus regijs è famulis quispiã ore fœdo atq; impuro, è vestigio excreabũdus os illius sputo inspurcauit, qui sublata statim voce regem appellauit, hoc cognito Queraldus, ego inquit iucundissime rex apparatus tui nitorem admiratus ne aliqua illum parte contaminarem, nullum cum alium præter illius os immundum relictum locum atque spurcosum cernerem in illum excreatum, profudi, quasi à te ob id seruatum, quo nitor ibi tuus saluus esset, Actio quidẽ illa sordida tunc fuit & contumeliosa, at relatio perbella.

In eadem legatione quidam è regis aula factus ei obuiam, in deformitatem eius illatus. Quid, inquit Petrus rex portenti ad nos misit. Ad ea ipse confestim: Sciebat inquit, Petrus ad quem me mitteret. Nam & rex ille deformior erat.

Franciscus Pudericus grammaticum cum commone faceret, cuperetq́ illum minus excandescere erga discipulos, temperantiusq; illos verberare, vocatum illum ad se huiusmodi aggressus est dictis. Quid hoc amabo, quod aliorum quidem grammaticorum discipuli suis de institutoribus queri consueuere, ferula quod nimis sæuiam, te vero ipsum incusant, quod nec irasci scias, nec scuticula ferire. Dissimulanter dum loquitur, grammatico ruborem induxit.

Mater mea Christiana de me admodum puero cùm esset solicita, sciretq; me assiduum agere apud grammaticum, primasq; ferre inter discipulos partes, ne laudare

coram vellet, alibi his adoriebatur. Quid ô fili de te audio? quod hodie ſuperatus è ludo diſceſſeris, in themate latinis verbis explicando. Alibi, at ego mellitum tibi edulium paraueram, quod ſperarem te victorem litteraria è concertatione rediturum, redis victus? Quod igitur tibi paraueram, ad eum ſuum qui te vicit miſſura. His igitur atq; alijs mater gaudium diſſimulabat, dum laudare puerum me coram omnino defugit, Socraticamque per diſſimulationem hortabatur ad perdiſcēdas literas. Quinetiam prudens hæc diſſimulatio plurimum ſecum fert momenti, & in laudando, & in vituperando.

Annibal eodem irriſionis genere luſit Antiochum regem. Quum enim rex ſuas illi oſtentaret copias, & numero peringentes, & armis egregie inſtructas, percunctanti ſatis ne aduerſus Romanos eſſent, reſpondit ſe ſatis eſſe arbitrari, tametſi Romani admodum auari eſſent. Vide, obſecro quam Socraticæ illius ignauiā riſerit.

Iulia Auguſti filia, Marci Agrippæ vxor, hac etiā via paternam à ſe auertit reprehenſionem. Nam cum anim aduertiſſet patrem Auguſtum permoleſte tuliſſe, quadam quod in pompa excultiore ornatu luxuque indulgentiore proceſſiſſet, dieque inſequenti matronali ſolum more culta patri ſe oſtendiſſet, ab illoque mirifice eſſet laudata quod in eam formam ornata incederet. Tum illa vt erat ad diſſimulandum inſtructa verbis his heſternum luxum deprecata eſt, luxuſque increpationē à ſe auertit inquiens, heri me viri oculis exornaui, hodie patris.

Petrus compater, cuius mors ſenectuti meæ ingēs nuper vulnus inflixit, vir vtique ad omne genus facetiarū maxime appoſitus, quum videret compluribus cum ſatellitibus incedentem militarem hominem, eundemq; purpuratum. Nimirum hic, inquit, hoc cum ornatu & clientela ad aram proficiſcitur à dijs veniam impetraturus, quæq; per vim rapinamq; abſtulit, templo ariſque oblaturus.

Extat Catonis dictum admodum facetum, cui renunciatum quum esset Albidij ciuis Romani, qui sua bona per luxum atque ingluuiem consumpsisset, domũ quæ vna illi esset reliqua, incendio conflagrasse, vt belle, inquit, Albidius proteruiam fecit, alludens ad sacrificium in quo mos erat, quicquid reliquiarum superesset ex epulis, in ignem id conijci.

Actius syncerus quum irridere verbosum hominem honestè vellet, conuersus ad astantes, homo hic, inquit, à muto parum abest.

Quid quod hæc ipsa dissimulantia maximam quandoque vim habet laudationis. Vt cum familiaris noster Suardinus Suardus in conuentu litteratissimorum hominum commendare industriam vellet, assiduitatemq; adolescentis cuiuspiam in literis, hic, inquit adolescens à Musis auersus est adeò vt etiam noctes in choreis absumat ac palestris.

Contra cum vituperare hominem maximè sordidũ vellet, homo hic, inquit, domi habet nitelarum omniũ magistrum, sordiumq; censorem.

Adolescens quidam vocatus ad testimonium dicendum in causa furto subreptæ lanæ, sumpta occasione à luna, quæ biduo ante deliquium passa esset, dissimulauit se audisse de lana, itaq; de luna respondit. Namq; interrogatus à iudicibus de lanæ surreptione sublatis in cœlum oculis. Per, inquit, cœlum ipsum iuro iudices, perq; diei potentissimum numen qui omnia nutu suo temperat, nunquam me dedisse operam astrologiæ, neque vnquam me audisse qua ratione lunæ surreptio fieret. Addidit & his fatua quædam dicta. Quibus versi in risum iudices, arbitratique rudioris illum ingenij esse, ac prosequuti eum cachinnis, abire è conspectu perinde ac fatuum permiserunt. Ille igitur ratione hac à dicendo testimonio liber euasit.

CEN-

*Quædam à Diogene & alijs facetè responsa, Barlando castigatore, & in quibusdam interprete.*

MVrium grege ad Diogenis mensam adrepente, ecce, inquit suos habet & Diogenes parasitos.

Quum quispiam balneum egredientem rogasset an multi lauarent homines, negauit, rursus interroganti an turba multa, confessus est.

Die quodam Plato in sua academia quum reddere proprium hominis conaretur, bipedem eum, & implumem esse diffiniuit. Hoc fortè exaudiens Diogenes Cynicus, gallinaceum cui exemerat plumas in auditorium & scholas illius proijciens: Hic est, inquit, homo Platonis.

Interroganti quanam hora diei prandendum esset, diuiti, inquit, vbi velit, pauperi quum possit.

Apud Megarenses quum vidisset oues pellibus ac densiore lana contectas, liberos autem illorum nudos incedere. Præstat, inquit Megarensis arietem esse quam filium.

A quodam pharmacopola rogatus an deos esse crederet. Cur, inquit, non credam, quum te dijs inimicum esse existimem.

Magistratus quendam ad supplicium educebat, qui ærarium compilasset, hoc conspecto Diogenes: Magni, inquit fures paruum ducunt.

Huic cœnanti quidam è populo vt cani ossa proijciebant, At ipse propius accedẽs, illos vt canis comminxit.

Videns quodam die noti cuiuspiam, & luxu perditi hominis domum inscriptam mercede. Sciebam, inquit, propediem vini crapula obsessam facilè dominum euomituram.

Sordidulum ingressus balneum. Qui hic se lauant vbi, inquit, lauantur?

Citharœdo qui quoties ludere apparabat deserebatur

tur ab auditorio. Salue, inquit, galle: Rogat⁹ quid ita salutasset, quoniam omnes ait excitas canens.

Interrogatus quemadmodum Dionysius amicos haberet, vt vascula, inquit, plenos euacuat, abijcit vacuos.

Quidam rogabat vnde palleret aurum, Diogenes respondit, quia nusquam non haberet insidiatores.

Idem quum vidisset ex arbore quapiam pendere fœminas aliquot, Vtinam, inquit, huiusmodi fructum & cæteræ tulissent arbores.

Diogenem neq; seruum, neq; ancillam habentem rogauit quidā hoc modo, Quis te ò Diogenes ad sepulchrū efferet? Ille respondit, qui domo indiget.

Quum dixisset quispiā ò Diogenes quidnā vis donari tibi vt colaphum accipias. Da, inquit, galeam.

Interrogatus quo maximè vino delectaretur, alieno, inquit.

Myndum profectus quum vidisset portas ingentes, vrbem vero exiguam. O viri, inquit, Myndi portas occludite, ne quando vrbs vestra egrediatur.

Nonnullis probro dantibus, quod in foro comederet, In foro, inquit, esurio.

A ludis & spectaculis venientem quum rogaret notus quidam an multa illuc turba confluxisset respondēs turba, inquit multa, sed homines pauci.

Prandebat in foro Diogenes: Proinde ab his qui astabāt canis appellatus. Vos, inquit, canes estis, qui me prā-dentem circunstatis.

Scorti cuiuspiam filio lapidem proijcienti in concionem. Caue, inquit, ne patrem ferias.

Quum ridere vellet imperitum sagittandi hominem scopo se admouebat, rogatus cur ita faceret, nemo feriat, inquit.

Idem principes indoctos oues esse aureo vellere dicebat

Idem cōscenso suggestu quū subinde clamasset velut concionaturus ἀκούσατε ἄνθρωποι, id est, audite homines. Iamq; multi vndiq; concurrentes iuberēt eum quæ vellet proloqui. Ego, inquit, homines conuocaui, in vobis nihil hominis video.

Erat Dionyſius tyrannus Syracuſis ita ob intolerandam ſæuitiam inuiſus, vt dies noctesq́; exitium illi homines imprecarentur. Vna eſt inuenta mulier decrepita, quæ quotidie ſub ortum ſolis ingreſſa templum incolumitatem, longamq́; vitam tyranno precaretur. Audita & cognita re Dionyſius quum ſciret tantam non deberi ſuis beneuolentiam factis mulierculam accerſit, & quid ita pro ſe deos ac cœlum omne fatigaret percunctatus eſt, tum illa certo, inquit conſilio hoc feci ad hũc diem. Puella enim quum grauem haberent tyrannum Syracuſani perire illum ac mori cupiebam, cui interempto ſucceſſit haud multo melior, eum quoque interfici putabam vtiliſſimum fore. Nunc tertium te prioribus longè ſæuiorem habere cepimus dominum itaq; metuens ne tibi ſublato deterior ſufficiatur nunquam orare deſino, vt quàm diutiſſime viuas. Tam facetè audacem fæminam ſupplicio admouere tyrannus erubuit.

*Tales Philoſophus.*

Thales Mileſius, qui vnus erat è ſeptem, die quodam foras egreſſus ad multam veſperam, vt liquido ac ſereno cœlo inſpiceret, obſeruaretq́, ſiderum motus, fortè incidit in ſubiectum ædibus puteum, iacentem philoſophum anicula cuius ipſe domi vtebatur miniſterio deridens. Quo pacto, inquit, ô Thales ex ſiderum obſeruatione, credebas te proſpecturum quæ futura ſunt, qui quod ante pedes erat non videris.

*Bias.*

Bias Prienenſis nauigauit ſemel, & cum eo impuriſſimi ſceleratiſſimiq́; homines, hic ſubito coorta eſt tempeſtas grauiſſima, horrendo cum murmure circumfremebant venti, nauis vtrumq; latus tundebant minaces procellæ, præſentemq; intentabant omnia mortem. Quibus malis territi illi, quum ſublatis manibus deos orarent, Bias tacete, inquit ne dij infenſi impijs vos hinc abnauigare ſentiant.

Eiuſdem os quum potentia inflatus Dionyſius ſputo

 reſper-

resperſiſſet, admonuerunt quidam non eſſe tam inſignem ferendã contumeliam, his Ariſtippus: ſi piſcator, inquit vt Gobionem capiat vndis aſpergi ſe patitur, cur non ego conſpui me patiar, vt Balenam accipiam.

Iactanti ſe cuidam de natãdi peritia. Rideo te, inquit hominum homo ſtultiſſime, qui iactites ea quæ ranis & delphinis tecum ſunt communia, & ita communia, vt hac re longè ſuperent illi.

In conuiuio quidam gloriabatur ſe potus omnis capaciſſimum eſſe, neq; tamẽ ebrium fieri. Ad hunc Ariſtippus. Egregiam verò laudem reportas ſi id facis quod & mulus te aliquanto melius facit.

Archeſilaus quũ Hipponicum geometram aliquamdiu non arrectis modo auribus, ſed etiam (qui mos fuit) aperto ſemper ore audiuiſſet, ioco dicere ſolitus eſt, geometriam hianti ſibi in os inuolaſſe.

*Dionyſius.*

Dionyſio illi Syracuſano voluptati fuit quæ patraſſet ſacrilegia dictis proſequi iocularibus. Quũ enim Proſerpinæ templum argenteis atq; aureis ſpoliaſſet ornamentis, & mox inter nauigandum ventis vteretur omnino ſecundis, ridens videte, inquit amici quam bonam ſacrilegis tribuant dij immortales nauigationem.

Ad eundem modum detracta veſte aurea Ioui Olympio, pallium ei laneum iniecit, atq; rogatus, quid ita faceret. Quoniam, inquit æſtate grauis eſt aurea veſtis, hyeme frigida, laneum verò indumentum vtriq; tempori multo aptius.

Idem quum Epidauri quæ vrbs eſt Achaiæ Aeſculapio barbam auream demi iuſſiſſet, affirmauit non conuenire vt huius pater Apollo imberbis, ipſe vero, qui filius eſſet barbatus conſpiceretur.

Valerius P. Clodio ſibi irato ac vehementer infenſo, Quid, inquit durius minitaris, quàm vt eam Dyrrhachiũ & reuertar.

Q. Equintius prætor ab adminiſtrata prouincia domum reuerſus in morbum incidit, cumq; forte aſſidẽti cui-

cuipiam diceret gelidas ſibi eſse manus,certe,inquit ille nuper calidas è prouincia retuliſti.

Diogeni propoſuerat quiſpiam ſophiſta dialecticus hunc in modum. Quod ego ſum,tu non es, annuente Diogene, ille in ſophiſmate procedeus, homo, inquit, ego ſum,quo etiam dato, concluſit tandem, igitur homo tu non es, hic Diogenes indignatus, hoc poſtremum, inquit, ſi verum eſse vis, à me incipias oportet.

Initio belli ciuilis quum in caſtra Pompei amici ſui veniſsent,Cicero à quibuſdam reprehenſus quod ſerius adeſset.Minimè,inquit:Nihil enim adhuc paratum video.

Gallum quendam à Cæſare Iulio ad ſe transfugientẽ Pompeius ciuitate donauerat. Exclamauit Cicero, hominem bellum,Gallo ciuitatem promittit alienam,nobis noſtram reddere non poteſt.

In C. Domitium Enobarbum hominem durum,&arrogantem ſic luſiſse traditur L. Craſsus orator. Quid mirum ſi barbam habet æneam Dominus, quum & os ferreum, & cor habeat plumbeum.

*Dictum in Xenocratis continentiam.*

Meretriculæ quoq; dictum valde facetum eſt. Quum enim ab adoleſcentibus rideretur,quod forma tam eleganti mulier Xenocratis benè etiam poti animum illecebris pellicere non potuiſset, pactumq; victoriæ precium flagitarent illi,de homine, inquit, vobiſcum, non de ſtatua pignus poſui.

*Demoſthenis dictum.*

Fur quiſpiam Demoſthenis lucubrationes, eiuſque nocturnas ſcriptiones paulo petulantius irridebat. Cui ille,ſcio,inquit me tibi moleſtum eſſe,qui noctu lucernam accendo.

*Dicta in Veſpaſianum Imperatorem.*

Amplioribus officijs præficere ex induſtria ſolebat Imperator Veſpaſianus procuratorum furaciſſimum quemq; vt mox ditiores ac benè nummatos condemnaret. Vnde vulgus arrepta iocandi anſa, eiuſmodi homi-

nibus eum vti pro ſpongijs dicebat, quod quaſi ſiccos humectaret & exprimeret humentes.

Senex quiſpiam bubulcus poſt negatam ſibi ab eo iã imperij gubernaculis admoto gratuitam & ſine precio petitam libertatem proclamaſſe traditur, vulpem pilũ mutare, non mores.

Idem fuit vultu quaſi cum niſu aluũ aſtrictiorem exonerantis. Vnde quidã ex eo genere hominũ qui faceti ſunt & dicaculi, non infacetè. Siquidẽ petenti Veſpaſiano vt in ſe quoque more vrbanorum, qui nec principibus quidẽ viris parcere ſolent aliquid diceret. Dicam, inquit, quum ventrem exonerare deſieris.

*Domitiani dicta duo.*

Domitianus vtebatur elegentia quadam prædito ſermone, dictis interdum etiam notabilibus. Vellem, inquit, tam formoſus eſſe quàm Metius ſibi videtur.

Et cuiuſdam crines partim rutilos, partim caneſcentes, perfuſam niuem mulſo dixit.

*Socratis dictum.*

Patientiſſimus Socrates ille poſt multa ab vxore Xantippe iaculata in ſe conuitia maledictaq; lotio quoq; & vrina perfuſus, nonne, inquit dicebam pluituram quandoque Xantippen.

*Timothei Athenienſium principis dictum.*

Quum Timotheo Athenienſium imperatori multa feliciter obtingerent, in eius inuidiam pinxiſſe quidam traduntur fortunam ad rete cogentem vrbes & oppida iuxta dormiente Thimotheo. quos ille ſic eludens, Si, inquit huiuſmodi vrbes capio dormiens, quid me facturũ arbitramini ſi vigilauero?

*Dictum Laconis cuiuſdam.*

In prouerbio eſt, Ignis, mare, mulier tria mala, De muliere hoc nimiſquam verum eſſe ſignificans Lacon quidã quum vxorẽ duxiſſet perpuſillam, nõ infeſtiuiter dicebat è malis quod minimum eſſet eligendum.

*In Demoſthenem.*

Demoſthenes à legatis Mileſiorũ pecunia corruptus,

vt in

vt in curia poſtridie contra horum poſtulata nihil diceret prodijt in concionem fingens ſe laborare anginæ morbo, atq; ideo loqui non poſſe, quam rem vt patrib⁹ ac populo facilius perſuaderet multa lana collum circũuoluerat, Tum è turba & fece illa populari quiſpiã cui ſimulatio morbi ſubolebat exclamaſſe fertur eum non Anginam ſed argentanginam pati.

*De milite quodam Philippi.*

Iuuenis quidam ſub rege Philippo merebat, Is admonitus vt miſſionem peteret, ſeſeq; relicta militia ad terrã natalem, vxorem dulceſq; natos reciperet, Non faciam inquit, Nam equus me portat, rex me alit, ſignificans ſe commodiſſimè viuere, vt qui & pedibus ambularet alienis & aliena paſceretur pecunia.

Forte fortuna æquales duo in qua vrbe manebant ingreſſi vicum vbi lautiores cibi mulierculis vendebãtur, nullis præſentibus viris, vnam rogarunt, haberetne venales boum linguas, reſpondit illa ſe habere, produxit ac vẽdidit, illi abeuntes clamare vociferariq; occipiunt eſſe ſtultiſſimum genus feminarum eiuſmodi, Rogati mox ab iratis mulieribus ijſdem quid ita de ſe ſentirent, vrbaniſſimè reſponderunt his verbis, O fœminæ, quis non dicat vos ſtultiſſimas, vulgo enim & plebeculæ vẽditis bonas linguas, vobis ſeruatis peſſimas.

# SCHOLIA ADRIANI BARLANDI IN PRIMVM LIBRVM Iocorum.

*An in ca. poſt Mutinenſem.*

Poſt Mutinenſem fugam, quum iam Antonius fugiſſet à Mutina caſtris exutus ab Auguſto, Hic fuit An. triumuir cauſa & fax ciuilium motuum poſt Iulij cædem.

Raptu crocodilorum.) De crocodilis apud Plinium eſt libro octauo naturalis hiſtoriæ.

Anno. in ca. *Publius.*

*Publius Muti.* Mutiorũ domus clara fuit apud Romanos.

Ann. in ca. *Apud L. Manlium.*

*Apud L. Manlium.* Pontanus in suis libris de sermone hoc ita narrat Erant L. Manlio pictori deformiores liberi, quod quum animaduertisset qui apud eũ cœnitabat Seruilius Geminius, dixissetq; quid hoc Manli, quod nequaquam similem in modum & pingis, & fingis? ille subdidit illico, quid mirum, qui in tenebris fingam, pingam in luce?

Adno. in ca. *Demosthenes excitatus.*

*Demosthe. excitatus.* Historia est apud Gellium primo commentario noctium atticarum.

*Græcia mirabatur.* Sic Gellius, Conuentusq; ad eum ditiorum hominum ex omni Græcia celebres erant.

Anno in ca. *M. Voltacilius.*

*Flamines.* De flamine diali fenestellam legito.

*Consules.* Initio ciuitatis Romanæ potestatem omnem reges habuere. Exactis deinde regibus duo constituti sunt consules, ab eo dicti quod Reip. consulerent.

Anno in ca. *M. Cicero.*

*Quum lentulum generum.* Pontanus hoc modo, Quæritur autem ex alijs risus, vt cũ Cicero genero suo: qui exigua esset statura dixit, Quis obsecro generum meum ad gladium alligauit?

Adno. in ca. *Nec Q. frater.*

*Mordacitatem.* Multa fuit Ciceronis mordacitas Vnde Fabi⁹. Noster vero, inq̃t nõ solum extra iudicia sed etiã in ipsis orationibus habitus est nimis risus affectator.

*Quum enim in ea pro.* Pontanus hoc extulit his verbis. Item de Q. fratre. qui & ipse breui esset statu corporis, quum vidisset imaginem eius maioribus lineamentis ad pectus vsq; depictam. Profecto, inquit frater meus dimidius maior est quàm totus.

Adno. in ca. *Faust.*

*Faustus Syllæ fi.* Apud Iouianum Pontanum sic legitur Faustus Lucij Syllæ filius compertũ quũ haberet sororẽ suam eodem tẽpore adulteris duob⁹ dare operã, Fuluio vni falloni filio, alteri Põpeio cui cognomẽ esset Maculæ, eaq; accusaretur à familiaribus, quod vno tempore

duos

duos haberet Maculam & fullonem amatores, tum ipse quasi vix id crederet, Miror, inquit Sororem meam habere maculam, quum eadem fullonem habeat.

Anno in ca. *Augustus quoq;.*

*Aiax sinus:* Hac de re Suetonius Tragœdiam, inquit magno impetu exorsus non succedente stilo aboleuit, quærentibusq; amicis quidnam Aiax ageret, respondit Aiacem suum in spōgiam incubuisse. Est autem allusio ad eius exitum Aiacis qui ad Troiam ferro incubuit.

Anno in ca. *Idem cum ei.*

*Putas inquit, assem.* Significauit his verbis offensum se esse nimia timiditate libellum offerentis, Suetonius in vita Augusti loquens de ciuilibus eius gestis, Promiscuis inquit salutationibus admittebat & plebem, tāta comitate adeuntium desideria excipiens vt quendam ioco corripuerit, quod sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem.

*Elephanto.* A populo nummi dabantur elephantis Auctor Plinius in historia mundi.

Apud Quintilianum hunc in modum est Cuius est generis id Augusti, qui militi bellum timidè porrigenti, noli, inquit dubitare, tanquam assem elephanto des.

Anno in ca. *Vrbanitas eiusdem.*

*Dic me tibi displicuisse.* Quintilianus sic habet, Neq; enim eodem modo dixit Augustus præfecto, quem ignominia mittebat subinde interponenti precibus. Quid respondebo patri meo? Dic me tibi displicuisse.

Ann. in ca. *Galbæ cui.*

*Ego te monere.* Ioci sensus ad gibbum qui grandis illi excreuerat mihi referendus videtur.

Adno. in ca. *Quum audisset.*

*Herodes rex.* Tres fuisse constat Herodes. Primi Herodis iussu vis illa puerorum ingens necata est.

Anno. in ca. *Exceptus à quodam.*

*Exceptus à quodam* Erasmus ita in Chiliadibus, Vndè & ille iocus est Octauij Cæsaris ad Mœcenatem à quo

 fuerat

fuerat conuiuio perparco frugaliq; acceptus. Nesciebam me tibi tam familiarem.

Anno in ca. *Vatinio prima.*

*Confusus ille podagra.* Hic iocus Fabio sic effertur. Eleuandi genus est etiam causarum relatio, qua Cicero est vsus in Vatinium, qui pedibus æger, quum vellet videri commodioris valetudinis factus & diceret se iam bina milia passuum ambulare, dies enim, inquit, longiores sunt.

Anno in ca. *Curtius eques.*

*Per fenestram misit.* Cæsar hoc sensu intellexerat an amico liceret partem aut totam auem dono mittere.

Anno in ca. *Veteranus.*

*Actiaco bello.* quod gessit Augustus cum Antonio apud Actium Epiri oppidum, De hoc bello Suetonius, Nec multò pòst nauali prœlio apud Actium vicit in serum dimicatione protracta, vt in naui victor pernoctauerit.

Anno in ca. *Iulia maturè.*

*Iulia maturè.* Hæc Iulia Cæsari Augusto nata est ex Scribonia coniuge, Suetonius. Ex Scribonia Iuliam, Ex Liuia nihil liberorum tulit.

Adno. in ca. *Quum grauem amicum.*

*Paternæ frugalitatis.* De frugalitate Augusti. Suetonius, Instrumenti eius & suppellectilis, inquit, parsimonia apparet etiam nunc residuis lectis atq; mensis, quarum pleraq; vix priuatæ elegantiæ sint, Nec toro quidem cubuisse aiunt nisi humili, & modicè instrato, Veste non temerè alia quàm domestica vsus est.

Anno in ca. *Lapidatus.*

*Ediles.* Inter cætera curam habebant ludorum.

*In harenam.* Dixit in harenam, propterea quod locus ad ea exhibenda spectacula paratus harena spargeretur.

*Nux pinea.* Quidam sunt autores secundum inter nuces locum pineam obtinere, Lege Macrobium de nucum generibus.

Adno. in ca. *Mercatori.*

Quemadmodum nauem cum so. diuideret enim lucrum quod ex naui accederet.

*Cum socio.* Societatem coire solemus, aut totorum bonorum, aut vnius alicuius negociationis.

Anno in ca. *in Galbam.*

*Ingenium Gal. male habitat.* Gratior enim est pulchro veniens in corpore virtus. Huic dicto etiam locus fierit quoties in valetudinarium & morbis obnoxium corp⁹ inciderit præclarum ingenium, Vnde in epistola ad Iodocum Gauerium, Erasmus de Neuio suo, Tanta erat inquit, ingenij dexteritas. Proinde familiaribus colloquijs soleo nonnunquam illud in illum iacere, ingeniũ Neuij malè habitare.

In Ca. *Iuuenes Tarentini.*

*Sic Pontanus.* Iuuenes Tarentini conuicti quum essent quod multa inter cœnandum licentius de rege Pyrrho loquuti essent, ratioq; maledictorum reposceretur. Tum vnus ex his iocabundus dixit: Nunquid ô Pyrrhe rex hoc mirare, & querere? Per Herculem ipsa te in cœna confecissemus, ni lagena nos destituisset. Quo dicto vt vrbano & ingenuo profecto ab homine omnis è vestigio ira dissoluta est.

Anno in ca. *Quum C. Fabricio.*

*Quum C. Fabri.* Hæc historia fusius explicatur à Gellio. Quam Tullius in oratore suo, maiore perstringit verborum parsimonia.

*Homo auarus & furax.* Apud Gellium est, sed furax homo & auaritia acri erat.

*Quod se homo inimicus.* Sic est in noctibus atticis, Eam rem plerisq; admirantibus quod hominem auarum cui esset inimicissimus creari consulem peteret, quem hostiliter oderat. Erasmus enarrans paremiam illam. Necessarium malum. Publius Cornelius Rufinus, inquit furax quidem & impendio auarus, sed idem egregius Imperator: à quo Fabricius compilari maluit, quàm sub hasta venire.

Anno in ca. *Quum Africanus.*

*Censor.* De censoribus vide Fenestellam & alios, qui de magistratibus po. Ro. libros ediderunt.

*Tribu.* Tribus Romæ cœperunt esse quum vrbs in partes diuidi cœpta est, hinc trubulis. Terentius in adelphis Adest Hegio tribulis noster.

*Non amo inq. ni. dili.* Hoc scommate furti insimulabatur Centurio.

Anno in ca. *C. Lelius.*

*Tu tuis dignus.* Quos habes inquinatos omni genere vitiorum.

Anno in ca. *in Nasica.*

*Domini iussu dixisse.* Eum domi non esse, quum domi esset.

*A ianua.* id est quum staret ante ostium.

Anno in ca. *Menstruum florum.*

*Plaustra potius.* Magnam inter se cognationem habent au & o, Vespasianus igitur, quum videret se à Floro notari, quod priscorum more plostrum dixisset potius quã plaustrũ, postridie iocatus in nomine Florus, Flaurum eum salutauit.

Anno in ca. *Expugnatus.*

*Dispensatore.* Huius officium est in rationario adscribere quantum nomine principis, & quam ob causam expenderit.

*Vespasiano inq. adamato.* Facetissimè dixit, tãquam id diuersum esset à vulgi consuetudine, solet enim ab amantibus, non amatis erogari pecunia, vt voti compotes existant. Respexit autem ad professionẽ meretriculæ quæ se illius amore accensam prædicabat.

Anno in ca. *Reprehendenti.*

*Vrinæ vectigal.* Apud scriptores inuenio Vespasianum sic excogitasse vrinæ vectigal, vt in angulis vicorum ponendas amphoras curauit in quibus vrinam facerent ebrij ac temulenti, Vectigal siue tributum hinc proueniens ad reficiendas in vrbe amphoras pertinebat.

*Ex prima pensione.* Tributa olim pluribus pensionibus

bus soluebantur. Seruamus & hodie morem consimilē in soluendo.

An. in ca. *Inter initia principatus.*

*Ne musca quidem.* Erasmus in opere adagiorum de hoc ioco, Vibius Crispus, inquit, rogatus ecquis esset cum Cęsare in conclaui, respondit ne muscam quidem intus esse, ancipiti ioco Domitiani consuetudinem notans, cui mos erat quotidie sibi secretum horarium captare, nec interim aliud fere agebat, nisi quod muscas captas stilo configeret. Vibius Crispus de quo scribit Suetoni9, orator facetissimus fuit, & iucundus, & delectationi natus.

An. in ca. *Meis è tribulibus.*

*Duos & triginta annos.* Hic iocandi occasionem sumpsit ab incusatione & exemplo.

An, in ca. *Diuerterat aliquando.*

*Vinum vtiliss.* In quo multum aquæ sit infusum.

*Vt ægrotum me pauisti.* Hic iocum deduxit ab irrisione & contemptu.

*Senticetum.* Locus plenus sentibus & spinis, sic arboretum, sicurticetum dicimus.

An. in ca. *Crassus in Parthos.*

*Duodecima in diei hora.* Duodecimam diei horam vocant finem humane vitæ. Hanc historiam de Crasso, nos quoq; exercendi calami gratia aliquando inter alia pleraq; sic vertimus, Quum Crassus Parthorum inhiaret opibus, aduersus eos ingentes eduxit copias, atq; Galatiam hostili more perambulans Deiotarum regem multo iam senio confectum, iam acheruntium, iam in peculio Proserpino connumerandum, nouam tamen vrbem condentem repperit, Itaq; in eum iocatus, Quid, inquit, nouæ rei moliris rex Deiotarę, Etiam duodecima tibi nunc instat hora, & nouam nihilominus vrbem ædificas? Ad quod subridens Deiotarus. Nec tu, inquit, imperator satis matutinus vt videre est, contra Parthos Romanos eduxisti copias, Annos enim tunc sexaginta natus erat Crassus.

Anno

Anno in ca. *Ostentabat.*

*Ostentabat Pompeius.* Hoc sic refertur à Macrobio Saturnaliorum libro secundo Saxo in expeditione percusſū, ac notabili cicatrice in fronte deformem, nimium tamē sua opera iactantem, sic leniter castigauit. At tu cum fugies, inquit, nunquam post te respexeris.

Anno in ca. *Aliquando loquaculus.*

*Magnum ranarum prouentum.* Pliniana imitatio, Nam Plinius in epistola, Magnum, inquit prouentum poetarum annus hic attulit,

Adno. in ca. *Maximus dux.*

*Ad cannas militum multitudinem.* Quantæ fuerint hoc loco Romanorum copiæ facile declarat cæsorum numerus. Quadraginta enim milia peditum, duo milia, septingenti equites, & tanta prope ciuium sociorumq; pars cæsi dicuntur autore Liuio.

Anno in ca. *Actius Syncerus.*

*Actius non inuidia.* Hæc solius est hominis, & aduersus hominem, Neq; vero inter bruta & rationis expertia fuerit, nihil enim hæc iudicant de felicitate alterius, neque gloria titillantur, neq; dedecore mouentur, ex quibus nascitur inuidiæ malum.

Anno in ca. *Celebrabantur.*

*Erat dies decursionis hastatæ.* Exhibebantur hastici ludi, de quibus in latina quandoque legimus historia.

*Exclamauit Theutonicus.* Hic fortasse Hollandus fuit, aut Phrysius quispiam. Est enim vterq; populus magis calicibus epotandis, quàm in prœlio strenuus.

Anno in ca. *Philoxæmenes.*

*Philoxæmenes Achæorum dux.* Hic post multa pro Achęis gesta bella tandem ab hoste captus Dinocrate, veneno interimitur, qua de re sic est apud Liuium, Veneno absumpti Annibal & Philoxemenes, exul Annibal proditus ab hospite, captus Philoxæmenes in carcere & in vinculis expirauit Erat hic Philoxæmenes præcipuæ in ducendo agmine locisque capiendis solertiæ atque

vsus,

vsus, nec belli tantum temporibus sed etiam in pace se ad id maximè exercuerat.

An. in ca. *Publius Syrus.*

*Interrogatus quid podager quispiam.* Sic legitur in commentarijs Macrobianis. Quum ille seruum suum hydropicum iacentem in area vidisset, quæsissetq́;, increpuissetq́; quid in sole faceret, respondit, aquam calefacit. Ioculari deinde super cœnam exorta quæstione, Quodnã esset molestum ocium, aliud alio opinante, ille podagrici pedes dixit.

An. in ca. *Annibal.*

*Annibal eodem irrisionis genere.* Historiæ meminit Gellius. Annibal inquiens Carthaginiensis apud regem Antiochum profugus facetissimè cauillatus est, Ea cauillatio huiusmodi fuit, Ostentabat Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum po. Ro, facturus com parauerat, conuertebatque exercitum insignibus argenteis & aureis florentem, inducebat etiam currus cum falcibus, & elephantos cum turribus, equitatumq́ue frenis & ephippijs, monilibus ac phaleris præfulgentem, Atque ibi rex contemplatione tanti & tam ornati exercitus gloriabundus Annibalem aspicit, Et putas ne, inquit, satis esse Romanis hæc omnia? Tum Pœnus eludens ignauiam imbelliamq́ue militum eius preciose armatorum, Planè, inquit, satis esse credo Romanis hæc omnia, etiamsi auarissimi sunt, Nihil prorsus neque tã lepida, neq; tam acerbè dici potest. Rex de numero exercitus sui, ac de existimanda æqui paratione quæsiuerat, respondit Annibal de præda.

An. in ca. *Exstat.*

*Exstat Catonis dictum.* Sic legitur apud Macrobium. Sacrificium apud veteres fuit quod vocabatur proteruia. In eo mos erat vt siquid ex epulis superfuisset igne consumeretur, Hinc Catonis iocus est. Namq; Albidium quendam qui sua bona comedisset, & nouissimè domum quæ ei reliqua erat incendio perdidisset. Proteruiam fecisse dicebat, quod comesse non potuerit, id combussisse. Erasmus Chiliade prima. Ad hoc facit,

inquit

inquit, quod, Theocritus Chius Diocli gurgiti qui deuorato pisce calido dixit se cœlum exussisse, vnum, inquit illud tibi superest, vt mare ebibas, atq; ita tres res omnium maximas confeceris, terram, mare, cœlum.

Anno in ca. *de Diogene.*

*In vobis nihil ho. video.* Significabat his verbis non esse dicendos homines, qui vt muta animantia non ratione sed affectibus ducerentur.

An. in ca. *Valerius P. Clodio.*

*Et reuertar.* Sumpsit iocandi materiã à Ciceronis exilio, qui furorem Clodij vt declinaret, eò se contulerat, neq; multò pòst redierat.

An. in ca. *Qu. Equintius.*

*Nuper calidas.* Ad furta & rapinas prætoris iocum retulit, quo innocenti & benè sibi conscio viro risum mouit.

An. in ca. *Initio belli.*

*Nihil enim adhuc paratum.* Tarditatem Pompei notauit in apparandis quæ ad bellum erant necessaria.

An. in cap. *In Caium Domitium.*

*Aenobarbum.* A rutilo, æneoque colore, Suetonius. Ex gente Domitia duæ familiæ claruerunt, caluinorum & ænobardorum.

An. in ca. *Meretriculæ.*

*Meretriculæ quoq;* Phryne huic nomen fluit, Historia est apud Valerium in exemplis.

An. in ca. *Amplioribus.*

*Pro spongijs.* Elegans translatio, Simile est illud Diogenis, quod alio retulimus loco, Dionysium vti solitum amicis vt vasculis, quæ plena euacuantur, abijciuntur vacua.

An. in ca, *Senex quispiam.*

*Vulpem pilum.* Prouerbiali hac sententia significatur ingenita nobis vitia nulla dignitate, nullis mutari honoribus. Vespasianus pilum mutauerat ex priuato fact⁹ imperator, Sordes verò innatæ cupiditatis & auaritiæ non posuerat.

Anno

Anno in ca. *Idem fuit vultu.*

*Quum ventrem exonerare desi.* Non absimilis est iocus Mar. in Phœbum, Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis, Nam faciem duram Phœbe cacantis habes.

Anno in ca. *Domitianus.*

*Quàm Metius sibi videtur.* Notatur quispiam Metius, qui sibi omnium formosissimus videbatur, quum ex aliorum iudicio talis non esset.

# LITTERATISS. IVVENI LVDOLPHO SCHAMELARDO MECLINIENSI ADRIANVS BARlandus.

## S. D.

*Veterum iocorum ac recentium opus iam secundum emittimus, Ludolphe humanißime, multo quam prius erat, locupletius. In hoc sequuti exemplum Erasmi nostri qui maximo studiosorum omnium fructu toties adagiorum Chiliades nouis accessionibus auctas edidit. Factum hoc meum quis reprehendat in argumento non serio, & cuius ea natura est vt optimorum lectione scriptorum vel copiosius reddatur, vel elimatius? Te laboris huius defensorem constituo aduersus iactanticulos quosdam & nugiuendos qui se suáque duntaxat etiam sine riualibus adamant, sibi fauent, alijsque obtrectant. Nihil denique rectum putant nisi quod ipsi faciunt. Vale, & me iam hinc diligere incipe, qui te ob modestiam singularem, & doctrinam plurimum amo, & volo vt me rebusq; meis non minus vtaris quàm proprijs. Louanij nonis Martijs.*

# IOCORVM LIBER SECVNDVS.

CLAVDIVS Cæſar edictum meditatus dicitur, quo veniam daret efflatum, crepitumque ventris in conuiuio emittendi, quum periclitatum quendam præ pudore ex continentia repperiſſet.

Stoici dicunt crepitus æquè liberos, ac ructus eſſe oportere.

Dionyſium adierat Lyſander Spartanorum legatus, huic quum ille duas miſiſſet ſtolas vt vtram vellet ad filiam deferret, ambas accepit, reſpondens ipſam aliquanto ſe melius electuram.

Lacon quiſpiam ei qui Lampen Aeginitam beatum dicebat quod ditiſſimus, & multorum nauigiorum dominus eſſet, nihil curo, inquit è funibus dependentem felicitatem.

Cæſar Claudius conuiuæ qui pridie ſcyphum aureũ ſurripuiſſe exiſtimabatur, reuocato in diem poſterum calicem fictilem appoſuit.

Libertus Catulli furaciſſimus de menſa nummularij clàm ſubtractos nummos aliquammultos in calceos ſuos demiſerat. Hac re cognita quidam feſtiue admodũ Væ tibi, inquit. ſi nummularius ille te excalciauerit.

Nero Claudius in ſeruum furacem iocari volens, ſolus es, inquit, cui nihil domi ſit nec occluſum, nec obſignatum.

Diogenes veſtimentorum furem in balneis quum videret. Quid, inquit hic? ad vnguentum? an ad aliud veſtimentum?

M. Cato in ea oratione quam de præda militibus diſpartienda ipſe habuit, Fures, inquit, priuatorum furtorum in neruo, atq; in compedibus ætatem agunt, fures publici in auro atq; in purpura.

Chry-

Chrysantas apud Zenophontem quum dixisset non benè conuenire cœnato cum incœnato, festiuè Cyrus ita me diusfidius, inquit. Saturorum enim venter curuus incœnatorum autem simus fit.

Vocuntio cum tribus filiabus longè deformissimis obuiam factus Cicero, voce submissa ad amicos. Hic, inquit Phæbo non permittente liberos seminauit.

Cuiuspiam comedonis gulam qui ventriculi causa fundos suos vendiderat. Bion Boristhenites vrbanissimè notans absorpsit, inquit Amphiarum terra, sed terram tu.

Quum nimio luxu ad inopiam redactus adolescens quidam oleas in cœna esitaret, Diogenes fortè præteriens si sic pransus, inquit, esses non ita cœnares.

Minor Scipio censor declaratus quum audiuisset iuuenem quendam ex melle placentam in vrbis similitudinem fecisse, & Carthaginem nuncupatam conuiuis diripiendam dedisse, equum ei ademit, rogatusque à iuuene cur ita fecisset, quia me prior, inquit Carthaginem diripuisti.

Lacon quidam quum duriores amigdalas duplo pluris diuendi quàm teneras accepisset, an rari, inquit lapides hic sunt?

Maximinus imperaror quũ esset pedũ octo & semis, calceamentum eius, quidam in luco qui est inter Aquileiam, & Aritiam posuerunt, quod constat pede maius fuisse hominis vestigio, vnde vulgò de longis atq; ineptis hominibus per iocum dicebatur, caliga Maximini.

*Scomma Demosthenes.*

Quum Demades in Demosthenem vociferaretur, Demosthenes vult me corrigere sus Mineruam, Respondit Demosthenes. Atqui nuper hæc Minerua in adulterio deprehensa fuit.

Rhetor quidam Atheniensis imperitos Lacedæmonios appellabat, quod audiens Pausaniæ filius, recte dicis, inquit, soli enim Græcorum nil à vobis mali didicimus.

Improbus quidam quum ad odium vsq; sæpius De-

 mara-

marathum rogaſſet quem ſuæ gentis optimum eſſe putaret. Qui, inquit ille tui diſſimillimus eſt.

Bias percunctanti cuidam, quid eſſet pietas nihil reſpondit. Silentij cauſam quum ille ſciſcitaretur, quia de rebus, inquit nihil ad te pertinentibus quæris.

Cleomenes ſeptem dierum inducias cũ hoſte pactus, nocte quæ tertia conſequuta eſt dormientes inuadit, multos occidit, alios captiuos abducit. Violati deinde fœderis commonitus, Ad iuſiurandum ait noctes additas non fuiſſe.

Quũ Philippus Lacedæmonijs minitaretur, diceretq; ſe prohibiturum quæ illi conarentur omnia, rogatus eſt mori ne etiam eos prohibiturus eſſet?

Scylla factus prætor, quum Cæſari iratus, ſua in illũ poteſtate vſurum ſe eſſe diceret, ſubridens Cæſar, tuum inquit, rectè putas eſſe magiſtratum quem tua pecunia emptum habes.

Tonſor quidam impendio loquax, quũ A[illegible] diceret quo modo te tumdeo ô rex, ſilens, inquit ille.

Appius in Sextium quũ iocari vellet. Cœnabo, inquit apud te, vni enim locum eſſe video. Scomma in oculum torſit, quod Sextius in Appium repetundarum rerum lepidè retorquens. Manus, inquit laua & cœna.

Philippus Macedo, Hannibal, Sertorius & Antigonus egregij duces omnes luſci fuerunt, quàm deformitatem vt occuleret pictor Apelles, latere tantum altero illorum imagines oſtendere ſolitus eſt.

Athenienſium legatus Demochares, venerat cum alijs quibuſdam ad Philippum Macedoniæ regem. Audita legatione Philippus: Mihi dicite inquit, legati, poſſim ne facere quippiam quod ſit gratum Athenienſibus. Excipiens vt erat procaci lingua Demochares, te, inquit, ſuſpende.

Diogenes in lectica mulierem intuitus ait, non ſecundum feram eſſe caueam.

Medicus quidã quum Pauſaniæ diceret. Quî fit ô vir bone vt nihil mali habeas: Quia, inquit te medico non vtor.

Theo-

Theopompus roganti cuidam, num pulchri essent vrbis muri quos ostentabat, minimè, inquit, si mulierũ sunt.

Galba rogatus à quopiam vt vtendam daret penulã, festiuè respondens, non pluit, inquit non est opus tibi, si pluit ipse vtar.

Anacharsis interrogatus quænam esset nauis securior. Ea, inquit quæ in portum appulerit.

Catulus quidam ab indocto & malo oratore rogatus an proxima oratione misericordiam mouisset, magnã inquit, ille, neminem enim puto fuisse tam durum cui non oratio tua miseranda sit visa.

*Fabula perquam lepida.*

Quum Galba quispiam conuiuio Mecenatem accepisset, sentiretq; iam è nutibus, hominem inflammatũ in vxorem suam, sensim demisit caput perinde quasi dormiret. At quum interea famulus quispiam ad mensam accedens, vinum clam tolleret ibi iam vigil & oculatus. Infelix, inquit, an nesciebas me soli Mecenati dormire?

Maxillus rhetor satis aridus homo, quum exilitatem orationis, controuersiæ suę imputaret ac diceret. Necesse est me per spinosum locum ambulantem suspensos pedes habere, vrbanè admodum Portius latro discipulus. Non me Hercule tui pedes spinas calcant, sed habent.

Diogenes ingressus aliquando scholam quum videret multas ibi depictas musas, paucos verò adesse discipulos. Cum dijs, inquit, magister multos habes discipulos.

Aristippus quum ad opes peruenisset amplissimas, dixit ei Socrates. Vnde tibi tam multa? Cui Aristippus, vnde ait tibi tam pauca?

Diogenes quum venderetur humi iacebat, surgere iussus ab eo qui vendebat recusans. Quid tandem, inquit si piscem venderes?

Quidam philosophari volebat apud Diogenem, cui ille pernam dedit, & sequi iussit. Alter pudefactus abie-

ćta perna discessit. Non multo pòst occurrit eidem Diogenes, & subridens. Tuam, inquit & meam amicitiam perna dissoluit.

Idem Diogenes intuitus aliquando duos pessimè pictos Centauros, vrbanissimè rogans vter, inquit horum deterior est?

Idem petebat ab Euritio quod factu perquam difficile esset. Quum ille diceret: Dabo si mihi persuaseris. Tũ Diogenes: Si persuadere, inquit possem, vtiq; suaderem vt te suffocares.

Alexander Syriæ rex à Grypho victus Antiochiam profugit, ibi inops pecuniæ quum stipendia militibus deessent, in templo Iouis solidum ex auro victoriæ signum tolli iubet, facetis iocis sacrilegium circumscribẽs, nam victoriam commodatam sibi à Ioue esse dicebat.

Quum Labieni scripta ex senatusconsulto comburerentur, Cassius seuerus Labieni amicissimus, facetè nunc inquit me viuum vri oportet quod libros illos edidici.

*Erasmi dictio.*

Dionysius Citharædum accersiuerat vt sibi caneret in nuptijs, atq; cum eo his pactus est legibus, vt quo doctius, meliusq; caneret, hoc copiosiorem ferret mercedẽ. Annixus est omni artificio citharædus vt quàm scitissimè caneret, sperans amplissimum præmium. At postridie pactam mercedem reposcenti musico, qui conduxerat ait iam persoluisse sese, quod esset pollicitus, nempè par pari retulisse, proq; voluptate reposuisse voluptatem, spem lucri significans, quæ quidem hoc maior fuerat, quo magis ex arte cantasset.

*Eiusdem prima Chiliade.*

Quum aliquando Demosthenes quendam in causa capitali defenderet, ac iudices haberet parum attentos, sed dicenti obstreperent, ille, paulisper, inquit aures mihi præbete. Siquidem rem narrabo nouam ac lepidam, atq; auditu iucundam. Ad quæ verba quum illi iam aures arrexissent. Adolescens, inquit quispiam asinum conduxerat rerum quiddam Athenis Megaram deportaturus, inter viam autem quum æstus meridianus ingrauesc-

grauesceret, nec inueniret quonam vmbraculo solis ardorem defenderet, depositis clitellis, sub asino sedens, eius vmbra semet obtegebat. Cæterum id agaso non sinebat, hominem inde depellens, clamansq; asinum esse locatum, non asini vmbram. Alter item ex aduerso tendebat asseuerans etiam vmbrã asini sibi cõductam esse. Atq; ita inter eos acerrima rixa in longum producta est, ita vt etiam ad manus venerint, hoc pertinaciter affirmante non conductam esse asini vmbram, illo pari contentione respondente vmbram etiam asini conductam esse. Demum in ius ambulant. Hæc loquutus Demosthenes, vbi sensisset iudices diligenter auscultantes, repente cœpit à tribunalibus descendere. Porrò reuocatus à iudicibus, rogatusq; vt reliquum fabulæ pergeret enarrare. De asini inquit vmbra libet audire. Viri causam de vita periclitantis audire grauamini.

*Erasmus in Chiliadi.*

Figulus quispiam varias auium formas finxerat, easq; in officina collocatas habebat. At asinus quidam inobseruantius sequente agasone, Inserto per officinæ fenestellam capite, pariter & aues & reliqua vasa deiecit, comminuitq;. Is cuius erat officina, agasonem in ius vocat, quumq; rogaretur ab omnibus quanam de re litem moueret, de asini, inquit prospectu.

*In Chiliadibus.*

Imperator Adrianus in balneo veteranum quempiam seruuli penuria sese marmoribus affricantem, conspicatus eum & seruulis aliquot, & sumptibus donauit. Quod reliqui veterani feliciter cessisse videntes, cœperunt & ipsi complures sub oculis Imperatoris sese marmoribus affricare, vt hoc modo principis elicerent benignitatem. At ille euocatis senibus iussit vt alius alium vicissim defricarent, atq; ita pueris nihil opus fore. Is iocus postea in vulgi fabulam cessit.

Aequè ridiculum est quod de Romano Imperatore Heliogabalo legitur, hanc ei fuisse cõsuetudinem, vt octo caluos rogaret ad cœnam, item octo luscos, & item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, & octo pingues: quum capi non possent vno sig-

mate, vt de his omnibus risus citaret.

Glaucus quispiam Anthedonius piscator natandi peritia longè omnium primus, is quo magis esset miraculo, commentus est imposturam huiusmodi. Enatabat è portu spectantibus Anthedonijs, donec iam extra prospectum esset, ibi reuersus in terram, secessit in locum aliquem semotum, atq; in eo dies complures commorabatur. Deinde quum videretur, redibat natans in portũ, spectantibus his qui stabant in littore, mirantibus autẽ amicis ac sciscitantibus vbinam gentium tam diu commoratus esset, assimulabat in marinis fluctibus interim versatum esse sese. Auxit miraculum altero commento. Hybernis mensibus quum cæteri piscatores nihil piscium capere possent, ille ciues rogabat quosnam pisces adduci vellent, quosque iussissent aduehebat, videlicet iam ante paratos in hunc vsum, atque alibi conclusos. Euenit tandem vt hic impostor à belua quadam marina deuoraretur. Isq; fuit eius comœdiæ finis. Porro quum non rediret ex more populari fama iactatum est, Glaucum gustata herba factum immortalem, & in mari vitam agere.

*Est apud Erasmum in Chiliadibus.*

Maccus quidam patria Hollandus, quum venisset in ciuitatem quæ dicitur Leidis, ac vellet nouus hospes innotescere ioco quopiam, nam is erat homini mos, ingressus est officinam calcearij, salutat, ille cupiens extrudere merces suas rogat nunquid vellet. Macco conijciente oculos in ocreas, ibi pensiles, rogat sutor, num vellet ocreas. Annuente Macco quærit aptas tibijs illius, inuentas alacriter protulit, & vt solent, inducit illi. Vbi iam Maccus esset eleganter ocreatus, quàm belle, inquit congrueret his ocreis par calceorum duplicatis soleis. Rogatus an & calceos vellet, annuit. Reperti sunt & additi pedibus, Maccus laudabat calceos. Calcearius tacite gaudens succinebat illi laudanti sperans precium æquius, posteaquam emptori tantoperè placeret merx. Et iam erat nonnulla contracta familiaritas. Hic Maccus. Dic mihi, inquit bona fide nunquam ne vsu venit tibi vt

*Apud eundem in colloquijs Horatius: Laudat venales qui vult extrudere merces. Inducere calceos pro induere.*

bi vt quem sic ocreis & calceis ad cursum amasses, quẽadmodum nunc amasti me abierit non numerato precio? Nunquam ait ille. Atqui si forte, inquit veniat vsu, quid tum faceres? Consequerer, inquit, calcearius fugientem. Tum Maccus, serione ista dicis an ioco. Planè seriò, inquit alter, loquar & serio facerem. Experiar ait Maccus. En pro calceis præcurro, tu cursu sequere. Simulq; cum dicto coniecit se in pedes. Calcearius è vestigio consequutus est quantum poterat clamitans, tenete furem, tenete furẽ. Ad hanc vocẽ quũ ciues vndiq; prosilissent ex ædibus, hoc commento cohibuit illos Maccus ne quis manum inijceret, ridens, ac vultu placido. Ne quis, inquit, remoretur cursum nostrum, certamen est de cupa ceruisiæ. Itaq; iã omnes præbere sese certamini spectatores. Suspicabantur autem calcearium dolo clamorem eum fingere, vt hac occasione anteuerteret Tandem calcearius cursu victus, sudans & anhelans domũ redijt. Maccus tulit brabeum.

### *Facetum Virgilij responsum.*

Dubitasse aliquando Cæsar Augustus legitur, an filius Octauij esset ipse. Posse ex Vergilio se hoc discere quum speraret, hunc ad se vocatum rogat, an sciat quo sit patre natus, & quantam ad homines beandos facultatem habeat. Cui Vergilius respondens: Noui, inquit te Cæsarem Augustum esse, & æquam fermè cum dijs immortalibus habere potestatem, vt quem velis felicem ac beatum facias. Tum Cæsar, eo, inquit, animo sum ego, vt si verum dixeris, felicem te ac beatum faciam. Vtinam ait Maro interroganti tibi vera dicere queam. Tunc Augustus. Putant quidam me natum Octauio, álij alium dant mihi patrem. Hic maro subridens. Facilè, inquit si impunè quæ sentio loqui me iubes, id tibi expediero. Affirmat Cæsar iureiurando nullum se eius dictum ægrè laturum, immò fore vt dona non pœnitenda pro responso accipiat. Iã Augustus expectabat quid Vergilius diceret. Quum

ille: Quantum ego coniectura consequi possum inquit, Pistoris filius es. Obstupescit Augustus, & quo id pacto fieri potuerit secum cogitat. Ibi Vergilius, audi inquit, cur ita conijciam, quum nuper dixissem nonnulla quæ non nisi ab eruditissimis intelligi possent. Tu princeps orbis terrarum semel atque iterum panes pro mercede dari iussisti mihi. Quod quidem aut pistoris, aut patre nati pistore officium erat. At deinceps, inquit Cęsar, Non à pistore, sed rege magnanimo dona feres. Placuit facetus Cæsari iocus, & Maronem post illa plurimi fecit.

*Iocus Scipionis Nasicæ.*

Publ. Scipio Nasica quum ædilitatem currulem adolescens peteret, manumq; cuiusdam rustico opere duratam, more candidatorum, tenacius apprehendisset, ioci gratia interrogauit eum num manibus solitus esset ambulare.

*Quid risu dignum acciderit duobus de asini possessione contendentibus.*

*Erasmi dictio.*

Duo quidam quum in desertis locis asinum quēpiam forte fortuna nacti essent, contendere inter sese cœperunt vter eorum vti suum, domum abduceret. Nam vtrique pariter à fortuna videbatur obiectus. Hac interim de re illis inuicem altercantibus, asinus sese subduxit, ac neuter eo potitus est.

*Aniculæ responsum in hominem prorsus inutilem.*

*Eiusdē in opere Adagiorū.*

Stratonicus quispiam Citharœdus Corinthi peregrinabatur. Hunc quum anicula quædam fixis oculis intueretur, idq; diu, tandem ille, quid, inquit tibi per deos vis mater, aut quid me sic continēter intueris? Demiror inquit, illa, si mater te decem menses ferre potuit, quum ciuitas angatur, vnum duntaxat diem te portans.

*Fabula de Memmio quodam non iniucunda.*

*Erasmi dictio.*

Memmius quidam Romanus quum ageret Tarracinæ, mulierculam quandam deperibat, sed non citra riualem. Cum hoc igitur cùm aliquando rixa incidisset, eo ira

eo iracundiæ prouectus est Memmius vt Largij, nam id riuali nomen, brachium mordicus arriperet. Ea res posteaquam in popularem abijt iocum, faceti quidam & φιλόγελοι senarium hunc in omnibus eius vrbis parietibus quinq; literis notarunt, depictis tribus LLL. & duobus MM. Videlicet vt aduenis percunctandi ministrarent occasionem. Itaque quum M. Crassus Terracinam aliquando venisset, admiratus nouum literarum enigma, senem quendam oppidanum percũctatus est, quidnam sibi vellent eiusmodi literæ. Atq; is exposita fabula, versiculum explicuit. Lacerat Lacertum Largi, mordax Memmius.

*Facetum Ciceronis dictum in Verrem.*

M. Tullius in Verrem actione.iij Atq; etiam aspendium citharistam, de quo sæpe audistis, id quod est Græcis in prouerbio, quem omnia intus canere dicebant, sustulit, & in intimis ædibus suis posuit vt etiam illum ipsum artificio suo superasse videatur.

Quidam in locis maritimis, domus suæ partem æditiorem nescio quid rerum acturus conscenderat. Eo die magna, turbulentaq; tempestas erat. *Volui hic vastos ad littora fluctus videbat.* Vnde adstanti amico, Miror, inquit tam multos nauem ascẽdere maria tentare, quum tam multa quotidie in medijs pereant aquis. Tum alter ille, Qui fit igitur ô bone vt tu sub noctis horas lectum audeas conscendere, quum tam multos quotidie expirare hic videas?

*Ex Vergil*

Fuit in parte Selandiæ meæ Thomas quispiã nostra fere memoria qui inter pastores pecudum assiduè versaretur, is autem consueuit interdiu quum bestia occurreret ferocior vitabundus eam fugitare, & totus tremere ad illius aspectum Ridebatur interim ab ijs qui rem pecuniariam exercebant. Sed noctu ille saltus ingredi profundissimos ausus ex armentis prestantissimum quenq; siue bouem, siue taurum cornibus apprehensum, resteq; illigatum secum trahebat, tractum à socijs curabat deducendum ad fora vbi eum diuenderent.

*Rixa matrisfamilias, cum ancilla, Ex Erasmi Epistola quadam.*

Sed heus tu vinum illud rubellum mire placuit nautæ, vxori, mulieri mammosæ bibosæq; adeo vt sæpè appellata nulli voluerit impartire. Hausit affatim, sed mox ad arma. Ancillam penè occidit magnis coclearibus. Pugna vix poterat dirimi. Mox egressa maritum aggreditur, & periculum erat ne illum è naui in Rhenum præcipitem daret, habes viui tui energiam.

*Apud Pontanum in Antonio.*

Quidam Suppatius, Capuam ingressus obuium inquit habui qui quod Physicum profiteri me crederet consuluit quid oculis maximè conferre ducerem, Respondi, si causidicum, aduocatumque nunquam videris. Quid auribus, si nullam domi mulierem habueris,

*Ex Platinæ Libris.*

Cinea orator Pyrrhi regis cuius à Romana legione ad regem suum redeuntis serui & familiares cum apud Ariciam vrbem nunc funditus dirutam vino immoderatius hausto vt solent ebrij, capitis dolorem & nauseam ab aeris grauitate causarentur. Quin, inquit ille vini hoc efficit austeri inhumaniq; malignitas, vnde iter agens inspectas altissimis in vlmis (quod etiam nunc fert regionis natura) vites illis ostendit: matremq; dixit vinorum: à quibus tantum acceperant incommodum in tam alta cruce merito pendere.

# HADRIANI BARLANDI

## SCHOLIA IN SECVNDVM LIBRVM IOCORVM VETErum & recentium.

*In ca. Claudius Cæsar.*

Efflatum emittendi. Plinio autore nefas erat crepitum ventris in conuiuio emittere. Vetabantur inquit, ille per mensas munditiarum causa deflare.

Quum

*Quum periclitatum.* Id eſt periculum adijſſe.

*Ex continentia.* Dum pudibundus continere vult crepitum, quam continentiam tota medicorum ſchola noxiam eſſe iudicat. Huic iocus ille poëtæ Epigrãmatarij. Pedere te mallem: Namq; hoc nec inutile dicit Symachus, & riſum res mouet iſta ſimul. Hæc de Claudij edicto apud Suetonium ſunt in eius vita.

*In ca. Dionyſium adierat.*

*Lyſander.* Hunc Lyſandrum Lacedæmoniorum ducẽ inuictiſſimum nonnulli rerum geſtarum, & animi magnitudine comparant Scyllæ Romano.

*In ca. Lacon quiſpiam.*

*Lampen Aeginitam.* Ex Plutarcho eſt. Eraſmus in Chiliadibus ſic habet. Quum quiſpiam Lampen Aeginitam efferret tanquam longè ditiſſimum, propterea quod multa poſſideret nauigia, Lacon quidam: Nihil, inquit, moror felicitatem de funiculis pendentem. Nimirum innuens nauticas opes incertas eſſe, & fortunæ ludibrijs obnoxias.

*In ca. Cæ. Claudius conuiuæ &c.*

*Scyphum aureum ſurripuiſſe.* Hic conuiua quibuſdam Ouinius, alijs Ti. Liuius appellatus eſt. Vnde Plutarchus Quum Ouinius, inquit apud Claudium Cæſarem cœnaret, argenteum poculum clam ſuſtulit, quod Cæſar quũ audiſſet, rurſus poſtridie ad cœnam inuitauit, qui quũ veniſſet iuſſit miniſtris, vt nullum illi argenteum poculum, ſed fictilia omnia apponerẽt. De eodem apud Cor. Ta. ſic legere eſt T. Iunius Seruilius ioco reſperſus eſt tã quã ſcyphum aureum in conuiuio Claudij furatus, & Claudius poſtero die ſoli omnium Iunio fictilibus miniſtrari iuſſit: Eſt & hæc hiſtoria de poculo ſubrepto apud Suetonium in vita Claudij.

*In ca. M. Cato.*

Eſt apud Gellium li. noctium Atticarum vndecimo ca. 18. *Fures publici in auro.* Vt Iuuenalis dixit: indulget coruis, vexat cenſura columbas.

*In ca. Cuiuſpiam comedonis.*

*Amphiaraum terra.* Amphiaraus vates & augur fuit qui

qui cum rex AdrastusThebanis, bellum illaturus secum eum vellet abducere metuens se illinc non rediturum latuit. Tandem ab vxore proditus ire cogitur, & quo die Thebas applicuit hiatu terræ absorptus.

*In ca. Minor Scipio.*

*Equum ei ademit* In lege de censoribus ita scriptum inuenio. Censores populi mores regunto. Erat censura omnium magistratuū princeps, Senatu immeritos remouebat in quolibet ordine Ro. ciues meritis digna pœna afficiebat Censor.

*In ca. Maximinus imperator.*

*Pedum octo & semis*. Octonis pedibus atq; vno digito maior fuit, pro miraculo narrant historiographi quod sæpe vno die vini amphoram biberit. Non mirum hoc, nisi tum amphora multo quàm hodie est maior fuerit atq; capacior. Inter Aquileiam & Ariciam.) Aquileia latina olim Colonia, à Gothis euersa. Ariciæ Flaccus meminit in Satyra, qua iter suum ab vrbe Roma Brundusium vsq; describit. Distat hoc oppidum ab vrbe decem milibus passuum. De vetustate Aquileiæ sex libros habemus M. Antonij Sabellici, qui recentior quidem historiæ scriptor multis non modo æquandus, verumetiam præferendus veteribus est.

*In ca. Quum Demades.*

*Quum Demades.* Hic orator Atheniensis fuit, ingentes opes per luxum ac libidinem perdidisse traditur.

*In ca. Improbus quidam.*

*Demarathum.* Demarathi duo fuerunt, Vnus Corinthius, alter Lacedæmonius quum apud Xerxem exularet, amicior patriæ post fugam quàm regi post beneficia ne bello inopinato opprimerentur, omnia in tabellis ligneis magistratibus perscribit. Astutum huius in occultandis literis consilium si quis cupiat cognoscere institutum legito, li. 2.

*In ca. Cleomenes.*

*In primo officiorum ita narrat hoc Cicero.* Existunt etiam sæpe iniuriæ calumnia quadā, & nimis callida, sed malitio-

litiosa iuris interpretatione. Sequitur paulò pòst. Vt ille qui quum centum triginta dierum essent cum hoste pactæ induciæ, noctu populabantur agros quod dierum essent pactæ, non noctium induciæ.

*In ca. Atheniensium legatus.*

*Demochares.* Orator nepos Demosthenis.

*Te, inquit suspende.* Indignantibus ob id responsum cæteris Philippus dimisit incolumem, vos inquiens socij renunciate Atheniensibus quos censeant superiores, qui talia dicant, an qui audiunt patienter.

*In ca. Medicus quidam.*

*Quum Pausaniæ diceret.* Tres fuerunt Pausaniæ, Vnus Lacedæmoniorum dux qui multa magno successu bella pro suis gessit. Alter Pausanias Philippi Macedonis interfector. Tertius fuit Grammaticus Cæsariensis, floruit temporibus Hadriani Imperatoris.

*In ca. Maxillus Rhetor.*

*Portius Latro* Grauis hic orator fuit memoria, natura quidem felici, sed plurimum adiuta etiam arte.

*In ca. Alexander Syriæ Rex.*

*Syriæ.* Mela Pompo. Syriam late littora tenere dicit. Ab Arabia enim Petrea totus tractus litoris maris nostri adusq; sinum Issicum, Syriæ est, quàm regionem varijs video nuncupatam nominibus: Nam & Mesopotamia & Damascene, & Adiabæne, & Babylonia quæ & Chaldæa, & Iudæa dicitur. *Sacrilegium circumscribens.* Cuius sacrilegij postea pœnas dedit. Nam à suis desertus à latronibus captus, ad Gryphum deniq; hostem suum perductus interficitur.

*In ca. Quum Labieni.*

*Labieni.* Hic Labienus historicus fuit, de quo Seneca in.6 controuersiarum, ingeniorum ista supplicia, inq̃t vt libri comburantur post Ciceronem cœpere, quo tem pore Ti. Labieni scripta ex Senatusconsulto combusta sunt, quam contumeliam ipse Labienus nõ tulit, nec superstes suo ingenio esse voluit, qui in monumẽto maio rum suorum ferri se iussit, atq; illis includi, veritus scilicet

cet ne ignis qui nomini suo & libro subiectus erat, corpori negaretur.

*In ca. Quum aliquando Demosthenes.*

*Quum aliquando*. Hæc eijsdem verbis ponere visum est quibus narrat Erasmus in Chiliadibus.

*Athenis Megaram*. Cui non est notum vbi olim Athenæ fuerint? Megaris in Attica regione. Ponitur & altera eiusdem nominis ciuitas. In Sicilia.

*In ca. Adrianus Imperator.*

Sumptum est & hoc ex Chiliadibus Erasmi. Huius Adriani plurima extare ioca dicit Elius Spartanus, è quibus vnum narratur. Nam fuit etiam diaculus, verba sunt hæc. Vnde illud quoq; innotuit, quod quum cuidā canescenti quiddam negasset, eidem iterum petenti, sed infecto capite respondit, iam hoc patri tuo negaui.

*In ca. Aequè ridiculum est.*

Hæc sunt apud Aelium Lampridium historicum. Exorsus est ille ab Heliogabalo.

*In ca. de Nasica.*

Hic Scipio Romanorū optimus est iudicatꝰ: *Aedilitatē curulem.* Magistratum hunc gerentis officium erat curare vt aquæductus, cloacæ, publica ædificia munda & integra essent, *Num manibus solitus esset ambulare.* Hoc dictu à circunstantibus exceptum ad populum manauit, causamq; repulsæ Scipioni attulit. Adi Valerium lib. 7. de repulsis.

*In ca. Memmius quidam.*

Apud Ciceronem li. 2. de oratore. L. Cæsaris hæc sunt Duo enim sunt genera facetiarum, quorum altera re tractatur, alterum dicto. Re, siquando id tanquam aliqua fabella narratur, vt olim tu Crasse in Memmium comedisse cū Lacertum Largij quum esset cum eo Tarracinæ de anicula rixatus, falsa tota attamen à te ipso ficta narratio, addidisti clausulā, tota Terracina tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse literas, tria LLL. duo. MM. quum quæreres id quid esset, senem tibi quendam oppida-

oppidanum dixiſſe. Lacerat Lacertum Largij mordax Memmius.

*Quum ageret Terracinæ.* Terracina Italiæ ciuitas aliquando Anxur dicta, æditum occupat collem, Horatius in quadam Satyra. Impoſitum ſaxis late candentibus Anxur.

*In caput M. Tullius.*

*Illum ipſum artificio ſuo ſuperaſſe videtur.* Quo dicto facetiſſimè taxauit Verris rapacitatem, qui intus canentem in intimis ædibus collocarit, hoc eſt, pluſquàm intus cecinerit.

# DIALOGVS PONTANI CONTINENS GRAMMATICORVM RIXAM.

*Mercurius. Pedanus, Theanus & Menicellus Grammatici.*

PHaſelus ille nimis grauis eſt vectoribus, remoque vix agi poteſt, hoc eſt quod mortales vſurpant, qui nimis properet, ſero eum peruenire. Sed quænam hæc eſt vmbra, quę tam ſola volitat? Heus tu, cuius iſtud eſt ſimulacrum? PE. Pedani grammatici. MER. Quid tibi vis tam ſolus? PE. Teipſum quærebam Maia genite. MER. Quanam gratia? PE. Oratum venio quædam meo nomine vt diſcipulis referas, quod te vehementer confido facturum, cum literarum author, atque excultor fueris. MER. Facile hoc fuerit, Quamobrem explica quid eſt quod referam velis. PE. Vergilium nuper à me conuentum dicito quærentique ex eo mihi quot vini cados decedenti è Sicilia Aeneæ Aceſtes dediſſet, erraſſe ſe reſpondiſſe, neque enim cados fuiſſe, ſed amphoras, Ea enim tempeſtate cadorum vſum in Sicilia nullum fuiſſe, partitum autem amphoras ſeptem in ſingulas triremes, acceſſiſſeque aceti ſextariolum idque ſe compertum habere ex Oenoſio Aeneæ vinario, ex Hipparcho autem Mathematico

tico intellexiſſe Aceſtem vixiſſe annos centum viginti quatuor, menſes vndecim, dies vndetriginta horas treis momenta duo, ac ſemiatomum, MER. Idem ego memini me ex Aceſte audire. PE Erraſſe item ſe, quod Caietam Aeneæ nutricem dixiſſet, quæ fuiſſet tubicinis Miſeni mater, nec dediſſe illam loco nomen, quod ibi fuiſſet ſepulta, ſed quod cum terram deſcendiſſet legendorum holerum gratia, fuiſſet illic à Syluano vim paſſa Anchiſæ quoq; nutricem fuiſſe à Palamede raptam, cũ is agrum Troianum popularetur, excedereque tum illam annos centum & viginti, fuiſſeque ei nomen Pſi. Quæ quod notam haberet quandam in fronte, hinc Palamedem literam & formaſſe & nominaſſe MER. Magna ſunt hæc literator, cognituq; digniſſima. PE. Maiora ac multo digniora audies. MER. Solis videlicet literatoribus tantum ſciendi ſtudium eſt poſt mortem? PE. His nimirum ſolis. Equidem & illud percunctari volui, dextrone an ſiniſtro priore pede è naui deſcendens Aeneas terram Italiam attigiſſet, adquod poëta ipſe reſpondit, ſatis ſe compertum habere neutro priore pede terram attigiſſe, ſed ſublatum humeris à remige cui nomen eſſet Naucis, atq; in litore expoſitum, iunctis ſimul pedibus in harenas inſilijſſe, idque ex ipſo remige habere ſe cognitum. MER. O diligentiam ſingularem. PE. Illud quoque Atlantiade, quod cum gratia fiat tua, vel cumprimis auditores meos, qui ſunt in Campania doctos facito, Horatium fuiſſe abſtemium, quod ex eo ſum ſciſcitatus. Vinum autem tantopere ab illo laudatum in præconis patris honorem qui quum voce non poſſet, potando certè vino omnes ſui temporis præcones ſuperaſſet. Vnum vero me, ne ex ipſo quidem Cæſare ſcire potuiſſe cum Galliam deſcriberet in treis ne an tres partes diuiſam ſcriptam reliquiſſet. Mer. Demiror cum tam ipſe accuratus, atque humanus fuerit? PE. Iram id effeciſſe arbitror in quam ob accuſationem exarſerat Theani literatoris qui eum reprehendere eſſet auſus, quod carros non currus dixerit, At à Tibullo Albio comiter fuiſſe exceptum, cumque

Peda-

Pedanum me vocari dicerem gaudio eum exilijsse, arbitratum pedo, in cuius agro rus habuisset oriundum esse, atque huius rei gratia docuisse me nomen senex, apud vetustissimos latinos cõmunis fuisse generis, proptereaque dixisse se cum de anicula loqueretur, merito tot mala ferre senem. MER. O rem nobili dignam grãmatico. PE. Lucretium quoq; nimis mihi familiariter deblanditum, quod diceret grammaticos debere à se amari propter morbi similitudinem, omneis enim dementia quadam agi, propterea docuisse me nomen illud potis, apud maiores suos etiam neutri generis vim habuisse, quorum exemplo dixisset, Nec potis est cerni, quod Crassum lumine fertur. At Iuuenalem nimis me grauiter obiurgasse, quod dicerem oleagina virga pueros à me verberari solitos, oportuisse enim ferula illos percuti. Quocirca Arcas Deus monitos facias verbis meis grammaticos omneis, ferula vt vtantur. MER. Faciam libenter, ô Arcadice magister, Sed quis est qui tam te irridet à tergo? illum respice. THE. Ego sum Theanus grammatista. PE. Errasti, grammaticum te non grammatistam debuisti dicere. Addisce igitur. THE. Peccasti, Addisce enim nondum quisquam dixit, Itaque disce addisce nõ dixisse oportuit. PE. Rursum peccasti, dicere enim non dixisse oportebat dici. THE. Et tu rursum peccasti, nam non oportebat, sed oportuit dicendum erat. PE. Prisciano caput fregisti, neque enim erat, sed fuit dicere debueras. THE. Prisciano pedes fregisti, debuisti enim non debueras. PE. Imo debueras, non debuisti. THE. Immo debuisti, non debueras. PE. Immo hoc. THE. Immo illud. PE. Immo ego. THE. Immo tu. PE. Immo bene. The. Immo male, PE. Hei mihi. THE. Hei tibi. MER. Reuerentius grammatici, verbis enim, non manibus contendendum vobis est, Deo præsertim arbitro, Quamobrem bonis & honestis posthac verbis de literatura contendite, Sed benè habet, Tertius vt video adest siue iudex, siue litigator. MEN. Ego diutius Grammaticunculi ineptiolas ferre vestras non queo. THE. At ego insolentiam

tuam laturus hodie nullo ſum modo. Quamobrem, qui tantum tibi tribuas Menicelle dicas velim cur lapidem hunc, petram verò hanc dicimus. Men. Videlicet quod lapis agendi vim habeat, lædit enim pedem, At petra, quod pede teratur, ad patiendi genus tranſit. Mer. Nihil eſt grammatico inſulſius, vide quomodo hi deſipiant. Cùm petra græca ſit dictio, lapis verò fuerit à labãdo dictus tertia immutata litera, quod labent ex eo ambulantium veſtigia. The. Qui de lapide, petraque hoc ſentias, de manu quid mihi reſpondes? Men. An non manus faciendo operi occupata aliquid ſemper patitur? The. At nunc agit cùm te verbero, Hẽ tibi. Men. Heu me miſerum. Quid te miſerum? rationem afferas oportet, cur manus cùm in pugnum coit, cùm verberat, dici hîc nõ debuit? Men. Nihil mihi tecum erit amplius. Quamobrem te oratum Mercuri volo, vt cùm primum Neapolim in opicos perueneris, in eo conuentu qui otioſis fieri diebus ad Arcum ſolet, Iouianum Pontanum conuenias verbisque commonifacias meis, poſthac vt ſit cautior, atque vt curſo à verbo quod eſt curro deducat, non curſito. Panthormitam quoque Antonim acriter increpitato, quod epiſtolutiam diminutione protulerit. Me. At ego Menicelle pro Antonio hoc tibi reſpondeo. Italiam linguam non modò nouas diminutiones feiſſe, verum etiam augentium vocum formas quaſdam inuenisse detrectationis, ac ignominiæ gratia. Quocirca Antonij nomine tantum grammaticonem valere iubeo. Tu vero Pedane, an quid habes præter cætera eruditióne dignum tua? PE. Vnum hoc, Boetium non à Boëtia in qua ipſe natus non fuerit, dictum, ſed agnomentum hoc illi fuiſſe à veſcenda Boum carne, quod ipſius me Boetij cocus docuit. MER. Per Iouem mira agnominatio: tu quid ad hæc Theane? THE. Eijciendos hæreditate Pedani liberos, eius bona publicè vendenda, redibendamque auditoribus, quam Pedanus ab illis acceperit pecuniam. MER. Atqui ego tuis vel maximè liberis cauendum præiudicium hoc cenſeo.

SCHO-

# SCHOLIA BARLANDI IN Dialogum Pontani.

*Phasellus ille.* Velox nauigium atq; oblongum.

*Maia genite.* Mercurius Iouis filius ex Maia Athlantis filia. Vergil. 1. lib. Aenei, Maia genitum demisit ab alto.

*Vergilium nuper.* Politianus in Miscellanis contendit Vergilius per e scribendum esse, sed reclamant huic sententiæ magni nominis autores.

*Cados.* Vasa quibus vina condimus, duas continent vrnas.

*Aeneæ Acestes.* Locus est apud Vergilium in primo Aeneid. Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes littore Trinacrio, dederatq; abeuntibus.

*Ex Aeneæ vinario.* Vinario dixit, pro vini venditore.

*Momenta duo, ac semiatonum.* Ridiculè hoc addit de momentis ac semiatomo.

*Caietam Aeneæ nutric. dix.* Hoc dixit initio septi. Aene. his versibus. Tu quoque littoribus nostris Aeneia nutrix, Aeternam moriens famam Caieta dedisti.

*In terram descendisset.* Quidam scribunt tera per vnicum r, vt videri possit à tero deductum nomen, quod pedibus teratur.

*Palamede.* Hic cum cæteris venit Græciæ populis ad Troiam euertendam, oppressus tandem Vlysse accusatore, qua de re Vergilius primo Aeneid. Quem falsa sub proditione Pelasgi insontem infando indicio, quia bella vetabat, demisêre neci.

*Litteratoribus.* Non literatis, sed literatoribus dixit, hoc est sciolis, qui se pro doctis ostentant, quum nihil sint minus.

*Teram Italiam.* Aulo Gellio est vsitatissimus hic sermo Habet ille: Qui ortus terra Hispania foret. Quumq; Hannibal terram Italiam laceraret, Philippus Amintæ filius terrę Macedoniæ rex. Eos dixisse hominem quum inde irent in terra Italia fuisse.

*Italiam attigisset.* De appulsu Aeneæ in Italiam Vergilius initio libri septimi: Terræq; aduertere proras imperat, & lætus fluuio succedit opaco.

*Atlantiade.* Nam erat Atlantis nepos ex filia.

*Campania.* Regio est amœnissima totius Italiæ, sic à cãpis nominata virentibus.

*Præconis patris.* Horatius natus est patre Libertino & præcone.

*Scriptum reliquisset.* Commentarios rerum à se gestarũ ita exorditur Cæsar: Gallia est omnis diuisa in partes treis, quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur.

*Carros.* Legi apud Cæsarem, at quærenti mihi locus, vt sit, non obtulit sese.

*A Tibullo Albio.* Hic eques Rom. fuit, & scriptor Elegiarum, extinctus virenti adhuc ætate. Cuius tam immaturum obitum deflet Ouidius Elegia quæ hoc initio legitur: Memnona si mater, mater plorauit Achillem, Et tangunt magnas tristia fata deas.

*Merito tot mala ferre senem.* Sic est apud Tibullum de anicula Hanc animo gaudente vident, iuuenumq; cateruæ. Commemorat merito tot mala ferre senem.

*Archadice magister.* Respexit ad illud quod Pedanus dixerat: Arcas deus, Archadice hic perinde significat, ac si diceret asine. Grandes enim asinos gignit Archadia.

*Peccasti addisce.* Ridicula est Grammaticorum rixa.

*Prisciano ca. fregisti.* Ita loquimur quoties quispiam aliter dicit, quam præcipiunt grammatici.

*Grammaticunculi.* Aptissimum loco diminutiuum.

*At nunc agit cum te verbero.* Facetissimè.

*Opicos.* Opici Campaniæ populi à linguæ colluuione sic nominati, in his numerantur & Neapolitani.

*Otiosis fieri diebus.* Dies ociosos dixit, quibus nihil fiat operis.

*Tantum grammaticonem.* Ironicè.

*Redibenbam.* Redhiheo verbum iureconsultorum. Est facere vt habeat venditor, quod habuerat. Et redhibitio est ipse restitutionis actus. *Red-*

*Redhibendamq; auditoribus*. Si vlli pręceptores redhibere debeant pecuniam à discipulis acceptam, certe ij debent, qui dialecticen, reliquarum ducem & stabilitricē artium, Medicinam, Leges, Theologiam, cæterasq; disciplinas hodie sic renascentibus literarum studijs, tam barbarè, ac illatinè tradunt, vt eos non audiuisse pręstiterit. Pecunia & ab his redibenda magistris, qui nihil docentes cognitu dignum pueros assidue ferulis, virgis, lorisque conscindunt. In talis opinor incidisse Tyranni manus puerum illum de cuius literarium in ludum quotidie itantis hypocrisi, noster Pontanus rem maximè ridiculam scribit, quam hic subijciam, vt in his commentarijs grata, iucunda sint ac lepida omnia, Sic habet ille. Adolescentibus nobis puer haud malæ indolis à patre missus est literarium in ludum. Is quo patri, appareret literis deditior, sensimq; patrem diuerteret ab incepto, dum veretur, ne vehementiorem ob operam in ægritudinem filius ipse incideret, è fabæ polline tenuissimum in modum contritæ, cœpit mane sibi vultum afflatim inspergere, magna arte adhibita. Quod dum aliquot à filio cōtinuatur diebus, animaduertit pater os eius subflauescere, atq; illi metuens, an benè se, an satis valide haberet sciscitatur, respondet ille & benè, & valide, ac tum vehementius multo quàm ante literis incumbit, multum noctu vigilat, matutinus è lecto surgit, totūq; sese ad libros conuertit, ac nihilominus singulis diebus plusculum è polline in faciem insufflat, atq; non ita multo post, languere se simulat. Quo cognito pater vetuit illum ex eo ad grammaticum proficisci, malle enim filium sibi illiteratum viuere, quam ob causam literarum in tenera eum ætate amittere.

# IOCORVM LIBER TERTIVS.

## IOCI EX OPERE EPIGRAMMATVM MARTIALIS.

### AD FIDENTINVM.

*Nostris versibus esse te Poetam*
*Fidentine putas, cupisq; credi.*
*Sic dentata sibi videtur Aegle*
*Emptis oßibus indicoq; cornu*
*Sic quæ nigrior est cadente moro*
*Cerussata sibi placet Lycoris*
*Hac etiam ratione qua Poeta es*
*Caluus cùm fueris, eris comatus.*

### Ad Flaccum.

*Litigat & podagra, Diodorus Flacce laborat,*
*Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra est.*

### Ad Eliam.

*Si memini fuerant tibi quattuor Elia dentes*
*Expuit vna duos tußis, & vna duos.*
*Iam secura potes totis tußire diebus,*
*Nil istic quod agat tertia tußis habet.*

### De Acerra.

*Hesterno fetere mero qui credit Acerram,*
*Fallitur in lucem, semper Acerra bibit.*

### Ad Bassam.

*Ventris onus misero, non te pudet, excipis auro,*
*Bassa bibis vitro, carius ergo cacas.*

### Ad Fidentinum.

*Quem recitas meus est ô Fidentine libellus,*
*Sed malè cum recitas, incipit esse tuus.*

### Ad Olum.

*Cana est barba tibi, nigra coma, tingere barbam*
*Non potes, hæc causa est, sed potes Ole comam.*

In Gar-

## Ad Gargilianum.

*Munera quod ſenibus, viduiſq; ingentia mittis,*
*Vis te munificum Gargiliane vocem?*
*Sordidius nihil eſt, nihil eſt te ſpurcius vno,*
*Qui potes inſidias dona vocare tuas.*
*Sic auidus fallax indulget piſcibus hamus,*
*Callida ſic ſtultas decipit eſca feras.*
*Quid ſit largiri, quid ſit donare docebo*
*Si neſcis, dona Gargiliane mihi.*

## Ad Fidentinum.

*Fama refert noſtros te Fidentine libellos,*
*Non aliter populo quàm recitare tuos.*
*Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam,*
*Si dici tua vis, hæc eme ne mea ſint.*

## De Philæni.

*Oculo Philænis ſemper altero plorat,*
*Quo fiat iſtud quæritis modo? luſca eſt.*

## Ad Velocem.

*Scribere me quereris Velox epigrammata longa,*
*Ipſe nihil ſcribis, tu breuiora facis.*

## Ad Sextum.

*Sexte nihil debes, nil debes Sexte fatemur,*
*Debet enim ſi quis ſoluere Sexte poteſt.*

## In Selium.

*Quod fronte Selium nubila vides Ruffe*
*Quod ambulator porticum terit ſerus.*
*Lugubre quiddam quod tacet piger vultus,*
*Quod penè terram tangit indecens naſus.*
*Et dextra pectus pulſat, & comam vellit.*
*Non ille amici fata luget aut fratris,*
*Vterq; natus viuit, & precor viuat.*
*Salua eſt & vxor, ſarcinæque, ſeruiq;*
*Nihil colonus villicuſque decoxit,*
*Mœroris igitur cauſa quæ eſt? domi cænat.*

## In Poſthumum.

*Eſſe quid hoc dicam quod olent tua baſia myrrham*
*Quodque tibi eſt ſemper non alienus odor?*
*Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod oles bene Poſthume ſemper,*

*Posthume non bene olet, qui benè semper olet.*

In Posthumum.

*Basia das alijs, das posthume dextram,*
*Dicis vtrum mauis elige, malo manum.*

In Nasicam.

*Inuitas tunc me quum sis Nasica vocatum.*
*Excusatum habeas me rogo, cœno domi.*

In Ruffum.

*Esse negas coctum leporem, poscis que flagella.*
*Mauis Ruffe cocum scindere quàm leporem.*

In Ponticum.

*Nos bibimus vitro, tu myrrha Pontice, quare?*
*Prodat perspicuus ne duo vina calix.*

Ad Gelliam.

*Si quando leporem mittis mihi Gellia dicis*
*Formosus septem Marce diebus eris.*
*Si non derides, si verum lux mea narras*
*Edisti nunquam Gellia tu luporem.*

De Paulo.

*Carmina Paulus emit, recitat sua carmina Paulus.*
*Nam quod emas, possis dicere iure tuum.*

De Thaide & Lecania.

*Thais habet nigros, niueos Lecania dentes.*
*Quæ ratio est? emptos hæc habet, illa suos.*

De Philone.

*Nunquam se cœnasse domi Philo iurat, & hoc est*
*Non cœnat quoties nemo vocauit eum.*

In Nestorem.

*Auriculam Mario grauiter miraris olere*
*Tu facis hoc, garris Nestor in auriculam.*

In Lentinum.

*Mentiris iuuenem tinctis Lentine capillis*
*Tam subito coruus, qui modo cygnus eras:*
*Non omnes fallis, scit te Proserpina canum,*
*Personam capiti detrahet illa tuo.*

In Inuitatorem.

*Veientana mihi misces, tibi Maßica potas*
*Olfacere hæc malo pocula quàm bibere.*

De Fabulla.

*Iurat capillos esse quos emit suos*
*Fabulla nunquid Paule peierat?*

Ad Gaurum.

*Munera quæ tibi dat locupleti Guare senique*
*Si sapis & sentis, hic tibi ait morere.*

In pessimos coniuges.

*Quum sitis similes, paresque vita*
*Vxor pessima, pessimus maritus*
*Miror non benè conuenire vobis.*

In Gelium.

*Gelius ædificat semper modo limina ponit,*
*Nunc foribus claues aptat, emitque seras.*
*Nunc has nunc illas mutat, reficitque fenestras*
*Dum tamen ædificet quidlibet ille facit*
*Oranti nummos vt dicere possit amico*
*Vnum illud verbum Gelius, ædifico.*

In Maronem.

*Nil mihi das viuus, dicis post fata daturum,*
*Si non es stultus, scis Maro, quid cupiam.*

In Zoilum.

*Mentitur qui te vitiosum Zoile dixit,*
*Non vitiosus homo es Zoile, sed vitium.*

In Posthumum.

*Omnia promittis quum tota nocte bibisti*
*Mane nihil præstas, Posthume manè bibe.*

Ad Celerem.

*Vt recitem tibi nostra rogas epigrammata, nolo,*
*Non audire Celer, sed recitare cupis.*

In Leliam.

*Dentibus atque comis, nec te pudet vteris emptis*
*Quid facies oculo Lelia? non emitur.*

In Theselinum.

*Quum rogo te nummos sine pignore, non habeo inquis,*
*Idem si pro me spondet agellus, habes.*
*Quod mihi non credis veteri Thelesine sodali.*
*Credis colliculis arboribusque meis.*
*Ecce reum Carus te detulit, adsit agellus,*

Exilij

*Exilij comitem quæris, agellus eat.*

In Cinnam.

*Versiculos in me narratur scribere Cinna,*
*Non scribit, cuius carmina nemo legit.*

Eiusdem in Crispum comedonem.

*Quadrantem Crispum tabulis Faustine supremis*
*Non dedit vxori, cui dedit ergo? sibi.*

Eiusdem in malum medicum Hermocratem.

*Lotus nobiscum est, hilaris cœnauit, & idem*
*Inuentus manè est mortuus Andragoras.*
*Tam subitæ mortis causam Faustine requiris,*
*In somnis Medicum viderat Hermocratem.*

Eiusdem in Candidum.

*Prædia solus habes, & solus Candide nummos*
*Aurea solus habes, Myrrhina solus habes.*
*Maßica solus habes, & opimi Cecuba solus,*
*Et cor solus habes, solus & ingenium.*
*Omnia solus habes, hoc me puto velle negare,*
*Vxorem sed habes Candide cum populo.*

Eiusdem.

*Vxorem quare locupletem ducere nolim,*
*Quæritis? vxori nubere nolo meæ.*
*Inferior matrona suo sit Prisce marito,*
*Sic etenim fiunt fœmina, virque pares.*

In priscum.

*Quum te non nossem, dominum regemque vocabam,*
*Quum benè te noui iam mihi Priscus eris.*

In Causidicum.

*Carpere causidicus fertur mea carmina, qui sit*
*Nescio, si sciero, væ tibi causidice.*

In fictos amicos.

*Hunc quem cœna tibi, quem mensa parauit amicum*
*Esse putas fidæ pectus amicitiæ?*
*Aprum amat, & mullos, & sumen, & ostrea, non te,*
*Tam bene si cœnem, noster amicus eris.*

Ad Macrum.

*Dum donas Macer annulos puellis*
*Desisti Macer annulos habere.*

### Ad Pontilianum.

*Cur non mitto meos tibi Pontiliane libellos?*
*Ne mihi tu mittas Pontiliane tuos.*

### Ad Aulum de Lusco.

*Potor nobilis Aule lumine vno*
*Luscus Phryx erat, alteroque lippus.*
*Huic dicit medicus, bibas caueto*
*Vinum si biberis nihil videbis.*
*Ridens Phryx, oculo valebis, inquit.*
*Misceri sibi protinus deunces,*
*Sed crebros iubet, exitum requiris,*
*Vinum Phryx, oculus bibit venenum.*

### In Marcum.

*Quod non sit Pylades hoc tempore, non sit Orestes*
*Miraris? Pylades Marce bibebat idem.*
*Nec melior panis, turdusve dabatur Oresti,*
*Sed par, atque eadem cœna duobus erat.*
*Tu Lucrina voras, me pascit aquosa Peloris,*
*Non minus ingenua est, & mihi Marce gula.*
*Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit.*
*Vis te purpureum Marce sagatus amem?*
*Vt præstem Pyladem, aliquis mihi præstet Orestem,*
*Hoc non fit verbis, Marce vt ameris ama.*

### Ad Cinnam.

*Profecit poto Mitridates sæpe veneno*
*Toxica ne possent sæua nocere sibi.*
*Tu quoque cauisti cœnando tam male semper*
*Ne posses vnquam Cinna perire fame.*

### Ad Stellam.

*Quod non argentum, quod non tibi misimus aurum,*
*Hoc facimus causa Stella diserte tua.*
*Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti,*
*Fictilibus nostris exoneratus eris.*

### In Gelliam.

*Dum proauos, atauosque refers, & nomina magna*
*Dum tibi noster eques sordida conditio est,*
*Dum te posse negas nisi lato Gellia clauo*
*Nubere, nupsisti Gellia cistifero.*

### Ad Paulinum.

*Minxisti currente semel Pauline Carina,*
*Meiere vis iterum? iam Palinurus eris.*

### De Afra vetula.

*Mammas atque tathas habet Afra, sed ipsa tatharum*
*Dici & mammarum maxima mamma potest.*

### Ad Mathonem.

*Hospes eras nostri semper Matho Tiburtini,*
*Hoc emis, imposui, rus tibi vendo tuum.*

### Ad Neuolam causidicum.

*Quum clamant omnes, loqueris tu Neuole semper,*
*Et te patronum, causidicumque putas.*
*Hac ratione potest nemo non esse disertus,*
*Ecce tacent omnes, Neuole dic aliquid.*

### De Lino.

*Dimidium donare Lino quàm credere totum*
*Qui mauult, mauult perdere dimidium.*

### Ad Fabullum.

*Ignotos mihi quum voces trecentos*
*Quare non veniam vocatus à te*
*Miraris, quererisque litigasque,*
*Solus cœno Fabulle non libenter.*

### In Lentinum.

*Quare tam multis à te Lentine diebus*
*Non abeat febris, quæris & vsque gemis.*
*Gestatur tecum sella, pariterque lauatur,*
*Cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum.*
*Ebria sentino fit sæpe, & sæpe falerno,*
*Nec nisi post niueam Cecuba potat aquam.*
*Circumfusa rosis, & nigra recumbit amomo,*
*Dormit, & in pluma, purpureoque thoro.*
*Quum sic tam pulchre, tam belle viuat apud te*
*Ad Damnam potius vis tua febris eat.*

### In Posthumum.

*Basia dimidio quod das mihi Posthume labro*
*Laudo, licet demas ijs quoque dimidium.*
*Vis dare maius adhuc & inenarrabile munus*
*Hoc tibi habe totum Posthume dimidium.*

## In Classicum.

*Inuitam cœnare foris te Classice dicis,*
*Si non mentiris Classice, disperéam.*
*Ipse quoque ad cœnam gaudebat Apicius ire,*
*Quum cœnaret erat tristior ille domi.*
*Si tamen inuitus vadis, cur Classice vadis?*
*Cogor ais, verum est, cogitur & Selius.*
*En rogat ad cœnam Melior te Classice rectam,*
*Grandia verba vbi sunt? si vires, ergo nega.*

## Ad Lupercum.

*Quod conuiuaris sine me tam sæpe Luperce*
*Inueni noceam qua ratione tibi.*
*Irascor, licet vsque voces, mittasque, rogesque,*
*Quid facies, inquis, quid faciam? veniam.*

## In Phœbum.

*Mentiris fictos vngneuto Phœbe capillos,*
*Et tegitur pictis sordida calua comis.*
*Tonsorem capiti non est adhibere necessum,*
*Radere te melius spongia Phœbe potest.*

## Ad Seuerum.

*Potaui modo consulare vinum,*
*Quæris quàm vetus atque liberale.*
*Ipso consule conditum, sed ipse*
*Qui ponebat, erat Seuere consul.*

## In Cinnam.

*Hoc agere est causas, hoc dicere Cinna diserte,*
*Horis Cinna decem dicere verba nouem.*
*Sed modo clepsydras ingenti voce petisti*
*Quattuor, ô quanto Cinna tacere potes.*

## In Zoilum.

*Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus,*
*Rem magnam præstas Zoile si bonus es.*

## De Tongiliano.

*Tongilianus habet nasum, scio, non nego, sed iam*
*Nil præter nasum Tongilianus habet.*

## In Turcam.

*Exigis vt nostros donem tibi Turca libellos,*
*Non faciam, nam vis vendere, non legere.*

Porri sectini.

*Fila Tarentini grauiter redolentia porri*
*Edisti quoties, oscula clausa dato.*

Candelabrum ligneum.

*Esse vides lignum. Serues nisi lumina fiet*
*De candelabro magna lucerna tibi.*

Dentificium.

*Quid mecum est tibi? me puella sumat;*
*Emptos non soleo polire dentes.*

Pumilio.

*Si solum spectes hominis caput, Hectora credes;*
*Si stantem videas Astianacta putes.*

Ex græco Luscinio Interprete:

*Castoris est nasus ligo quum fodit; huic vbi stertit*
*Arguta est tuba;*
*Nauibus ancora erit nasus mihi. Vomer & aruis;*
*Piscibus est hamus, fuscina carniuoris.*
*Hic scalprum lintres cauat, hinc viti vtile ferrum:*
*Ascia tum fabris, cardoque erit foribus.*
*Breuiter est nactus Castor simul omnia naso*
*Commoda; nam confert vsibus innumeris.*

Horatius.

*Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos*
*Vt nunquam inducant animum cantare rogati;*
*Iniußi nunquam desistant, Sardus habebat*
*Ille Tigellius hoc. Cæsar qui cogere posset*
*Si peteret per amicitiam patris atque suam, non*
*Quicquam proficeret. Si collibuisset ab ouo*
*Vsque ad mala citaret, io Bacche, modo summa*
*Voce, modo hac resonat quæ chordis quattuor ima.*
*Nil æquale homini fuit illi, sæpe velut qui*
*Iunonis sacra ferret, habebat sæpe ducentos,*
*Sæpe decem seruos, modo sit mihi mensa tripes, &*
*Concha salis puri, & toga quæ defendere frigus*
*Quamuis crassa queat, decies centena dedisses*
*Huic parco paucis contento, quinque diebus*
*Nil erat in loculis, noctes vigilabat ad ipsum*

Mane;

*Mane, diem totum stertebat, nil fuit vnquam*
*Sic impar sibi.*

Ex Ausonio ad Philomusum, qui se doctum putabat librorum copia.

*Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est,*
*Doctum grammaticum te philomuse putas.*
*Hoc genere, & chordas, & plectra & barbita conde*
*Omnia mercatus, cras cytharœdus eris.*

In tabulam vbi erat picta imago Rufi Rhetoris.

*Hæc rufi tabula est, nil verius, ipse vbi rufus?*
*In cathedra, quid agit? hoc quod & in tabula.*

De eodem Rufo.

*Reminisco rufus dixit in versu suo*
*Cor ergo versus, immo rufus non habet.*

De his qui putant *reminisco* esse Latinum.

*Qui reminisco putat se dicere posse latinè*
*Hic vbi co scriptum est, faceret cor, si cor haberet.*

De infausto matrimonio grammatici.

*Arma virumq; docens atque arma virumque peritus*
*Non duxi vxorem: sed magis arma domum.*
*Namque dies totos: totasque ex ordine noctes*
*Litibus oppugnat meque meumque larem.*
*Atque vt perpetuis dotata à marte duellis*
*Arma in me tollit: nec datur vlla quies*
*Iamque repugnanti dedam me: vt denique victum*
*Iurget ob hoc solum iurgia quod fugiam;*

In cæcum & claudum ex gręco.

*Insidens cæco graditur pede claudus vtroque*
*Quo caret alteruter sumit ab alterutro.*
*Cæcus namque pedes claudo gressumque ministrat*
*At claudus cæco lumina pro pedibus.*

IOCI EX OPERE EPIGRAMMATVM Viri doctiss. Thomæ Mori.

Thomæ Mori in auarum.

*Murem Asclepiades vt apud se vidit auarus,*
*Mus quid in æde facis, dixit, amice mea,*

Mus

*Mus blande arridens, tolle, inquit, amice timorem*
*Hic ego non victum quæro, sed hospicium.*

In Rhetorem infantem scitè pictum è Græco.

*Ipse tacet sexti meditatur imago,*
*Ipsa est rhetor imago, ab imagine rhetor imago est.*

In cæcum & claudum mendicos.

*Claudipedem gestat, cæcis vicinus ocellis,*
*Conducitque oculos arte, locatque pedes.*

De astrologo ridiculo.

*Non Cumæa sacro vates correpta furore,*
*Certius afflata mente futura videt,*
*Quam meus astrologus diuina clarus in arte*
*Præuidet inspecto sydere præterita.*

Aliud in eundem.

*Quid inter alta stulte quæris sydera*
*In humo manentis coniugis mores tuæ?*
*Quid alta spectas? infiet, id est cui tu times?*
*Dum iam tu, agat quid illa, quæris in polo.*
*Hæc quæ libebat, interim egit in solo.*

In vxores.

*Res vxor grauis est, poterit tamen vtilis esse*
*Si sua det propere se moriente tibi.*

In anglum gallicæ linguæ affectatorem.

*Amicus & sodalis est Lalus mihi,*
*Britanniaque natus, altusque insula.*
*At cum Britannos Galliæ cultoribus*
*Oceanus ingens, lingua mores dirimant.*
*Spernit tamen Lalus Britannica omnia*
*Toga superbit ambulans in Gallica*
*Amatque multum Gallicas lucernulas,*
*Zona, locello, atque ense gaudet Gallico,*
*Filero, bireto, pileoque Gallico,*
*Et calceis, & subligare Gallico*
*Totoque denique apparatu Gallico*
*Nam & vnum habet ministrum, eumque Gallicum.*
*Sed quem (licet velit) nec ipsa Gallia*
*Tractare quiret plus (opinor) Gallice,*
*Stipendij nihil dat, atque id Gallice,*

*Vestit-*

*Vestitq; tritis pannulis, & Gallicè hoc.*
*Alit cibo paruo, & malo, idque Gallicè,*
*Labore multo exercet, atque hoc Gallice;*
*Pugnis crebro pulsat, idque Gallicè.*
*In cetu & in via, & foro, & frequentia,*
*Rixatur, obiurgatque semper Gallicè.*
*Quid? Gallicè illud? imo semigallicè.*
*Sermonem enim (ni fallor) ille Gallicum*
*Tam callet omnem, quàm latinum psytacus.*
*Crescit tamen, sibique nimirum placet.*
*Verbis tribus, si quid loquatur Gallicis.*
*Aut Gallicis si quid, nequit vocabulis,*
*Conatur id, verbis licet non Gallicis,*
*Canoreq; saltem personare Gallico,*
*Palato hiante, acutulo quodam sono*
*Et fœminæ instar garrientis molliter*
*Sod ore pleno, tanquam id impleant fabæ,*
*Balbutiens videlicet suauiter*
*Preßis quibusdam literis. Galli quibus*
*Ineptientes abstinent, nil secus,*
*Quam vulpe gallus rupibusq; nauita.*
*Sic ergo linguam ille & latinam Gallicè,*
*Et Gallicè linguam sonat Britannicam.*
*Et Gallicè linguam refert Lombardicam.*
*Et Gallicè linguam sonat Germanicam.*
*Et Gallicè omnem, præter vnam Gallicam.*
*Nam Gallicam solam sonat Britannica.*
*At quisquis insula satus Britannica,*
*Sic patriam insolens fastidiet suam,*
*Vt more simiæ laboret fingere,*
*Et æmulari Gallicas ineptias,*
*Et amne Gallo ego hunc opinor ebrium.*

## In parcum morientem.

*Chrysalus heu moritur diues, dolet, ingemit, vnquam*
*Nemo magis tristi pectore fata tulit.*
*Non quoniam ipse perit, cui nil se vilius ipso est*

*Sed nummi pereunt quatuor in tumulum.*

In fatuum è Græco.

*Quem mordent pulices extinguit Morio lychnon*
*Non me,* inquit, *cernent amplius hi pulices.*

In mulierem fœdam è Græco.

*Te speculum fallit, speculum nam Gellia verum*
*Si semel inspiceres, nunquam iterum inspiceres.*

In barbatum tum Philosophum è Græco.

*Si promissa facit sapientem barba, qui dobstat*
*Barbatus poßit quin caper, esse Plato?*

In mendicum gerentem se pro medico.

*Tu te fers medicum, nos te plus esse fatemur,*
*Vna tibi plus est litera, quàm medico.*

In Ruscum equitem imbellem.

*Ruscus eques prudens longoq; peritus ab vsu,*
*Dißimiles, causa non sine, pascit equos.*
*Namq; alit ille duos, volucrem præuerterit alter.*
*Alter sed pigro, pigrior est asino.*
*Hic ergo non festinantem ad prælia defert,*
*Ille prius tuba quàm clanxerit, inde refert.*

In Gelliam.

*Mentitur qui te dicit mea Gellia fuscam,*
*Iudice me non es Gellia fusca, nigra es.*

In vehementer nasutum è Græco.

*Si tuus ad solem statuatur nasus, hiante*
*Ore, benè ostendis dentibus, hora quota est.*

In Andream in mare vomentem.

*Gratus es Andrea, dignusq; cui benè fiat,*
*Nam pisces toties qui te pauere, repascis.*

Ad Gallum sublegentem veterum carmina.

*Vatibus idem animusque, & verè spiritus idem*
*Qui fuit antiquis est modo Galle tibi.*
*Carmina namq; eadem, versusque frequenter eosdem,*
*Quos fecere illi, tu quoque Galle facis.*

De febricitante medico bibaci.

*Febre laboraret mihi quum puer Hemitritæo.*
*Forte ibi Sauromatæ posco mendentis opem.*
*Sensit vt admoto saliente pollice venam,*

Fortiùs,

*Fortis, ait, calor est, sed calor ille cadet.*
*Flagitat ergo cyphum, fundumq; exhaurit ad imum.*
*Quantum nec Bitias ebibiturus erat,*
*Haurit, ad æqualeis ægrotum prouocat haustus*
*Et facere hoc temerè ne videatur, ait:*
*Aestuat hic valde, valde bibat ergo necesse est,*
*Non paruo obruitur magna liquore pyra.*

De Bollano.

*Vrticis lectum Bollano vrentibus omnem*
*Insternunt socij, quum cubiturus erat,*
*Sed tamen vrticis vstum negat, haud negat illas*
*In tenebris nudum se reperisse tamen,*
*Vnguibus aut igitur vitata carne necesse est:*
*Aut nudis tantum dentibus inciderint.*
*Cum tamen in tenebris illæsus repperit herbas,*
*Vrticas qua nam repperit esse nota?*

Ad Candidum laudantem, bonos viros, cum ipse esset malus.

*Sæpe bonos laudas, imitaris candide nunquam,*
*Laudo, inquis, posita candidus inuidia*
*Nam quicunq; bonos imitatur, & æmulus idem est:*
*O lacte, ô niuibus candide candidior.*

De rege & rustico.

*Rusticus in syluis nutritus venit in vrbem.*
*Rusticior fauno, rusticior satyro.*
*En populus plena stetit hinc, stetit inde platea.*
*Vnaq; vox tota, Rex venit, vrbe fuit.*
*Rusticus insolita vocis nouitate mouetur,*
*Quidnam ita respectet turba, videre cupit.*
*Rex subito inuehitur, celebri præeunte caterua.*
*Aureus excelso conspiciendus equo.*
*Tum verò ingeminant, viuat rex, vndique regem*
*Attonito populus suspicit ore suum.*
*Rusticus. O vbi rex? vbi rex est? clamat, at vnus,*
*Ille, ait, est, illo qui sedet altus equo.*
*Hiccine rex? puto me derides, rusticus, inquit.*
*Ille mihi picta veste videtur homo.*

De principe & rustico Selando ridiculum.

*Qum spectaret aquas princeps, in ponte resedit.*
*Primoresque suos ante stetêre pedes.*
*Rusticus adsedit, modico tamen interuallo.*
*Ciuilemque dato se putat esse loco.*
*Suscitat hunc qaidam, & cum principe, dixit, eodem*
*Ponte sedere audes rustice? non te pudet?*
*Ille refert, scelus est in eodem ponte sedere?*
*Quid si pons longus millia dena foret.*

De aulico ridiculum.

*Qum descendit equo, de circumstantibus vni*
*Aulicus hunc teneas quisquis es inquit, equum.*
*Ille vt erat pauidus, dixit, domine ego ferocem*
*Hunc rogo qui teneat, sufficit vnus, equum?*
*Vnus ait potis est retinere, subintluit ille,*
*Si potis est vnus, tu potes ipse tuum.*

Erasmi carmen dc nummo.

*Vt quicquid cupis assequare Lesbi,*
*Non magnos opus est pares patronos*
*Si rubris tumeat crumena nummis,*
*Nummo non melior patronus vllus.*
*Sin verò tibi desit ille tutor*
*Nequicquam mihi crede amice Lesbi*
*Facundus Cicero patrocinetur.*
*Persuadet citius nihil crumena,*
*Hac quæcunque voles fies repentè*
*Facundus, generosus, atque bellus.*
*Hac & consuleris & Imperator.*
*Hæc te si cupies Deum creabit.*
*Equabitque Ioui, sed vt tumentes,*
*Cessabit loculos grauare nummus,*
*Fies rursus eras quod ante Lesbi.*
*Tam gratus venies tuis amicis*
*Quàm primùm puto parsimoniarum*
*Aduentare diem, his, madens lagena*
*Quos & semper olens iuuat culina.*
*Sic sic dum loculos habere Lesbi*
*Cessas, desinis esse charus. Eia*
*Desijsti dare, desijsti amari.*

# SCHOLIA ADRIANI BARLANDI IN IOCOS MARTIALIS.

## *In carmen, Ad Fidentinum.*

SIC *dentata sibi videtur Egle*. Egle mulieri dentes exciderant omnes quæ dentata videbatur quum dentes sibi emisset eburneos. *Indicoque cornu*, ex ebore vel elephanto. *Cadente moro*, postquam maturuit. Hyperbole est, vt huic contrarium Niue candidior. *Cerussata*, candidior. Nam cerussa inter colores fictitios ponitur. *Eris comatus*, Cuiuspiam emptis crinibus.

## *Ad Flaccum.*

*Litigat & Podagra*. Quum Podagræ multum esset Flaccus obnoxius, & nihil vnquam daret causam suam in iudicio defendenti, iocans dicit non podagra eum laborare, sed chiragra. Podagra pedes: chiragra manus infestat.

## *Ad Eliam.*

*Si memini*. Eliam ridet anum cui reliquos dentes quatuor tussis excusserat.

## *De Acerra.*

Carpit Acerram cui mos erat semper in lucem vsque, hoc est absumpto frequenter ad pocula die rursus à solis occubitu, vsq; ad alterum solem orientem bibere, vnde qui mane illi occurrerent, putabant eum olere vino, quod pridie largius hausisset.

## *Ad Bassam.*

Iocatur in Bassam exonerantem in auro, & bibentē è vitro. *Misero*, quod in eos vsus quæsitum erat. Elius Lāpridius de Heliogabalo imperatore idem scripsit onus ventris auro eum excipere.

## *In carmen, ad Gargilianum.*

Notat Gargilianum heredipetam qui senibus donabat & viduis, ab illis non multo post morituris, maiora expectans. *Indulget*, Escam dat. *Callida*, Fraudis plena. *Largiri*, Est muneribus corrumpere. Largitur qui dat vt maiora recipiat. *Dona mihi*. Quod mihi dabis planè donatum erit, nihil enim reddere possum.

*In carmen, Ad Sextum.*

*Sexte nihil debes*, Iactabat hic Sextus nihil se cuiquam debere, vnde iocandi ansam Martialis arripiens. Credimus, inquit ô Sexte nihil te debere, Nam debere cēsetur qui soluendæ rei est.

*In carmen, Quod fronte Selium.*

Ad ruffum scribit in Selium cœnipetam. *Terram tangit indecens nasus.* Hic lugentium habitus esse solet. *Villicus decoxit.* Non colonus, non villicus eius ob æs alienū fugit. Id quod hodie frequenter à mercatoribus istis magno multorum malo fieri videmus.

*In carmen, nos bibimus vitro.*

Notatur qui aliud sibi, aliud conuiuis vinum apponebat. *Duo vina.* Optimum & pessimum.

*In carmen, si quando leporem.*

*Formosus septem Marce diebus eris.* Erasmus in Chiliadibus antiquitus, inquit, superstitiosè creditum est, esu leporinæ pulpę conciliari formam. Vnde extat iocus Martialis in Gelliam quæ misso lepore addebat ex vulgata opinione ad muneris commendationem. Formosus septem Marce diebus eris. Id poeta in ipsam retorquens quę deformis esset: Si me non fallis (inquit) si verum lux mea dicis, Edisti nunquam Gellia tu leporem.

*In carmen, Auriculam Mario.*

Mario auricula malè olebat ob grauem odorem Nestoris.

*In carmen, Mentiris iuuenem.*

*Personam capiti detrahet illa tuo.* Hominum aspectus falli potest, naturæ lex non potest.

*In carmen, Nil mihi das.*

*Sic Maro quid cupiam.* Scis me cupere vt quam primum moriaris.

*In carmen, dentibus atque comis.*

Lelia quum anus esset accersito capillitio, & emptis dentibus puella videri volebat, sed amissi oculi deformitatem occultare non potuit. In hunc igitur poëta iocatur.

*In carmen, Quadrantem Crispus.*

*Qui dedit ergo? sibi.* Nam deuorauerat & commessando pro-

profuderat omnia.

*In carmen, Lotus nobiscum est.*

*In somnis viderat Hermocratem.* Quid mordacius dici potuit in medicum imperitum, qui non solum potionibus & catapotijs, sed etiam aspectu suo necabat?

*In carmen, Prædia solus habes.*

*Et opimi cecuba solus.* Budeus in commentario de asse adnotauit de vino Opimiano, quod L. Opimio consule natum sit longè optimum, hoc anno ea cœli temperies fulsit solis opere.

*In carmen, Quum te non nossem.*

*Dominum, regemq; vocabam.* Qui ignoti occurrerẽt eos antiqui dominos ac règes vocabant. Ad quam agendi consuetudinem Poëta respiciens iocatur in Priscum, innuens honorabilius eum amisisse nomen postquam notior factus est. Latentem aliquem morsum continere mihi videtur.

*In carmen, Dum donas.*

*Desisti.* Ita enim censum minuisti equestrem positis annulis.

*In carmen, Potor nobilis.*

*Oculo valebis inquit*, Peribis. *Oculis bibit venenum.* Nam perijt illi.

*In carmen, Quod non sit Pylades.*

Mirabatur Marcus non esse suis temporibus par amicorum, quales inter se fuisse traduntur Pylades & Orestes, & Martiali obijciebat quod ab eo non ameretur. Martialis ostendit non sua id fieri culpa, sed Marci, quoniam solus fruatur suis, neq; quicquam alijs impartiat, quum amicorum debeant esse communia omnia.

*Te Cadmea Tyros.* Id est, purpura. *Pinguis Gallia.* Pingue sagum Gallicum. *Hoc non fit verbis.* Sed iuxta Pythagoræ doctrinam communicatis opibus.

*Vt ameris ama.* Si à nobis amari velis, fac mihi sint domi communia tecum.

*In carmen, Profecit.*

Mitridates Ponti rex ille anatis Ponticæ quibusdam medi-

medicamentis immixtum ſanguinem aduerſus venena remedium ſumebat, anas enim Põtica venenis veſcitur. Hac conſuetudine igitur effecit, vt ſi quando venenũ inter epulas ſumpſiſſet imprudens, minimè læderetur.

*Tu quoq; cauiſti.* Hic Cinnam ridens malè cœnantem, Quemadmodum Mitridates, inquit, ſumpto anatis ſanguine reddidit omni ex parte tutum aduerſus venena corpus, ita tu quoq; ô Cinna tenui cœna contra famem remedia paras.

*In carmen, Dum proauos.*

Deridet Gelliam, quę natales ſuos iactans contemnebat equitem, negabatq; ſe nupturam niſi multum claro ac diuiti viro: quæ tamen poſtea maritum accepit infimæ ſortis hominem. *Nupſiſti Gellia ciſtifero.* Dicebantur olim ciſtiferi qui obſonia mercede ferebant.

*In carmen, Minxiſti.*

*Iam Palinurus eris.* Palinurus Troianæ claſſis gubernator inſidiante illi ſummo deo ſubmerſus eſt, lege Vergilium in fine quinti Aeneidos.

*In carmen, Mammas atq; tathas.*

Afra quum ad multam ſenectutem proceſſiiſſet, vt adoleſcẽtior videretur, verbis ſolebat vti puellaribus, matrem mammam, patrem tatham appellitans.

*In carmen, ad Mathonem.*

Matho villam emit à Martiale qua perinde ac ſua vti ſolitus fuerat, vnde iocans Poëta, decepi te, inquit. Nam tuum tibi rus vendidi.

*In carmen, Dimidium donare.*

Iocatur in Linum non reddentem mutuum, cuiq; ſit idem donare & credere. hoc eſt mutuum date quando eorum quæ accepit nihil renumerat.

*In carmen, Ignotos mihi.*

*Solus cœno Fabulle non libenter.* Admodum feſtiue dicit ſe ſolum cœnare, quum inter ignotos ſedendum eſt.

*In carmen, Quare tam multis.*

Lentini gulam accuſat qui correptus febri, nullo tamen abſtinebat interim delitiarum genere. *Ad damnam potius.* Erat hic ſordidus quiſpiam & pauperculus.

*In car-*

*In carmen, Basia dimidio.*

Posthumus quidam pessimè olebat, quumq; se hoc sciret vitio laborare, dimidio amicis dabat oscula labro. Martialis dicit non ægrè laturum se, dimidium etiam hoc si adimatur, & ita nullum sibi det osculum.

*In carmen, Inuitum cœnare.*

Classicus libenter foris cœnabat, quod tamen videri volebat admodum facere inuitus. Ad cœnam gaudebat *Apicius ire.* Hic Apicius gulosorum omnium altissimus gurges fuit. *Cogor ais, verum est, cogitur & Selius.* Sed vestra voluntate cognomini. *Cœnam Melior te Classice rectam.* Augusti instituto diuites cœnam rectam dabant, quæ maioris erat liberalitatis & impensæ. *Melior.* Hic erat Attilius Melior quem Cæsaris Domitiani temporibus tantæ fuisse elegantiæ legimus, vt nitidus appellari meruerit.

*In carmen, Quod conuiuaris.*

*Quid faciam veniam.* Ita tuam vlturus auaritiam.

*In carmen, Mentiris.*

Iocus est in Phœbum iam canum, sed canos dissimulantem vnguento.

*In carmen, Potaui.*

*Antiqua vina à consulibus nomen capere solebant.* Iocatur Poëta in eum, qui quum esset consul eo natum anno vinum hoc est mustum conuiuis apposuerat.

*In carmen, Hoc agere est causas.*

Cinna volebat disertus videri causidicus quum tandē causas agere inciperet decem horis vix absoluit verba decem. *Clepsydras ingenti voce petisti Quatuor.* Clepsydras, id est, horas quatuor, quod spatium quum videatur datum ad dicendum. Perurbane Martialis dicit Cinnam impetrasse tot horas quibus tacere possit.

*In carmen, Crine ruber.*

Raro bonos videas qui omnino deformes sunt, vnde Poëta Zoilum ex oris fœditate malum esse suspicatur. *Lumine læsus.* luscus erat.

*In carmen, Tongilianus.*

*Habet nasum.* Tongilianus censor acerrimus ad extre-

mam redactus erat inopiam. Habet igitur nasum, mordacē esse significat. Sed nil præter nasum habet, ad paupertatem eius referemus, vt nihil præter nasum possideat suum. Ex hac de naso ambiguitate Martialis iocatur.

*In carmen, quod Pomilio inscribitur.*

Pomilio, latine nanum significat. *Hectora credas.* Nam magnis sunt capitibus nani. *Astianacta.* Paruum, qualis fuit Astianax Hectoris filius.

*In carmen, Castoris est nasus.*

Deridet hominem egregiè nasutum, & simul commemorat longi nasi commoditates. Eodem modo & apud Erasmum in Colloquijs Pamphagus iocatur in nasum Coclitis veteris compotoris sui.

*In carmen Horatij, Omnibus hoc vitium est cantoribus.*

Vrbanè admodum & facetè Horatius notat inconstantiā Tigellij Hermogenis musici. *Per amicitiam patris.* Id est, Iulij Cæsaris qui pater fuit adoptiuus Augusti.

*Ab ouo vsq; ad mala.* Prouerbiali figura dixit Horatius pro eo quod est ab initio conuiuij vsq; ad finem. Antiqui enim cœnam ab ouis auspicabantur, & malis finiebant.

*Quinq; diebus nil erat in loculis.* Quinq; diebus dixit, pro post quinq; dies.

Ludolphi Scamelardi carmen.

Μηδὲν τερωνώτερον δύνωσαι νεανίσκ᾽ ἀναγνῶναι
Τῶν ὑπὸ βαρλάνδού σοι συνεγραμμένων,
Κεδρά γὰρ ἐστι τὰ παντ᾽ ἔμπησδε γελοῖα πέφανται
Ταῦτ᾽ ἐκ τοῦ συνεχῶς αἰνέσῃ εἰσαθερεῖμ.

Latinum.

*Nil magis excultum, lepidum, purum, atq; facetum,*
*Barlandi inspicies his (mihi crede) iocis.*
*Seria res agitur quamuis liber esse Iocorum*
*Dicitur, & ridens dicere vera potes.*

INSTI-

# DE CHRISTIANI HOMINIS OFFICIO

## APHORISMI HADRIANI BARLANDI RHETORIS LOVANIENSIS,

*Nunc demum à mendis repurgati.*

## IOANNI LAVRENTIO ZIRICEO, BONARVM LITERARVM STVDIOSISSIMO IVVENI, ADRIAN. BARland.

### S. D.

*EX Tornaco, in qua nunc vrbe manes, alumne suauissime, per literas à me petijsti, vt quem audieras me scripsisse de Christiani hominis institutione libellũ, in lucem emitterem. Itaq; quum honestam iudicarem postulationem istam tuam, licet ad incudem reuocare, & expolire non daretur homini occupato, interque res agenti inquietissimas: volui tamen aliorum me potius exponere maledictis, quàm tuo deesse, ac non satisfacere honestißimo desiderio. Quamobrem hanc lucubratiunculam meam nunc ad te mitto, inuidorum detractiones cum hac mea obsequendi facultate pensaturus. Vale, Louanij, Tertio Idus Ianuarias.*

INSTI-

# INSTITVTIO CHRISTIANI HOMINIS, PER ADRIANVM BARLANDVM APHORISMIS DIgesta.

1. *Primæ adolescentiæ qualis esse debeat institutio.*

EXacta in hilaritate, remissioneque ludorũ pueritia, filium parens annum agentem ętatis septimum, ad capessendas literas in scholam deducat. Etsi bonum hunc habere cupiat ex se genitum, non ad luxum (vt vulgus parentum facit hodie) sed ad modestiam educat, non blanditijs emolliat: sed castigationibus cohibeat, piè religioseq; instituat. Plectat, si deliquerit: laudet, si benè obtemperanterq; se gesserit: minis ac verberibus à vitijs deterreat, exhortationibus ad virtutem accendat: magis de filij moribus, quàm sanitate sit solicitus. Præceptoribus committat eum humanis, grauibus, eruditis, non iracundis, non clamosis, non indoctis, non malè etiam moratis. Vbi iam literas & Latinè loqui didicerit: ad ea se studia conferat, quæ animum præceptis instruunt In his Philosophia est: Hæc sola naturam ex bona meliorem, ex mala castigatiorem, correctioremq; facit. Assuescat Christianus & discat honorandum in primis deum, vnde bona cuncta fluxerunt. Discat rationi parere: eamq; ducem ac moderatricẽ sequi in omni vita, in omnibus dictis & factis. Nihil nisi quod honestũ, quod iustũ sit, appetat, aut agat. Cogitationes quoq; ipsas coerceat, quarum etiam rationem est exacturus cordium iudex Deus.

*Hoc est primum, & magnum mãdatum.*

2. *Deum pijs gratificari, malos punire.*

Credis Deo gratam esse iustitiam, eumq; vt cœli terræq; Dominum & conditorem venereris, precibus fatigas assiduis, noctes diesque nomen eius laudibus prosequeris; & id perpetuò agis, vt bonis hunc tibi demerearis &

ris & iustis operibus? Nihil dubites, quin vt potest, ita & gratificari velit. Quid enim huic magis, quàm beneficẽtia conuenit? Rursus quid alienum magis, quàm ingratitudo? Vult igitur piè sanctéq; viuentibus præstare aliquid, ac vicem reponere, ne quis ingratum dicat: vt facinorosis, adulteris, parricidis, raptoribus verè irascitur. Cumque nullum videt esse peccandi finem, exurgit tandem ad sceleribus tot inquinatorum vltionem, deletq; nocentes.

*Iram quandam iustam, vtilem, ac necessariam esse.* 3.

Si serui, liberi, discipuli quos in potestate habemus, delinquunt, irascimur, clamamus, verberibus coercem9. Hæc ira peccatum non est. Bono enim viro non potest non displicere prauum quod est: & cui improbitas displicet, commouetur si quos viderit delinquentes. Exurgit igitur ad vindictam parens. Virgas preceptor expediri iubet, non quod læsus sit ipse, verum vt disciplinam seruet, mores corrigat, licentiam comprimat. Hac iusta ira homines in subditos, & in peccatores ad prauitatis correctionem vtitur Deus.

*Irascimini & nolite peccare*

*Vitiosam esse in peccatis iræ cohibitionem.* 4.

Reprehendendi sunt vehementer, qui in subditorum sceleribus iram cohibent, aut sæpius quàm oportet, aut semper ignoscunt. Per tales, siue patres, siue dominos, siue magistros, & vitam illorum perditur, quorum per intempestiuam eiusmodi lenitatem, ad maiora flagitia nutritur audacia iuuenilis, & qui sic præsunt sibijipsis, perpetuam molestiarum materiam subministrãt. Hic igitur non cohibebimus iram, sed etiam si iaceat, excitabimus.

*Actæ vitæ faciendum esse rationarium.* 5.

Rationarium sibi quisq; faciat eorum quæ acceperit, quæ expenderit, quæ vtiliter beneq; loquutus sit, quòd otiosum verbum protulerit. Quid auditum ab alijs per aurium velut ianuas admiserit. Quin & regulæ quædã siue canones linguæ sunt imponendi: sic, vt prius verba intra os ad limam veniant quàm proferamus sermonẽ. Ita compescenda mens est, ne quid noxium exeat ac pestilens.

ſtilens. Et ſi quid forte illatum foris: id ſtatim abijciendum, ne noceat. Si quid intus natum fuerit: mox id ſtudio, aut pia aliqua cogitatione effugere curabimus.

6.

*Viatica futuræ vitæ paranda.*

Vt qui in longinquam regionem profecti prius aliquanto quàm domum redeant, itineri neceſſaria corradunt, ne fame pereant; ita & nobis in huius vitæ peregrinatione faciendum. Reponenda ſunt bonorum operũ, iuſtitiæ, humilitatis, continentiæ, & cæteratum viatica virtutum: vt quocunq; tempore, quocunque die, quacũque nos hora Deus euocauerit, quod ad patriam ducit iter ingredi, paratos inueniat.

*Et vos eſtote parati. Matth. 25.*

*In hac vita abluendas eſſe peccatorum ſordes.*

7.

Per confeſſionem ablue peccatum tuum Chriſtiane. Qui enim in hac vita quæ peccauerit abluere recuſat: poſtea conſolationem non inueniet. *Poſt mortem enim quis confitebitur domino*: Hic confligendum, hic certandum eſt, niſi quo tempore laborum præmia dabuntur, confundi malis.

*Pſal. 6.*

8.

*Vitandum eſſe ſcandalum.*

*Matth. 5.*

Si virtutem exercueris, videntes id alij non te ſolum laudabunt, ſed & Deum glorificaturi ſunt. Cumq; hæc fecerint & tuæ retributiones augebuntur, & multum tibi bonorum concedet Deus, quod per bonum opus tuũ ab illis laudatur. Stude igitur modis omnibus, ne cui ſis offendiculi occaſio. Paulus dixit: *Si cibus offendit fratrem meum, nunquam in æternum carnem comedam.*

*Sic luceãt opera veſtra. Væ mundo à ſcandalis. 1. Cor. 8.*

*Doctrinæ opera iniungenda eſſe.*

9.

Nemo debet ſeipſo contentus eſſe. Vult enim Deus, vt & alios ædificemus: non doctrina tantum, ſed & vita, & moribus, & conuerſatione. Homines malunt exempla, quàm verba. Non tam obſeruant quæ dicimus, quã quæ facimus. Non tam proſunt benedicta in ſuggeſtu, in ſcholis, in concionibus, quã nocent ea quæ malefacimus. Factis verba qui firmauerit, hic dignus habebitur, vt præſideat alijs, *Beatus, qui fecerit & docuerit.*

*Matth. 5.*

Quæ

*Quæ facienda ieiunanti.*

Vt verum, vt perfectum sit ieiunium tuam iracundiam cohibeas, mansuetus sis ac lenis, cor contritum habeas, concupiscentiam fac repellas. Liberalem te præbeas in danda eleemosyna, nullum malum aduersus fratrem tuum in cor admittas oportet. Huiusmodi fuêre tot sanctorum patrum ieiunia. Sic Hier. sic Anton. sic pleriq; alij in eremo ieiunauerunt. Vulgus se ieiunare existimat, si ante solis occubitum nihil cibi capiatur, aut si pransi nihil postea comedant. Hoc non tantũ quæritur: sed dum ieiunamus, & vestri bellum velut indiximus, ciborum abstinentiæ iungatur, & à cæteris abstinentia, quæ nocere, quæ possunt maximos nonnũquam excitare tumultus. 10.

*Plurimum boni adferre humilitatem.*

Si nos verè humiliauerimus, nunquam ira commouebimur, nunquam proximo succensebimus, nullius famæ obtrectabimus. Beati qui sic se habent: soli in portu nauigant ab omni tempestate liberi, ab omni perturbatione securi: soli affectionibus sopitis, multa requie fruuntur. *A me discite quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* 11. Mat. 11.

*Quid faciendum ieiunare non valentibus?*

Ieiunare non potes? Largius erogato in pauperes: in precibus ad Deum fundendis esto feruentior: ad diuina audienda eloquia, & sacras conciones, alacriorem te præbeto. Inimicum habes? Da operam vt reconcilieris. Omne odium, vindictæ cupiditatem omnem fac ex animo amoueas tuo: mansuetudinem autem & lenitatẽ amplectere. In hoc instituta sunt ieiunia, vt carnis refrenata lasciuia, ad Christi implenda mandata curramus. 12.

*Gult quid afferat malorum.*

Prospera vis vti valetudine? Sumptuosas mensas, immodicam ingluuiem fugias oportet. Hinc namque podagra, capitis dolor, humorum abundantia pessimorũ. Innumera morborum genera parit intemperantia, & largior vini ingurgitatio. 13.

Bonum

*Bonum confeßionis.*

14. Virginem vitiasti? adulterium admisisti, aut aliud quippiam? Ad confessionem peccati tui festina. Da te medico inspiciendum, qui animæ tuæ curet & sanet vlcera, neque exprobret. Accipe hic remedia. Sacerdoti loquere. Dicito quid peccaueris. Confessio enim eorum, quibus grauiter Deum offenderimus, abolet etiam delicta. Prophetam audi loquentem. *Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris.* (Psal. 50.)

15. *Animi curam non magno constare, vt corporis.*

Leuis est ac facilis animi cura. Nihil enim, vt hic valeat, insumimus, nec laboramus. Contra, si corpus ægrotet, quid non impendimus nunc in medicos, nunc in res alias? vt de his nihil dicam, quæ præter vsum necessarium, luxu absumimus. His non indiget anima, cui scripturarum lectio pro cibo est, vestitus, eleemosyna, & in pauperem largitas. Ornatus verò, quem & corpori apponere solemus, assiduæ preces, confessio peccatorum & lachrymæ. Manè vestiti, faciem abluimus, ne quid sordidum hæreat. (Matth. 6.) Quanto maiore est cura abluendus animus, vt hūc amabilem & formosum offeramus Domino.

*Homo quis dicatur.*

16. Non qui os, nares, genas, & cætera membra ostendit, sed qui virtuti sit deditus, vitia fugiat, illicitis imperet, & dominicis obtemperet mandatis, hunc hominem dicas. Priuant hominis appellatione peccatorem sanctæ literæ: quo, quid miserabilius? Nunc enim terra, quòd terrenis cogitationibus pereat: nunc ob salacitatem, equus, nunc ob mentis dolum & malitiam, progenies viperarum dicitur. (Matth. 3. & 12. & 13.)

*Gratiarum actionem ad benè viuendum conducere.*

17. Deo nihil acceptius esse potest, quàm si gratias egeris quotidie pro tot beneficijs, quæ illius benignitas suppeditat humanis vsibus. Apostoli vox est: *Grati estote:* (Coloss. 3.) Non sunt tibi communia tantum quæ omnibus contulit hominibus, sed priuata etiam cogitanda beneficia, proque his agendæ gratię. Memoria enim beneficiorum

Christi

Christi optima est ad benè viuendum magistra. Hæc enim sola in torporem incidere, ac malum sectari nō patitur. Hac item ratione à brutis homo differt, vt omniū conditorem dominum laudet, celebret, glorificet. Maxima sunt ea quæ in nos iam contulit. Corpus & animam dedit: *oues, & boues, vniuersa pecora campi* nobis produxit. Prophetas misit, qui nos instituerent, & prauitatem humanam corrigerent. Postremo crescente in malum vehementius omni genere mortalium diffusis vndiq; sceleribus, & quod nequius est omnium, cultibus idolorū, miseratus genus humanum in terras misit vnigenitum filium suum, vt carnem indueret, & hominibus appareret, & nos peccatores sanaret. Hæc tanta Dei in nos beneficia dies noctesq; cogitemus, vt assidua cogitatione ad agendas gratias mens compellatur.

*Psal. 8.*

*Ebrietas mala.*

18.

Sensus humanos excæcat ebrietas, mentem sub mersit: & hoc animal, cui subiecit omnia Deus, velut mortuum iacere compellit. Ridetur interim ab omnibus; vxore, liberis, famulis, digito mōstrat vicinia tota. Amici, dedecus hoc suum existimantes, subducunt sese. Gaudent, irrident, execrantur qui maleuolunt: pecudem, porcum, aut aliud quod sit fœdius, hunc talem vocitantes. Obnoxius dæmonio, si in obuios fecerit impetum, vestem ruperit, obscœni quippiam dixerit, venia dignus videtur: Ebrius si quid tale faciat, non modò ei non ignoscitur, verùm accusant omnes, noti, ignoti, amici, inimici. Indignantur, imprecantur mala omnia.

*Non in ædificijs parandam esse nominis memoriam.*

19.

Consules, magistratus, vrbium præfecti, satrapæ, quātò nunc studio splendidas, regumq; palatijs similes, domus ędificant? Hos si roges, cur in res huiusmodi tantos faciant sumptus, tantum pecuniarum profundant: id tibi respondebitur, id audies: Vt nominis aliquam sui memoriam relinquant apud posteros, & à prætereuntibus dicatur: Hanc ille domum extruxit. Hæc ars, hæc tam splendida domus illius est exstructa pecunia. O stultitiam. *O curas hominum, quantum est in rebus inane?* Hoc enim

*Pers. Sa. 1.*

consilio, hoc proposito ædificantes, non laudem (vt ipsi existimant) sed crimen sibi pariunt. Hæc enim & illis adhuc viuentibus, & iam mortuis audiuntur: Hanc domum, has ædes, hanc arcem auarus ille, rapax, & viduarum spoliator ille extruendam curauit. Memoriam hoc pacto assequuntur isti, an perpetuis obijciunt se criminibus? Si nomini suo consulere volunt, & æternitatem ambiunt, viam ego istis aliam monstrauero, qua celebrentur, & encomijs euehantur quotidie. Si pecuniam extruendis villis, porticibus, ambulacris paratam in eos erogare studuerint, qui vere pauperes sunt. Hac benignitate, hac misericordia & nomen immortale sibi parauerint: & à peccatorum graui sarcina liberati, multam sibi apud Deum conciliauerint fiduciam.

20. *Periculosam rem esse ambitionem.*

Tu qui Christum sectaris, primatum noli concupiscere, memor Paulini illius: *Honore alius alium præcedentes,* date operam, vt in omnibus humiliemini. Qui sic agit, primatum habet: Christi enim vox est: *Qui seipsum humiliat, exaltabitur.* Humilem nunquàm dixero, qui natu maioribus, vel etiam æqualibus honorem exhibuerit: hoc enim debet. Vera est & absoluta humilitas ac modestia, si cedas his, qui te videantur minores. Verè sapit qui se putat minimum, & omnium esse postremum. Sola enim hac via & ratione vtilitatem nobis attulerint, quæ fecerimus opera bona.

*Rom. 12.*

*Matth. 23.*

*Ex luxu quantum mali.*

21. Vis digna cœlo operari? Ne spectes ea quæ sunt mundi huius: vitæ huius gloriam vanam ne quæras. Vides alios in vestium luxu occupatos? tu animæ curam agito, vt hanc virtutibus ornes. Delicias rideto: gulam & crapulam fugito. Non prandia cænas & conuiuia, sed frugalitatem sectare. Ex superfluis enim quid vtilitatis? quid commodi? Commodum iudicas fortasse, multum vorare, vinum bibere, ac ventrem distendere: at bonæ menti plurimum nocet immodica potatio. Non dici potest, quantum hinc malorum & corpori & animæ accersitur. Morbi hinc & membra distorta, hinc adulteria, stu-

pra,

pra, rapinæ, cædes, latrocinia. Domi habes repositam auri vim ingentem? Distribue verè pauperi. Serico indutus procedis in publicum? Digitos habes auro reuinctos? Parte huius pauperes quot ali potuerunt? In summa, fieri non potest, vt quis & animæ curam agat, & tanti faciat voluptates, & corporis ornatum.

*Facite vobis amicos. Nemo potest duobus &c. Matth. 6. 22.*

*Magnum bonum esse concordiam viri & vxoris.*

Ibi diuitiæ, ibi magnæ sunt facultates, vbi concordia est viri & vxoris. Tales enim etsi tenui re familiari, omnium tamen sunt beatissimi: soli veram percipiunt voluptatem, soli in maxima viuunt animorum tranquillitate. Sublato igitur per zelotypiam, aut alijs malis concordiæ bono, etiam si Crœsi possideant opes, miserrimi sunt omnium mortalium. Noui hîc quotidiè tumultus, iurgia, suspiciones, domestica & interna bella, multa amaritudo, nulla voluptas. Proinde qui matrimonij vinculo iuncti, ac velut sunt concatenati, velim nihil concordiæ, bonorum omnium radici præferendum existiment: omnia sic agant, vt pax & tranquillitas sit in vna domo, sub eodem tecto manentibus, in eodem quoque lecto quietem capientibus. Hanc pacem comitabitur id bonum, vt filij ex eo matrimonio nascantur boni, & virtutis amantes. Ministri item, & tota deniq; familia religionem, pietatem, modestiam herilem imitari studebit. Ita fiet vt per duorum concordiam, multiplex affluat vndiq; rerum prosperitas. Quid enim non succedat diuinis posthabenti humana?

*Inuitatio ad hospitalitatem.*

*23. Matth. 3.*

Abiectus quispiam & vilis & pauperculus te adit, stipem poscit, hospitium rogat, admitte: & si habeas vnde alas, cibum appone. Hospitalitas hæc & negociatio magnum tibi lucrum attulerit. Si tam diues non es, vt possis, aut etiam nolis, ne durè compelles petentem. Non cogit, non vim facit aliquam: sed orat, supplicat, obsecrat. Habes vnde subuenias indigenti, neque subuenis: neq; largiris quicquam? apud iudicē Deū q d dices? quo te pacto defendes? Lautè vesceris, plusquam

vſus requirit inſumis quotidie. Quantum hic damni facis? quantum elabi ſinis & excidere è manibus lucri? Aurum arcis incluſum rubigine abſumitur, imò furibus auferendum ſeponitur, & proximus tuus fame perit? Opibus abundans, & his ſolus vteris, imò ne vteris quidē, nec indigenti communicas, & gehennæ ignem te putas effugiturum? Proximus tuus, frater tuus eſuriens obambulat, & tu in delicijs agis? Non ſubuenis, quanquam non multum petenti, nempe panis fruſtum, quo famē ſubleuet? Sub dio ſedens hic frigore perit, tu holoſerico indutus, clamantem, nummulum petentem, immiſericorditer pręteris?

24. Geneſ. 19.

*Fieri poſſe, vt quis inter malos etiam benè viuat.*

Sodomitis nephanda patrantibus, Loth in medio impiorum habitans, ſolus in tanta ſceleratiſſimorum hominum turba rectam viam ambulauit. Nō eſt igitur vera eorum ſententia, qui dicunt fieri non poſſe, vt qui in oppidis & hominum frequentia degunt atq; verſantur, boni ſint, & virtutem cuſtodiant, ſed in ſolitudinē & loca deſerta ſecedendum eſſe vt bene recteq; viuatur. Neq; hoc ideo dicimus, quod ſeceſſum, quòd vitam ſolitariam damnemus: conſtat enim ſanctè permultos in ſolitudinibus vixiſſe: ſed monſtramus ſobriè agere volentibus nihil obſiſtere hominum frequentiam. Pigro & negligenti ſolitudo quid prodeſt? Neque enim locus, ſed mens & mores bonum faciunt. Vellem ſicut Loth erat, præſtantes virtute vnum & alterum in ciuitatibus eſſe, qui quaſi ſcintillæ quædam in medio lucentes, ad ſui alios imitationem traherent.

25.

*Plurimum conducere viuentibus etiam illorum virtutes, qui multis retro ſæculis obierunt.*

Hominis Chriſtiani hoc vnum ſit ſtudium, huc omnes eius ſpectent conatus, vt bene viuendo, rectè agendo memoriam ſui relinquat, nō ad inanem gloriam, quod in ſuis poëtæ ſtudijs & carminibus fecerunt: ſed vt poſteaquam hinc migrauerit, diligentem eius & accuratā vitæ conuerſationem, tanquam monumentum & doctrinam habeant poſteri, in quam aſſiduè ſpectent. Vir

bonus

bonus enim & iustus & castus non modo quum caducum, hoc est, & mortale corpus circunfert, verumetiam post hãc vitam, vbi terras reliquerit, virtutum exemplis multum prodesse potest, eadem facere, ad eundem viuere modum volentibus. Vt quisque sciat & intelligat, quantum exempla & bona aliorum opera ad benè agẽdum accendant: si quis ad continentiæ & castitatis æmulationem sit prouocandus, memorabile & insigne Ioseph Israëlis factum adferemus in medium: qui eleganti forma iuuenis, in ipso virtutis flore mirabilem præ se tulit castitatis constantiam. Quis enim non hũc miretur in lubrico ætatis, maximè quo tempore accendi solet concupiscentiarũ fornax: à Putipharis, qui Pharaonis in Aegypto Archimagirus erat, vxore stupri cõpellatum, & iam ad patrandum scelus apprehensum, relicto in manibus eius palliolo quo indutus fuerat, nudum sese ad fugam expedisse? Nouum profectò & omnibus sæculis admirandum spectaculum. In leænæ vngues inciderat agnus, & seruatus est. *Genes.39.*

*Ex magno in Deum amore nasci charitatem in proximum.* 26.

*Seruiuit Iacob pro Rachel annis 7. & erant coram eo quasi dies pauci, eo quod ipse eam diligeret.* Hoc audi ignaue Christiane & in Deum ingratissime. Iustus ille, vt cuius accẽsus erat amore, puella potiretur, ferre omnes pastoralis vitæ constituit ærumnas. cubare sub dio, inediam pati, pluuias, ventos, frigora, niues contemnere. Quid tu excusabis, qui non pari amore bonorum omnium largitorem Deum prosequeris? Qui nihil requirit à te aliud, quàm vt ipsum diligas ex toto corde. Quod si feceris, nec fratrem tuum despicies, memor verbi illius dominici: *Qui fecerit aliquid vni horum minimorum, mihi fecit.* Effundes magis liberali mente in indigos facultates tuas, quasi deponens eas in manus Domini Iesu. Qui quod semel accepit, non solum reddit, sed multiplicatum nobis & auctum largitur. *Genes.29.* *Matth.25*

*Optimam esse eleemosinam, cui alias virtutes adiunxeris.* 27.

Vis tibi prodesse, quàm ex substantia tua facis eleemosy-

mosynam? Reprimendæ omnes carnis affectiones, eliminandæ sunt tibi ex animo illicitæ concupiscentiæ, mala cogitatio, ira, inuidia, in quorum locum succedãt virtutes.

28. *A multis peccari per iram, per libidinem, quia nesciant fines bonorum ac malorum.*

Deus corpori humano varios dedit sensus ad vitæ vsum necessarios: ita & animo varij sunt attributi affect⁹. Queis constaret vitæ ratio, libido gignendæ gratiæ prolis data est. Ad cohibenda delicta est iræ datus affectus. Verum (proh dolor) quàm multos videas, qui fines bonorum ac malorum ignorantes, libidine vtuntur ad opprimendas virgines, ad nephandos coitus? ira vtuntur, vt noceant ijs quos odio habent. Hinc ad maxima quotidie facinora procurritur: hinc certamina inter homines, pugnæ, contentionesq; nascuntur.

29. *Multorum mores ac vitam cum ætate mutari.*

Multos ætatis progressu resipiscere videmus quotidie: vt ex peccatoribus iusti, ex malis boni, ex improbis continentes fiant. Vidi multos in adolescentia scortatores, aleatores (nolo dicere peiora) qui tamen postea laudabiles exstiterunt.

30. *Deum nulla re alia, quam morum emendatione placari.*

Numen sceleribus nostris iratum placat morum emendatio, non thura, non hostiæ, non preciosa munera, quæ omnia corruptioni subiacere videmus. Facere vis mortalem Dei iram? Malefacere desinito. Deus ideo in præsenti vita quæ malefacimus non punit, vt resipiscendi facultatem habeamus.

*Deum amandum & metuendum esse.*

31. Amemus Deum vt patrem, veneremur vt Dominũ, honorem exhibeamus vt benefico, metuamus vt seuerum. Pij esse non possumus, si animarum parentem Deum non diligimus. Nec sine periculo contemnitur, cui rerũ conditori ac Domino in omneis homines vera est ac æterna potestas. Pater est, vt qui ortum nobis ad lucẽ qua fruimur, subministrauerit. Deus est, cuius benignitas nihil non suppeditat vsibus nostris. Hic solus alit,

susten-

ſuſtentat ſolus. Huius eſſe domum, in qua habitamus, huius nos eſſe familiam negare non poſſumus. *Zach. 2.*

32.

*Nihil eſſe fidem ſine operibus: ex Chryſoſtomo.*

Doctus es, vitam negligis. Quid tibi doctrina prodeſt? Rurſus vitæ curam geris, in fide claudicas. Nec ita quidem ſeruari potes. Qui audit, idemque facit, hunc prudenti viro aſſimilabimus.

33.

*Fratrum curam habendam eſſe. Ex eodem.*

Cuiuſq; officium eſt, proximum errantem à peccato ad virtutem velut manu ducere. Deus ipſe hac cauſſa noſtram carnem indutus, mundum ingreſſus eſt. *Multa tulit, fecitq; puer, ſudauit & alſit*: mortem deniq; ſuſcepit, vt humanum genus peccatis obnoxium redimeret. Cuius nos exemplo adeſſe proximo debemus, agnoſcente hūc vt membrum noſtrum. An nō, quæſo, ex diaboli faucibus eripitur frater, qui ſana cuiuſpiam doctrina in viam virtutis reducitur, & facit recta? Qui diues, ipſe pecuniā ſuppeditat indigenti, largiter erogat in pauperes; maius tamen eſt illius opus, qui monendo aſſiduè, docendoque ſegnes ac vitijs deditos, in viam rectam inducit. *Horat.*

34.

*Qualis vxor quærenda.*

Quo tempore olim ſitis habendi, & auaritia nondum ſic inualuerat, ſi cui honeſtè nato adoleſcenti vxor quærebatur, non de multa ſubſtantia, diuitijs; agri iugeribus, formæ elegantia quæſtio erat, ſed quàm eſſet proba & morata puella: quæ adoleſcenti nuberet eiuſmodi: At nunc hoc tantum quæritur: Quàm diues, quantam expectet hæreditatem: iuxta illud Satyrici: *Protinus ad cenſum: de moribus vltima fiet quæſtio.* Imò plerunque nulla quæſtio. Placet ſuperba, placet improba, ſi diues eſt, ſi pecuniam habet, ſi multa poſſidet agri iugera. *Iuuenal.*

35.

*Cur mortis diem nobis incertum eſſe Deus voluerit.*

Hominem ideo Deus fati diem ſui ignorare, & neſcire voluit, vt aſſiduo virtutum ſtudio & vigilantia præpararetur. Dicit ille. *Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam.* Atqui homines omnino diuerſum agunt. Iuſſit *Matth. 25*

ille vigilare,& dormiunt nihil agentes boni. Dormiũt igitur in virtutibus, vigilant in vitijs. Quod genus hoc hominum? Quàm multos passim videas in malis nimium strenuos, in bono segnes? Moriuntur, abeunt, decedunt, quotidiè multi tam iuuenes, quam senes, neque parcitur vlli: tamen ne sic quidem ad virtutis studium adducimur, neq; nos ita paramus, vt despectis præsentibus futura desideremus.

36. *Puerorum curam habendam esse.*

Parentes, filios vestros continentiam docete. Malè enim agendi consuetudo, vbi temporis progressu vires ceperit ac inualuerit, nulla vincitur admonitione. Tum quasi in captiuitatem abducta] iuuentus, quocunque malignus vocarit spiritus, it: hunc nihil nisi pernitiosũ imperantem sequitur, huic paret præsentis tantum voluptatis respectum habens, de futuris cruciatibus nihil cogitans. Manus igitur præbete pueris vestris, alioqui pro peccatis & sceleribus eorum ipsi pœnas luituri. Venientibus semper malis occurrere est optimum. *Serò medicina paratur, quum mala per longas conualuere moras.* Qui liberos habetis, curate vt honestè educentur. Præceptores quoque, & qui alij pueros domi alunt, curam eorum agant lucrum maximum esse putantes, vtilitatem & salutem proximi, doceant eos quæ ad bene viuendum pertinent. Peccatum effugere doceant, ad virtutem capessendam hortentur.

Ouid.

37. *Filij thesaurizare periculosum esse.*

Diues auare, vt quàm plurimum relinquas, perpetuò congeris: agros emis, ædificas, diruis, mutas quadrata rotundis. Vtque hæc diutius facias, ab alijs rapis, alios fraudibus circumuenis, alijs negotium facessis. Et si quis roget, cur hæc facias, cur quærendæ pecuniæ post omnia ponas, filios prætexis. O cæcitatem. O insaniam. Non vides, non sentis has liberis tuis diuitias, malè viuendi materiam & occasionem relinqui? Si per se ipsam hæc ætas ad libidinem, ad luxum, cæteraq; vitia pro-

cliuis eſt, quanto magis accedente iam rerum omnium affluentia ad malum procurrit? Nunquam ne vidiſti ignem: ſimul ac fomitem inuenerit, flammis exurgere validioribus? Ita & iuuenilis totus accenditur ad peccãdum animus, per irritamenta malorum diuitias.

*Qui pauperes Deo, Qui diuites.* 38.

Si illud non agitas, ſi non huc contendis, vt iuſtitiam habeas, pauper es, etiam ſi *millia frumenti tua triuerit area centum*. Deo ſolus diues, qui virtute præditus eſt. Huic, vis eſſe egregius? bonitatem & innocentiam præſta. Vis eſſe clariſſimus? opera miſericordiæ largiter facito. Vis perfectiſſimus eſſe? omnes virtutis gradus impleas oportet: hoc eſt, vt malis operibus, malis verbis, rerum deniq; malarum cogitatione abſtineas.

*Quis homo verè ſanus.* 39.

Si oculis, capiti, pedibus, lateri, reliquis omnibus mẽbris benè eſt, vulgus te ſanum iudicat. Philoſophiæ nihil minus, ſi ira exaſperaris, ſuperbia tumidus inflaris, libidini ſeruis, cupiditatibus inardeſcis, auaritia proſterneris. Ita ſanum te dixerit ille, ſi non attollas ad alienam fœlicitatem oculos. *Inuidus alterius rebus macreſcit opimis.* Si diuitias non admireris, alienam vxorem ſanctè videas, nihil omnino appetas, non concupiſcas alienum, non faſtidias quenquam. Humilem te, miſericordem, beneficum, mitem, humanum exhibeto, pax in animo tuo perpetua verſetur. Qui ſic vitam hanc traducit philoſopho ſanus, iuſtus, perfectus eſt ille.

*Horat.*

*Idem.*

*Opera miſericordiæ.* 40.

Verè miſericors eſt, qui ab hoſte captos redimit, ægros pauperes viſitat, fouet inopes, pauperes ſi obierint, inſepultos iacere non patitur. A potentiori oppreſſos eruit, tecto indigentibus domum aperit, hoſpitio excipit pupillos defendit & viduas. Hæc opera qui fecerit, verũ & acceptum immolauerit Deo ſacrificium.

Pœni-

*Pænitentiæ auxilium.*

41. 1. Cor. 3. Conserua domum tuam immaculatam, omni labe pectus euacua, vt templum & hospitium Dei esse possit: quod nec auri, nec eboris nitore, sed fidei & castitatis fulgore illustratur. Sed audio quid dicas: Difficile hoc esse homini, nec humanæ pari conditionem naturæ, vt quisquam sine macula viuat. Hoc igitur suadeo vtendũ esse remedio, vt ad pænitentiam confugias, quæ non minimum, & postremum occupat inter virtutes locum. Est enim hæc sui correctio, vt cum fortè aut re aut verbo lapsus fueris, statim resipiscas, & te deliquisse fatearis, oresque à Deo veniam, qui pro ineffabili sua misericordia non negabit, nisi tu in errore perseueraueris. Magnum est pœnitētiæ auxilium, magnum solatium. Hæc vulnera, hæc peccata nostra sanat, hanc spem, hunc portum salutis habemus.

*Vbi & qualis pietas.*

42. In eius pectore pietas habitat, qui bella nescit, qui cum proximo concordiam omni studio seruat, qui amicus est etiam inimicis, qui omnes tanquam fratres diligit, qui cohibere scit iram, omnemq; animi furorem tranquilla moderatione lenire.

*Omnia quæ improbè fiunt, ab eis tribus oriri affectibus, Ira, cupiditate, libidine.*

43. Cohibenda ira, compescenda cupiditas, refrenanda libido. Ita enim vitium fugeris. Nam omnia ferè quæ iniustè atque improbè facimus, ab his tribus fluũt, & proficiscuntur affectibus. Omnes hominum contentiones sopientur, impetus iræ si retundatur. Neminem insidiari, neminem prosilire ad nocendum videbis. Cupiditatem si compescere studuerimus, nemo terra marique grassator metuendus erit, nulli educentur exercitus, vt rapiant & vastent aliena. Libidinem si quisque studeat comprimere, & iuuenes, & senes, & viri, & fœminæ, prophani & initiati, suam retinebunt sanctitatem. Huc agi nemo poterit, vt quicquam pudendum aut patiatur, aut agat,

Sepul-

*Sepulturam non valde curandam esse.*

44. Quis non eos vehementer damnet, qui patrimonia in res superuacuas prodigentes, marmorea sibi statuunt sepulchra? Mihi certè videntur isti bona sua in terram sepelire. Neque opera eiusmodi memoriam aliquam aut æternitatem nominis, quæ fortasse quæritur, conferunt. Nam aut vnus dissipare motus terræ, aut fortuitum hæc potest consumere incendium, aut hostilis aliquis impetus diruere. At si nihil horum eueniat, certè conficiet & consumet vetustas. Meritò igitur quis eos reprehenderit, quibus sunt talia curæ. Ne dicas miserum, qui in terra aliena, in solitudine, in loco obscuro, addam neque in lecto decesserit, sed qui in peccatis mortuus est. Ridicula sunt & illa. Morienti neque cognatus, neque affinis, neque amicus adfuit: Tum omni sepulturæ, ac funeris honore caruit. Nihil hinc ille damni accepit. Multorum quoque prophetarum & Apostolorum sepulchra in terris ignorantur. Dole, ingemisce, lachryma, si nondum lotus ab iniquitate sua decesserit amicus. *Est enim mors peccatorum pessima*. Gaude, si purus ab omni crimine & mundus, mundum reliquerit. *Nam preciosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius*. Transeunt enim in vitam meliorem, vbi suorum accipiant præmia laborum.

*Psal. 33.*
*Psal. 115.*

45. *Sacerdotum opes ad quem vsum relictæ:*

Episcopi, Abbates, agros hodie, villas, vicos, vrbes quoque possidentes relicta hæc sibi existiment, non vt seruiant voluptatibus, sed miserorum necessitati subueniant. Hoc in genere multi probandi sunt, qui pecunia & opibus suis, adolescentes, quorum res domi angustior, & in quibus vis ingenij & indoles aliqua ad virtutem prælucet, bonis artibus instituendos curant: vel illud exercent liberalitatis genus, vt inopes & omni humana ope destitutas mulieres adiuuent. Nihil enim Deo acceptius, quàm prohibere ne mulier inopia & cognatorum negligentia coacta se prostituat.

Pub-

*Pulcherrimam esse virtutem modestiam & Deo gratissimam*

Vis antiquorum imitari modestiam patrum? Vide ne extollaris, ne de te sublimia sentias: verum modestia conspicuus cede alijs, & inferior haberi conare: nec his aduerseris, qui iniuriam fecerint. Contumelia affectus ipse, ne sis ferox, etiamsi te contemptior ille sit, qui malefecerit. Mansuetudo & lenitas furorem comprimant. His virtutibus id assequeris, vt ab omni liberatus amaritudine, multa fruaris quiete.

*Qualis oratio nostra, quales ioci esse debeant & conuiuia.*

In omnibus quæ dicis aut facis, animum oportet habeas à perturbationibus liberum, ne libidine aut metu aliquo commoueare, ne quid in sermone cupiditatis, aut pigritiæ, aut ignauiæ appareat. Ludo quoque ac ioco sic vtere, vt omnis absit petulantia, & verborum obscœnitas. Præceptis parendum est, quibus iubemur, vt neque turpibus, neque gaudeamus obscœnis. Damnatur & Veneris vsus omnis extra coniugium, extra viri & vxoris coniunctionem. Vt de vitio quoque palati aliquid dicamus, prohibentur & comessationes, & intemperata conuiuia.

*Ad misericordiam exhortatio obiurgationi commixta.*

Plerisque nobis superuacua & ociosa domi est pecunia. Nulla Euãgelica lectio, nullus Hieronymus, nullus Augustinus, nullæ tot sanctorum lucubrationes patrũ de contemptu rerum huiusmodi scribentium, huc nos possunt adducere, vt aliquam hinc portiunculam distribuamus fame laboranti, geluq; rigescenti proximo. O dura, ô saxea pectora. Quibus nos oculis iudicem Deum intuebimur? cuius tam neglectui mandatum habuerimus. Non mandat, vt abijciamus nostra omnia: frui permittitur. Quumque nostro satisfecerimus vsui, tum eorum curam agamus, qui sunt verè pauperes: nulli nostrum misericors Deus in hoc largitus est diuitias, vt in arculis & promptuarijs seruentur, imò putre-

ſcant: ſed vt noſtra abundantia aliorum ſubleuetur inopia. Tantum huic nummorum in prandijs, lautiſque cœnis, illi in veſtibus. alii alio luxu quotidie profunditur. Frater mendicus interim, qui ob ætatem ingraueſcentem, aut aduerſam corporis valetudinem labore manuum parare ſibi victum nõ poteſt: is inquam frater nihil horum à nobis petit, ſed tantum vt famem ſedet vt viuat, & non pereat. Nos qui precibus huius & lachrymis non mouemur, nõ flectimur, quid iudici Deo excuſabimus?

*Hominum gloriam non eſſe ambiendam ex opere bono.* 49.

Vis boni quippiam operis aggredi? Vide ne facias ad hominum gratiam, ſed vt te laudet oculus ille, qui nunquam dormitat. Si enim ab hominibus laudari ſtudes, indignum te reddis qui à Domino lauderis. Vtrunque nocet, pernitioſum eſt vtrunque in opere bono, ſi quis humanam ſpectet gloriam, & ſublimia de ſeipſo ſentiat. Quid aliud quæſo, quàm miſerabilem hunc & miſerum verè dixeris? Hæc vna perniciosiſſima affectio, deteriorem fecit Publicanum Phariſæo. Quicquid igitur feceris operum bonorum, ſemper illud Chriſti ad diſcipulos in ore habeto: *Quando omnia feceritis, dicite; Serui inutiles ſumus.* Luc. 17.

*Obiurgatur auarus.* 50.

Quouſq; ita inſanis in congerendis opibus? Quis te furor? quæ te rabies agitat, vt nunquàm ſatieris: habeariſq; non ſecus, quàm ebrij? Nam vt illi quò plus biberint, quò plus vini ingurgitauerint, hoc ſitiunt magis: ita nimirum & tu auaritiæ ſubiectus tyrannidi, nullum facis cupiendi modum. *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.* Quò plus affluit opum, hoc magis apud te inualeſcit habendi cupiditas. Quid vtilitatis hinc accipis rogo, ſi totum mundum lucreris, animæ verò tuæ detrimentum patiaris, quam interim auaritia expugnat, excoriat luxuria, confundit iracundia, & alijs multiphariam quotidie vexatur affectionibus.

Quid,

*Quid in pœnitentia quærat Deus.*

51. A nobis peccatoribus requirit Deus, vt à peccato quiescamus. Pro præterito rationem non exigit, si nos videat resipiscentes. Hic est enim qui quotidie clamat: *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat* Hic est ille qui dicit: *Adhuc te loquente dicam, Ecce adsum*. Non sic ipsi sumus nostræ auidi salutis, vt ipse qui vult omnes homines saluos fieri, requirit, vt peccata nostra confiteamur & eluamus, confessi à malefactis temperemus.

Ezech. 18
Esa. 52 & 58.

*In templo qui mores seruandi.*

52. Illud quoque meminerimus, in templo DEI vanis colloquijs, nugis inutilibus, iocis & risu abstinendum esse, maximè quum sacerdos diuina peragit officia. Qui ab ijs non abstinent, offendunt grauius quàm quos Dominus flagello eiecit de templo: grauissimè verò peccant, qui in domo Dei non aliter, quàm in prostibulo versantur. Nolo dicere, quæ in sacris etiam locis patrare, & admittere audeat hominum improbitas.

*Orationem peccatoris infructuosam esse.*

53. Quòd plerunque Deum patrem orantes non exaudimur, in caussa sunt peccata nostra. Quia iniquè agimus, & ad iracundiam sceleribus nostris quotidie Dominum prouocamus, idcirco inexorabilis est. Frustra enim oramus, si à vitijs nostris non discedimus: luxuriari, fornicari non desinimus, aut aliud agere, quod diuinæ legi contrarium sit. Deo supplicantes, in corde aduersus proximum odij facibus ardemus. A Deo amari volumus, & homini quem Deus ad imaginem suam fecit, quem sanguine suo redemit, irascimur. Omnis remittenda offensa est, placandus qui aduersum te indignatur. Tunc demum offeres ante altare munus tuum. Non exaudiet nos Deus, nisi charitatem, quam debemus omni in nobis viderit. Ab eodem reijcitur & oratio, quæ non eò spectat, vt soli DEO placeamus:

Siue

Siue enim corporis valetudinem, siue alia vitæ necessaria petemus, semper in hoc petenda sunt, vt adepti ea, expeditius Domino seruiamus.

### *Malam esse somnolentiam.*

54. Non sit longior somnus, quàm natura postulat. Diutius enim dormiendo bene agendi tempus perditur, & promptiores ad vitia reddimur. Bene dictum à quodam:

*Plus vigila semper, ne somno deditus esto.*

Nam somno dediti, à luxuria libidineque vix abstinent. Hominis vocabulo dignos iudicauerit nemo, qui quum horas plures dormiendo perdiderint, experrecti, nondum loti, nondum pexi ientacula poscunt, prandia deinde parari iubent, & priusquam bene hesternam edormierint crapulam, nouis ac recentibus se ingurgitant, iterum totam noctem & insequentis diei meliorem partem somno daturi. Vigilandum igitur, orandum, studendum, manibus laborandum, ne intremus in tentationem, ne nihil agentes ad conuiuia, & comessationes trahamur, ad alia quoque vitia sollicitemur. Nulla re alia facilius, quàm labore obruuntur libidinis incitamenta.

### *Qualem eum oporteat esse, qui populo Iesum euangelizat.*

55. Vos qui in Ecclesia Dei ad populum declamatis, operam date, vt præceptis respondeant opera. *Qui enim fecerit & docuerit, is magnus vocabitur in regno cœlorum.* (Matth. 5.) Vis aliorum delicta efficaciter arguere? fac in te non inueniant alij quod redarguant. Humilitatem doces: ipse mitis esto. Ad patientiam hortaris? Ab iracundia recede. Stupra detestaris & adulteria? castitatem serua. Iustitiam doces, & in vitia inueheris? Nihil improbè vt agas, vide. Laudis quoque humana vitanda tibi captatio est, non iactandum ingenium, non variarum rerum ostentanda cognitio, vt in suis prælectionibus facere consueuerunt Poëtarum & oratorum interpretes

*Vitandam esse detractationem.*

De absentibus aut tacendum, aut amicè loquendum & ciuiliter. Magnam partem si multatum inter homines cõstat oriri ac nasci ex linguæ intemperantia. Bonum nomẽ si melius est quàm diuitiæ multæ, grauius peccat qui famę obtrectat aliorum, quàm qui bona diripit, & innoxios exuit opibus. Abominatio hominum, detractor. Dauid eos detestatur, quum ait: *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar*. Si quando in huiusmodi hominem incideris, ne præstes aurem, os auertas. Vbi sycophantijs suis offendi te nugator animaduerterit, pudore confusus obmutescet. Ventus Aquilo dissipat pluuias & facies tristis linguam detrahentem.

*Psal. 100.*

*Prou. 25.*

FINIS.

HADR.
BARLAND.
HIST.

REVOLVTA FOECVNDANT


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm